DN.

GVILIELMI ESTII

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS PRIMARII, ET ACADEMIÆ DVACENSIS CANCELLARII.

IN TERTIVM LIBRVM SENTENTIARVM COMMENTARIA:

QVIBVS PARITER,

S. THOMÆ SVMMÆ THEOLOGICÆ PARTES

OMNES MIRIFICE ILLVSTRANTVR.

CVM TRIPLICI INDICE.

TOMVS III.

DVACI,
Ex typographia Petri Borremans, ſub ſigno
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

M. DC. XV. *Cum priuil.* XII. *annorum.*

PRÆFATIO IN TERTIVM SENTENTIARVM.

DISSERIT tertio Sententiarum libro Magister de mysterio incarnationis Christi. Quoniam enim libro superiori expositum est, quomodo per transgressionem primorum parentum vniuersum genus humanum peccato factum obnoxium, eiusdem peccati merito, mortis temporalis atque æternæ debitum incurrit; vnde tamen per gratiam mediatoris Christi liberatur, rectè nunc & conuenienti ordine transitur ad considerationem illius operis, cuius beneficio ipsa redemptionis & iustificationis gratia humano generi per Christum comparata est Quod quidem opus est incarnatio verbi Dei ac tota eius in carne dispensatio quam Græci οἰκονομίαν vocant, ad quam præcipuè pertinent passio, mors & resurrectio eiusdem filij Dei. Quare agendum erit hoc libro de causa & modo incarnationis Christi, de vtraque eius natura & personæ vnitate, alijsq; eò pertinentibus. Item de gratia & sapientia Christi, deque naturæ eius humanæ defectibus, de merito eius & redemptione generis humani per passionem & mortem eius facta. Tum de virtutibus ac donis, quæ in Christo fuerunt. Qua occasione ingreditur Magister tractationem de virtutibus Theologicis & cardinalibus deque donis spiritussancti; ac postremò librum hunc concludit explicatione præceptorum decalogi. Quorum impletionem homini præstat eiusdem gratia mediatoris.

Vocatur autem vniuersum hoc mysterium, quod à Christo pro nostra salute gestum est, incarnationis nomine. Quod ea huius diuini operis initium fuerit, quo nimirum in vtero beatissimæ virginis filius Dei assumptione humanæ naturæ factus est filius hominis. Neque enim aliud significamus, quum filium Dei incarnatum, vel vt euangelista loquitur, verbum carnem factum dicimus quàm filium Dei factum esse hominem. Sicut enim anima, ita & caro frequenter in scripturis totum significat, quemadmodum admonet Augustinus ench. 34 Vnde illud apostoli: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, id est omnis homo Gal. 2.

Potiùs tamen à carne, quàm ab anima mysterium hoc accepisse nomen idcirco videtur, vel quòd caro conspicua sit hominum oculis. Vnde commendatur nobis hac voce, quòd qui in forma Dei erat inuisibilis, in carne voluerit visibilis & manifestus apparere, iuxta illud: *Manifestatum est in carne* 1.Tim.3. Vel ad commendandam nobis humilitatem filij Dei, quæ tantò maior apparet in assumptione carnis, quàm animæ, quantò minoris est inter creaturas dignitatis corpus quàm spiritus; præsertim si carnem intelligamus, vt ferè sumitur in scripturis, corruptioni & morti obnoxiam: Vel denique ne si filius Dei animatus diceretur, sicut dicitur incarnatus, putaretur diuina eius substantia esse corporea Corpora enim animari dicuntur.

INDEX DISTINCTIONVM
ET PARAGRAPHORVM QVÆ IN HISCE COMMENTARIIS LIBRI TERTII SENTENTIARVM CONTINENTVR.

DISTINCTIONIS I.

Distinctionis II.

Distinctionis III.

Distinctionis IV.

Distinctionis V.

Distinctionis VI.

Distinctionis VII.

Distinctio-

Distinctionis XXXVIII.

Distinctionis XXXIX.

Distinctionis XXXX.

Finis Indicis Distinctionum & Paragraphorum.

IN DISTINCTIONEM PRIMAM.

§. 1. *Quæ causa fuerit incarnationis Filij Dei?*

S. Tho. 3. q. 1.

CAUSAM incarnationis filij Dei ac totius eius in carne dispensationis finalem ex sacris literis discimus, fuisse hominis lapsi & perditi erectioné ac reparationem. Vnde ad cognoscendú beneficia homini per Christú præstita memoria repetendum, in quæ mala per peccatum primi parétis præcipitatum fuerit genus humanum; de quibus abunde actum est libro superiori. Ab omnibus enim ijs, seu animi, seu corporis malis, partim in hoc seculo, partim & perfectè in futuro; quando fiet sermo, qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria* 1. Cor. 15. & quando infernus & mors mittentur in stagnum ignis. Apoc. 20. liberat gratia saluatoris.

Porrò finis ille atque effectus aduentus Christi in carne variè in scriptura appellatur; vt salus hominum, liberatio, redemptio, sanctificatio, viuificatio, adoptio in filios Dei & alijs eiusmodi nominibus: prout in vno illo beneficio varia ac multiplicia bona considerari possunt, huc pertinentia. Vnde Dominus in euangelio. *Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat*. Luc. 19. Et Ap. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus*. Et 1. Tim. 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere*. Et 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli.* Apertissimum quoq; illud symboli Constantinopolitani: Qui propter nos homines & propter nostram saluté descendit de cælis. Iam verò quæcunque aliæ causæ particulares aduentus Christi reperiuntur, vel in scriptura sacra expressæ, vel à patribus redditæ, omnes illæ ad hunc, quem diximus effectum, velnti cóplementum suum referédæ sunt. Cuiusmodi aliquot innuit Isaias c. 6. in persona Christi sic loquens: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me: ad annunciadum mansuetis* (vel vt 70. *ad euangelizandum pauperibus*) *misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem*, & quę sequuntur. Ea enim omnia partes quædam sunt legationis Christi, quibus opus redéptionis in homine peragit. Et eodem pertinet triplex illa seruitus, in quam homo peccádo incurrit, videlicet, peccati, mortis, & diaboli, à qua, nihilominus vna Chr. redéptione liberatur.

§. 2. *Vtrùm etiam homine non peccante Christus fuisset incarnatus?*

S. Tho. 3. par. q. 1. art. 3.

SI solùm eam quam diximus cóstaret esse causam incarnationis Christi, non dubia foret responsio ad eam quæstioné qua quæritur apud Scholasticos, vtrùm si homo non peccasset, Deus humanam naturá assumpsisset sublata enim causa necesse foret tolli effectum. Quoniam autem huius mysterij, & aliæ caussæ adferri possunt, quæ peccatum nó necessariò præsupponunt, fit vt de hac quæstione variè sentiát doctores. Nam Scotus & alij nonnulli, putant etiam homine non peccante futurum fuisse, vt verbú caro fieret & inter homines habitaret, his ferè moti argumentis.

Primò: Quia Christus ab æterno prædestinatus est, Rom. 1. peccatú autem temporale est, quod nequit esse causa æterni.

Deinde quia quemadmodú docet Aug. lib. 13. de Trin. c. 17. in Christi incarnatione alia multa cogitáda sunt præter liberationé à peccato, vt magnitudo dilectionis Dei erga hominé, qua fit vt vicissim maximè excitetur charitas hominis in Deú. Item doctrina & visibilis aspectus filij Dei in carne humana.

Tertiò. Quia de se testatur æterna Sapientia patris, Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. Quod multò magis verum erit de genere hominum integro & incorrupto.

Quartò Quia mysterium hoc fuit primo homini reuelatum ante peccatum, Gen. 2. attestante etiam Apostol. Eph. 5. vbi verba Adæ: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* interpretatur de Christo & Ecclesia, Quare cùm non debuerit Adam præscius esse sui casus, futurú id erat quod præuidit, etiamsi nó cecidisset.

Quintò. Summum bonum, inquiunt, in humana natura nó debet esse occasionatum. Igitur incarnatio Dei, quæ est illud summum bonum, non debet referri in occasionem peccati hominis, quasi aliter non futura.

Sextò. Beatior est homo videns gloriosam Christi humanitatem corporeis oculis, quàm si eam non videret. Si ergo homine nó peccáte nó fuisset Deus incarnatus, tunc minùs beatus fuisset homo in vita æterna quàm nunc est, quia corporaliter Deum non vidisset.

Septimò. Christus homo est caput ecclesiæ esset autem ecclesia etiamsi homo non peccasset; esset igitur & Christus homo.

Postremò. Deus etiam homine non peccáte cómunicasset se homini præstátissimo & perfectissimo modo, igitur fuisset incarnatus. Non enim est alius perfectior modus quo se communicare potuisset homini.

Porrò diuersam sententiam tenent S. Thomas, Bonauentura & plærique alij, idque probabiliùs & tam scripturis sacris, quàm scriptis patrum multò magis consonum.

Primú enim, vt suprà ostédimus, scriptura causá aduentus filij Dei non aliá agnoscit, quá liberationé hominis à peccato & reparationem in dignitatem pristinam & quæcunque huc referuntur. Cùm igitur vt scribit S. Tho. p. 3. q. 1. ar. 3. ea quæ ex sola voluntate Dei proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possint, nisi quatenus traduntur in scriptura, per quam diuina voluntas nobis manifestatur, temere ponitur ex alia causa futuram verbi incarnationem, quàm quæ in scriptura

[A] nobis reuelara est. Similia docet super hac distinctione & in commentatio, 1. Tim. 1. ad illud: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.*

Deinde Christi incarnatio est quædam diuinæ personæ humiliatio & exinanitio, iuxta illud Phil. 2. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.* Id autem non putandum est futurum fuisse, si non præcessisset peccatum, per quod homo semetipsum indebitè supra suam conditionem eleuasset. Neque enim tantùm per passionem & mortem, vel etiam ipsam mortalitatem humiliatus est filius Dei, sed eo ipso omnino quo naturam humanam, id est, creatu- [B] ram assumpsit. Nam homo ex conditione naturæ suæ seruus est comparatione Dei: quia Deus est eius Dominus, vtpote Dominus vniuersæ creaturæ. Itaque filius Dei eo ipso quo factus est homo, minor factus est, non tantùm Patre, sed & seipso & Spiritusancto, quemadmodum libro 1. ostensum est, imò seruus factus est totius Trinitatis. Minoratio autem omnis, præsertim vsque ad seruitutem permagna in Deo est humiliatio. Vnde Gregorius homil. 29 Nascente Domino, inquit, diuinitas est humiliata. His rationibus post scripturas quæ præter occasionem peccati aliam causam non indicant, accedunt Patrũ [C] sententiæ. Nam Augustinus serm 9. de Verbis Apostoli ad illud 1. Tim. 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Nulla, inquit, causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere, & ser. 36. de Verbis Dom. ex illis verbis, Luc. 19. *Venit filius hominis quærere.* &c. infert: ergo si homo non periisset, filius hominis nõ venisset. Et in illud Ioãnis, *Ecce quem amas infirmatur:* Si, inquit, peccatores Deus non amaret, ad terrã de cælo non descenderet. Quę sententiæ cùm sint absolutæ, non rectè videntur restringendę ad eum aduentum filij Dei, qui fit in car- [D] ne mortali, cùm ea limitatio ex authore nusquã accipi posset. Similia sunt loca tum eiusdem Augustini serm. 8. de Verbis Apostoli & alibi, tum aliorum patrum, vt Ambrosij lib. de Sacramento Dominicę incarnationis, cap. 6. & Athanasij serm. 3. contra Arianos, Anselmi quoque eandem esse sententiam patet ex eius libro cui titulum fecit, cur Deus homo. Quibus consonat glossa ordinaria in illud. Hebr 2. *Nusquã enim angelos apprehendit.* Participauit, inquit, carni & sanguini Christus, vt homines sanctificaret. Et rectè hęc causa apponitur, quia si non esset eos liberaturus nõ eis participaret. Quod in angelis apparet, [E] quia nusquã, id est, in nulla scriptura legitur angelos apprehẽdisse. Quibus tã scripturæ quã glossæ verbis & aliud innuitur argumentũ huius sentẽtię. Si enim homine nõ peccãte Deus assumpturus erat humanã naturam, idem fieri cõueniebat de natura angelica, quæ cùm sit humana longè præstantior, certè maiori ratione coniunctionem illam cum Deo & admittere potuit & recipere debuit, quàm humana.

Denique ad refellendam contrariam opinionẽ, vel vnum illud sufficere potest, quòd ea nusquam in scriptis veterum patrum Orthodoxorum expres- [F] sa reperiatur.

Ad ea igitur quæ in contrarium obiecta sunt, respondeamus. Ad primum dicẽdum, licèt peccatũ temporale sit, prescientiã tamen eius, quam præsupponit prædestinatio verbi incarnati, æternam esse.

Ad secundum, omnes alias causas referendas esse in remedium peccati. Quod si non interuenisset, fuisset homo in rectitudine creationis suæ permanens diuinitus sufficiẽter illuminatus & adiutus ad omnia necessaria cognoscenda & agenda: etiamsi Deus carnem non assumeret. Nam & non quicun- [A] que Christi aduentum præcesserunt, non fuerunt edocti à verbo incarnato.

Tertium bene concludit; sed non inde sequitur incarnatio, nõ magis quàm angelicæ naturæ assumptio. Nam incarnatio Dei est vt medicina, quæ non sanis, sed ęgris paratur: Generaliter item dictum est alibi: *Lætabitur Dominus in operibus suis*, Psalm. 103. Ex quo tamen non est consequens alicuius operis diuini in Deum assumptio.

Ad quartum, nihil obstare quò minus alicui reueletur effectus non reuelata causa. Non enim Prophetæ perfectam semper accipiunt eorum quæ re- [B] uelantur notitiam. Et quidem in proposito non oportebat causam reuelari, ne homo per causæ, id est, sui casus reuelationem ac præscientiam miser esset antequam malus.

Ad quintum. Nullum Dei opus propriè est occasionatum, quia Deus omniũ operum suorum rationes ab æterno cognouit, & nihil operatur præter intentionem. Illud autem opus ęstimandum est magis principaliter à Deo procedere, quod secundùm se prestantius est, etiamsi futurum non esset nisi pręsupposita alicuius mali, vel minoris boni præscientia. Hinc enim admonemur immensæ bonitatis diuinæ erga genus humanum, cuius reparandi causa [C] tantum bonum mundo contulerit Deus, aliàs non collaturus nempe hominem Deum, vt iuxta Apost. Rom. 5 Vbi abundauit delictum superabundaret & gratia, ideoque meritò canit ecclesia in benedictione cerei paschalis: O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.

Vnde etiam patet solutio sexti argumenti. Non enim absurdum est hominẽ lapsum ex gratuita Dei bonitate ad maiorem euehi felicitatem, quã qua donandus erat si non cecidisset. Quamquam hæc felicitas accidentalis tantùm est.

[D] Ad septimum respondetur: quòd sicut in angelis, ita in hominibus etiam præueniendo peccatum, caput ecclesiæ sit Deus, quo nihil est maius. Tali autem capite quod etiã in natura participaret cum membris, integra hominis conditio non egebat, vti nec angelorum.

Ad postremum responsio petenda est ex solutione quinti. Negãdum est enim quòd Deus perfectissimo modo se communicasset homini, si homo non peccasset, sicut nec tali modo se communicauit angelo, licèt vtrumque sit ei æquè possibile.

[E]

§. 3. *Quando incarnari oportuerit filium Dei?*

CVr incarnationem Christi fieri non oportuerit ante lapsum hominis perspicuum est ex præcedentibus. *Non enim est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Et, *non venit Christus vocare iustos, sed peccatores.* Matth. 9. At neque continuò post lapsum conueniebat Christum incarnari. Primum vt quid natura, quid lex posset prius intelligeretur, ac tum earum imbecillitate ad iustificãdum hominem perspecta quemadmodum latè ostendit Apostolus in [F] duabus epistolis Rom. & Gal. tandem verus saluator mitteretur filius Dei. Deinde vt paulatim ad id quod perfectum est procederetur. In quo progressu prima est natura, secunda lex, tertia gratia. In his enim quod posterius est semper perficit id quod prius est, non contrà. Præterea vt idoneis testificationibus tanquam præconijs quibusdam multò ante prænunciaretur Filij Dei in carne aduentus, quod factum est per oracula prophetarum, per figuras, & sacramenta ac sacrificia legis antiquæ, tanquam vmbras futurorum.

S. Tho 3. par. q. 1. art. 5.

Vnde

Vnde Augustinus tract. 13. in Ioã. Quantò maior iudex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat. Addi potest & quarta ratio, ne post Christi aduentum feruor fidei tandem prolixitate tẽporis tepesceret. Nam quod ait Dominus, Luc. 18. *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* multò veriùs dici posset de tempore appropinquãtis iudicij, si iam inde à primis mundi temporibus Christus in carne venisset, idq; propter multò maius temporis spacium interiectum. Venit ergo missus à Patre Filius Dei, iuxta Apostolum Galat. 4. In plenitudine temporis. Hoc autem multipliciter exponi potest. Vel enim intelligitur tempus quo Deus implere voluit quod præfinierat & promiserat; vel quo implenda erat omnis varietas veterum signorum, quibus omnis Christi in carne dispensatio prænunciabatur, vel denique quò plenitudo gratiæ partim danda, partim manifestanda erat: tametsi magis ad primum vel secundum modum respexisse videatur Apostolus. Nam scripturæ consuetudine tempus impleri dicitur quando res aliqua fit in tempore, quod vel consueto naturæ ordine vel æterno Dei decreto constitutum est, vt in eo res illa fiat.

Porrò ad eam quæstionem quam de tempore aduentus Christi mouerunt olim pagani, dicentes: Si Christus salutis viam se dicit sine quo non sit salus, quid egerũt tot seculorum homines ante Christum, aut quare saluator sese tot seculis subduxit? respondet Augustinus epistol. 49. ad Deo gratias quæst. 2. statim ab initio, postquam peccato primi hominis iustitia deperdita fuit, cœpisse salutem hominibus & prædici, & præstari per Christum. Quicunque, inquit, ab exordio generis humani in eum crediderunt eumque vtcumque intellexerunt & secundùm eius præcepta piè & iustè vixerunt, quandolibet & vbilibet fuerint per eum procul dubio salui facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud patrem manentem, & qui in carne iam venerit, sic credebant in eum antiqui, & apud patrem manentem & in carne venturum. Et paulò pòst. Quid autem quando fiat, quod ad vnam eandemque fidelium & piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Et post multa cùm ostendisset ab initio non defuisse non solùm in populo Hebræo, sed & in Gentibus aliquos qui in Christum venturum crederent, concludit: Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ vsque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Hæc ille. In quibus verbis, quod dicit salutem Christianæ religionis nulli vnquam defuisse, qui dignus fuit, id quo sensu dictum intelligi debeat, petendum ex retract. Augustini lib. 2. capit. 31. Summa, quòd dignus fuit non ex meritis suis, sed ex gratia Dei. Cauendum est igitur ne ad illam paganorum quæstionem cum Pelagio respondeamus, qui docuit primos post peccatum homines saluatos fuisse per legem naturæ, posteriores per legem Moysi, postremos per euangelium Christi, quasi sine gratia Christi vel natura vel Moyses cuiquã potuerit prodesse ad salutem. Quam peruersam doctrinam omnis ea scriptura destruit quæ necessitatem gratiæ Christi astruit. Nam & generaliter à Petro dictum est. Actor. 4. præter Christum non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat saluos fieri: & Act. 15. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari*, quemadmodum & patres nostri. Et Paulus ait, Galat. 2. *Si per legem iustitia, ergo gr[…] Christus mortuus est*; Quod & de natura totidem v[…]bis dici potest. Et Rom. 8. *Nam quod impossibile e[…] legi.* &c. Et Christus vniuersalem protulit sente[…]tiam. Ioan. 10. *Ego sum ostium ouium. Omnes quotq[…] venerunt fures sunt & latrones.* Et 15. *Sine me nihil p[…]testis facere.* Hæc ergo salus vt ex Augustino iam [o]stendimus nunquam defuit humano generi, licèt [in] plenitudine temporis per ipsum Christum præd[i]cata & pretio sanguinis eius comparata, multò c[o]piosiùs exhibita, multoque latiùs diffusa sit, quà[m] ante eius aduentum.

§. 4. *Possibilem esse Dei incarnationem.*

FVit item quæsitum olim ab Ethnicis aduersu[s] Christianam religionem disputantibus, quo modo fieri potuerit, vt Deus humanam naturam si[bi] coniungeret in vnitatem personę, cùm Dei natu[ra] ab humana distet in infinitum.

Cui quęstioni respondet Augustinus epistola 3[…] ad Volusianum, & libr. 10. de Ciuit cap. 29. Collig[…] autem possunt partim ex dictis locis, partim aliund[e] hæ rationes, quibus id neque absurdum esse nequ[e] impossibile doceatur.

Prima. Deus per suam omnipotentiam pote[st] omne illud efficere, quod neque inuoluit in se con[]tradictionem, neque Deo tribuit imperfectionem[:] tale autẽ est plures naturas subsistere in vna perso[]na. Atque hoc argumento vsus est angelus ad bea[]tam Virginem, dicens: *Quoniam non erit impossibile a[]pud Deum omne verbum.*

Altera. Possibile est plura supposita coniungi i[n] vna indiuidua natura quemadmodum de sacrosan[]cta Trinitate habet fides Catholica, igitur & cont[ra] possibile erit plures naturas coniungi in vno sup[]posito. Veruntamen sicut illud non nisi in natur[a] diuina reperitur, neq; alibi inueniri potest, ita istu[d] reperitur in solo Christo; licèt per omnipotentiam Dei posset & in alijs fieri.

Tertia. Anima rationalis quæ est spiritus omn[i] extensione carens, ideoque à natura corporis diuer[]sissima, corpori tamen coniuncta vnum eundem[]que hominem constituit. Non ergo impossibile [f…] Deus humanæ naturę coniunctus, vnum in perso[na] constituat Christum. Vtitur hac comparatione A[]thanasius in symbolo dicens: Sicut anima rationali[s] & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus es[t] Christus. Vtuntur eadem interdum & alij patres. Hactenus autem persuadet hæc ratio, quatenus hoc probat ex duabus rebus natura diuersissimis aliquid personaliter vnum constitui posse.

Quarta. Eorum quæ similitudinem inter se habent, non modò possibilis sed & facilis est vnio; atqui humana natura diuinæ similis est vtpote ad imaginem & similitudinem Dei facta: igitur quantum est ex parte rerum coniunctarum possibilis, imò & facilis erit Dei coniunctio cum homine in vnitate personæ. Dico facilis, non quoad Deum cui omnia sunt æquè facilia, sed quoad rerum naturam & conditionem quæ minùs à se distant. Porrò etsi hæ rationes aliquatenus persuadent, non tamen demonstratiuè, neque euidenter probant. Cuiusmodi sanè probationem adferre de hoc mysterium quod superat omnem rationem; sicut & ad mysterium Trinitatis, impossibile putamus. Quare necesse est vt hac in parte, sicut in alijs multis quæ credimus, rationis defectum fides suppleat.

§. 5. *Cur potius filius, quàm Pater aut Spiritussanctus carnem assumpserit.*

S.Th. 3. q. 3. ar. 8.

AD quæstionem cur inter tres diuinitatis personas potiùs filius quàm Pater aut Spiritussanctus humanam naturam assumpserit, non est respondendum id propterea factum, quòd Pater & Spiritussanctus eam assumere non potuerint. Nam absque dubitatione credendum est æqualiter id à tribus personis fieri potuisse; quemadmodum & rationes suprapositæ, quibus possibilitas diuinæ incarnationis ostendebatur, æqualiter ad omnes personas diuinas pertinent, & ea maximè quæ ex omnipotentia Dei sumitur. Si enim subiicit omnipotentiæ diuinæ, vnire naturam creatam increatæ in persona filij Dei, æqualiter eidem subiecerit similem vnionem efficere in persona Patris vel Spiritussancti. Neque enim ratio reddi potest, cur in his minùs id fieri queat. Proinde aliæ rationes adferendæ sunt ad propositam quæstionem; cuiusmodi tres adferuntur à Magistro in textu, & ab aliis aliæ.

Vna igitur ratio huius diuini consilij reddi potest; quia conueniebat vt qui ab æterno erat Dei Filius ex Patre natus sine matre, idem in tempore fieret hominis filius ex matre nasciturus sine Patre. Quòd si enim Pater aut Spiritussanctus in tempore natus fuisset, nominum fieret confusio, quando in diuinis personis duo filij essent, dum alius æterna, alius temporali generatione filius diceretur. Hanc rationem tertio loco posuit Magister ex Gennadij libro de Ecclesiast. dogm. capite secundo.

Secunda ratio. Ne alicuius personarum singularis proprietas mutata videretur: Verbi causa: Patris proprietas est innascentia à qua videretur excidere, subiens natiuitatem, ex tempore. Ita Spiritussanctus quem genitum fides Catholica negat, per incarnationem genitus diceretur. Dum autem filius Dei factus est filius hominis, personalis eius proprietas; ipsa, inquam, natiuitas minimè transferri videtur, conueniente nimirum in vnam eandemque personam æterna ac temporaria generatione. Vrget hanc rationem Ioannes Damascenus libro quarto, Orth. capite quarto, inquiens inter alia: Propter quod filius Dei filius hominis fit, vt maneat proprietas immubilis. Filius enim Dei cùm esset, filius hominis factus est, incarnatus ex sancta Virgine, & non destitit à filiali proprietate

Tertia ratio, vt per eum fieret reparatio naturæ, per quem natura fuerat condita. Condita sunt autem omnia à Patre per Filium, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, & Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti.*

Quarta, vt per eum efficeremur adoptiui filij Dei, qui erat Filius Dei naturalis; quandoquidem eius, quod in aliquo genere posterius est, perfectio petenda est à priore in eodem genere. Ad hanc rationem alludit Apostolus Roman. 8 Vbi cùm nos dixisset secundùm adoptionem filios, subiecit: *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, eius nimirum qui filius est naturalis. Et postea: *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Et Galat. 4. *Misit Deum filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Quinta, vt per eum in carne conspicuum nobis manifestaretur voluntas Patris, qui ab æterno erat Verbum Patris; & vt qui ab æterno erat verbum intelligibile manens in patre, per carnem assumptam fieret verbum visibile exiens à Patre. Vnde ipse in euangelio testatur subinde se propterea venisse in mundum, vt patris sui voluntatem manifestaret hominibus.

Postrema, vt media in Trinitate persona mediatrix fieret inter Deum & hominem.

§. 6. *Quatenus incarnatio sit tribus personis communis.*

SOlum Dei filium incarnatum esse tenet Catholica fides, vt meritò iam olim hæreseos notati sint Hermogenes & Praxeas, qui docuerunt fieri non posse, vt filius carnem assumat vel passionem subeat sine patre cum quo sit eiusdem naturæ. Contra quorum errorem disputat Tertullianus in libro cuius titulus aduersus Praxeam. Videre etiam licet Epiphanium & Augustinum de hæresibus. Secuti postmodum sunt Sabelliani, qui & Patropassiani, qui patrem & natum & passum dicerent non minùs quàm filium, ex eo fundamento, quòd personas in Deo non distinguerent. Porrò similis error occasionem dedit Anselmo Cantuariensi scribendi librum de incarnatione Verbi ad Vrbanum Papam. His autem contra quos Anselmus disputat, errandi causa fuit, quòd etsi de Trinitate rectè sentirent, in considerando tamen incarnationis mysterio solùm attenderent ad vnitatem naturæ in Deo, non ad personarũ distinctionem. Vnio enim humanæ naturæ cum diuina non ad naturam facta est, quæ tribus est personis communis, sed ad personam ex tribus vnam, videlicet, Filij Dei, quæ persona cùm non sit communis aliis, consequitur id quod habet fides Catholica, nempe solum Dei filium assumpsisse naturam humanam.

Cæterùm quoniam & illud indubitatum est, opera Trinitatis quæ sunt ad extra, vt loquuntur, esse inseparabilia, ita vt quicquid vna trium personarum faciat, necessariò sit & reliquis tribuendum, consequens est incarnationem siue humanæ naturæ assumptionem in quantum operatio quædam est, & omnino quicquid in assumpta carne filius operatus est, esse tribus personis commune.

Verùm quia vnio illa humanæ naturæ cum diuina, quam incarnationem vocamus, facta est seu terminata ad solam filij personam (in ea enim fit vnio naturarum) idcirco dicuntur quidem omnes personæ eam vnionem & cætera quæ in vnita carne facta sunt, operatæ esse; sed solus filius dicitur incarnatus, solusque carnem assumpsisse, & vt interdum patres loquuntur, carnem induisse; vtpote qui solus fuerit operationis illius finis seu terminus secundùm notionem personalem: quemadmodum fieri potest vt tres aliqui cooperentur ad vestitionem, quorum vnus tantùm sibi vestem induat, eaque per consequens induatur, & vt plures eandem nauim trahant, sed ad vnum solum è pluribus.

Affert & aliam similitudinem Anselmus libro suprà memorato de fonte, riuo & lacu, quam ex

A ipso authore repetere licebit. Sed hæ similitudines quamuis vt cumque declarent non esse ab surdum quod credimus, rationem tamen ac modum huius mysterij ad plenam nobis aperire non possunt. Opus enim hoc vnionis in Christo factæ solus ille perfectè intelligit, à quo solo fieri potuit.

§. 7. *Cur Deus angelicam non assumpserit naturam?*

B S. Tho. 3. q. 4. art. 1. ad 3.

CHristum sua redemptione nec gratiam nec beatitudinem sanctis angelis contulisse, sed solius hominis in hanc miseriam prolapsi causa carnem assumpsisse, partim ex ijs quæ suprà ad hanc distinctionem, partim ex alijs quæ ad distinctionem tertiam libri superioris dicta sunt, manifestum reliquimus. Sed quæ sit caussa cur non assumpta sit ab eo angelica natura, ad liberandum ab æterna damnatione angelum lapsum, sicut ad hominem liberandum naturam assumpsit humanam, quæri solet. Nam testatur quidem C Apostolus Hebræorum secundo, Dei filium nunquam angelos apprehendisse sed semen Abrahæ apprehendisse. Verùm diuersitatis huius rationem non adiecit. Sanè præter diuini consilij inscrutabilem altitudinem qua homini lapso misericorditer succurrere voluit non angelo, dicente Apostolo Petro 2. Epistol. 2. *Quòd Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed iudicio suo reseruauit:* licebit & hic nobis aliquas caosas proferre, quibus id conuenienter & rationabiliter factum ostendamus.

Imprimis autem non ea assignanda est ratio, quòd talis vel assumptio, vel liberatio Deo D fuerit impossibilis. Non enim dubitandum est, & Deum angelicam naturam assumere potuisse, & hanc si Dei omnipotentiam spectemus, reparabilem esse, non minùs quàm humanam: sed sicut ex hominibus multos sinè relinquit expertes remedij generaliter in Christo propositi, ita mirandum non est si nullum angelicæ naturæ remedium reparationis post lapsum proposuerit. Vt enim in ijs qui liberantur, amplectenda est Dei misericordia, ita in ijs qui relinquuntur, laudanda eius iustitia. Hoc igitur excepto Dei iudicio, vna dictæ diuersitatis ratio hæc est, quia quem- E admodum dicit Ioannes Damascenus libr. secundo, capit. 4. Quòd hominibus est mors, hoc angelis est lapsus. Peccando igitur angelus terminum attigit, post quem merere ampliùs non posset; homo autem quia peccando non statim mortuus est corpore, ideo adhuc in via mansit, & facultatem merendi non amisit. Vnde reparator ei datus est per quem erectus à lapsu ad beatitudinem proficere merendo posset.

Altera ratio, quia non tota concidit natura angelica, sicut vno peccante tota cecidit humana, F ideoque magis quàm illa reparatione indigebat, ne tota in damnatione maneret.

Tertia, quia angelus magis liberè peccauit, quàm homo, vtpote nulla externa pulsatus aut persuasus tentatione, sed sola propriæ voluntatis à Deo auersione: homo verò tentatus ab alio, eoque callidissimo suggestore. Quare minùs indignus reparatione videri poterat.

Quarta, quia licèt primi parentes propria voluntate peccauerunt per superbiam & inobe-

A dientiam, posteri tamen solo tenentur originis peccato, cui quàm minimum inest voluntarij. At angeli omnes qui ceciderunt, propria voluntatis electione peccauerunt.

Postrema, quia assumptio naturæ humanæ magis pertinet ad vniuersi perfectionem quàm angelicæ. Hæc enim merè spiritualis est, illa ex corpore & spiritu composita. In quæ duo genera substantiæ diuiditur vniuersa creatura. Vnde assumendo hominem, quodammodo assumpsit Deus vtramque naturam spiritualem & corporalem.

B

IN DISTINCTIONEM SECVNDAM.

§. 1. *Christum esse verum Deum.*

C CIrca mysterium incarnationis Dominicæ multi exstiterunt errores, quos ferè omnes compendio excludit Magister, dum docet hac distinctione iuxta regulam fidei Catholicæ Christum esse perfectum Deum & perfectum hominem ex anima rationali & humana carne consistentem, vna cum earum potentijs omnibus naturalibus. Potest autem omnis illa errorum multiplicitas ad tria vel quatuor capita reuocari. Aut enim circa diuinam Christi naturam erratum est, aut circa humanam, aut circa vnionem ambarum, aut denique circa facultates naturales earum- S. Th. p. 3. q. ... & ... q. 2. ...
D que actiones. De primo & secundo errore disseritur hac distinctione, de reliquis postea dicetur suo loco.

Prima igitur hæresis est negantium diuinam in Christo naturam. Eius author primus fertur Carpocrates quidam; quem deinde secutus est Cerinthus, eiusque discipulus Ebion, qui omnes apostolorum temporibus vixerunt, & singuli suis sectis nomina dederunt, vt videre est apud Epiphanium, Philastrium & Augustinum de hæresibus.

Illorum doctrinam & alij quidam postmodum secuti sunt, sed præcipui, Paulus Samosatenus & E Photinus. Hi omnes ab ecclesia diuersis temporibus & locis pari consensu sunt condemnati, vt longa disputatione ad refellẽdam eorum hæresim non sit opus. Sanè quod ad primos illos attinet, qui apostolorum temporibus exstiterunt, testatur Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum aduersus illos Ioannem omnium nouissimũ scripsisse euangelium; idque vt faceret, rogatum ab Asiæ episcopis. Vnde præ cæteris hic euangelista diuinam Christi generationem, naturamque expressit. Id quod vel ex ipso euangelij initio patet; vbi F verbum illud quod paulò pòst carnem factum esse dicit, affirmat in principio extitisse apud Deum ipsumque adeo Deum fuisse, & non ipsum factum, sed cætera omnia per illud facta esse. Ad eundem scopum direxit idem Apostolus etiam primã suam epistolam Catholicam. Præter ea verò quæ apud Ioannem extãt apertissima diuinitatis Christi testimonia, passim & alia non pauca in scripturis leguntur, vt Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, Et Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus*

A *nedictus in secula.* Et Act. 20. *In quo vos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo:* Vbi vox illa, *acquisiuit*, nō ad alium quàm ad Deum referri potest. Denique vt rationem quoque ad rem tantam adferamus, si Christus non est Deus sed purus homo, vt supradicti hæretici docuerunt, non potuit igitur per mortem & passionem suam plenam exhibere satisfactionem pro peccatis totius mundi. Quare nec redemptor humani generis verè ac propriè dici poterit. Vrgent hanc rationem multis locis patres, vt Christum verum esse Deum ostendant, vt Augustinus, Leo, Fulgentius & alij.

B

§. 2. *Christum assumpsisse veritatem humanæ carnis.*

S.Tho. 3. q.5.ar.1.

ALtera hæresis versatur circa humanam Christi naturam quę cùm sit composita ex corpore & anima, alij de corpore, alij de anima eius perperam senserūt. Quod enim ad corpus seu carnem attinet, quidam vt Cerdon & Marcion, ac post eos Manichæus, docuerunt Christum non veram, sed phantasticam carnē assumpsisse; propterea quòd cum philosophis quibusdam sentirent corpus omne esse fugiendum; vtpote à malo principio ortum ducens, ideoque & ipsum per se malum. Quem errorem C infinitis propè locis contra Manichęus disputans destruit Augustinus: fontem autem erroris Manichęorum aperit in libro de hæresibus. Vbi & Priscillianistis similem tribuit errorem, quemadmodum & Leo epist. 93. capit. 8. Marcionis verò dogma refellit Tertull. libr. contra ipsum edito de carne Christi.

D Ad hanc hæresim confutandam sufficere nobis deberet perpetua doctrina ecclesiæ, eaque in scripturis apertissimè declarata. Si enim non veram sed phantasticam carnem Christus assumpsit, iam nec vera fuit eius ex matre natiuitas, nec veræ actiones & passiones humanæ; vt locutio, ambulatio, somnus, fletus, fames, sitis, crucifixio, mors ipsa. Quæ omnia nobis sacræ literæ tanquā vera narrant. Denique nec vera fuit resurrectio, nec vera ascensio in cælum: Falsumque erit illud euangelicum, *Surrexit Dominus verè*; & illud Propheticum. *Verè languores nostros ipse tulit*, Vana quoque erit tota illa ratiocinatio E Apostol. 1 Cor. 15 qua ex Christi resurrectione nostram vniuersalem resurrectionem statuere conatur. Quin potiùs verum erit quod ibidem tanquam absurdum colligit: *Si Christus non resurrexit inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Et quæ sequuntur. Sequetur & Christum falsum fuisse suæ resurrectionis testem; quando inter alia apud discipulos suos his verbis vsus est ad eam probandam: *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quæ profectò verba manifestè excludunt phantasma Manichæorum, vt quæ signi- F ficent Christum & ante & post resurrectionum non phantasticam (qualem se videre putabant discipuli, dicentes, *quia phantasma est*) sed veram carnem habuisse.

Postremò si phantastica fuit Christi caro, & per consequens phantastica tantùm & imaginaria eius passio & mors, quemadmodum conformiter docēt Manichæi: igitur nec verè per Christum redempti sumus, sed vanam & illusoriam salutem per Christum nobis promittunt scripturæ. Et, vt Apostolus, ait, *adhuc sumus in peccatis nostris.* Quæ omnia sunt eiusmodi, facilè vt intelligatur per ea subuerti fundamenta religionis Christianæ.

§. 3. *Christum non assumpsisse corpus celeste.*

ALius quidam circa Christi carnem error fuit dicentium Christum de cælo corpus attulisse cum quo in terra nasceretur. Ita senserunt olim Valentiniani, spirituale vel cæleste corpus Christo tribuentes. Quem proinde dicunt de virgine Maria nihil assumpsisse, sed per illam tanquam per riuum aut per fistulam transijsse, quemadmodum referunt Epiphanius & Augustinus de heresibus. Illorum secuti sunt errorem nostro seculo Anabaptistæ. S.Tho.3. q.5.ar.2.

Est autem & hic error sanæ fidei & scripturis manifestè contrarius. Christum enim non cælitus accepto corpore, sed ex semine Abrahæ & Dauidis natum atque ex muliere factum secundùm carnem scriptura sæpenumero testatur, vt Genes. 22. & 26. Psalm. 131. Matth. primo, Luc. primo, Actor. 2. Roman. 1. Galat. 4. & alibi. Quod etiam ex eo confirmatur, quoniam & scriptura & perpetua Ecclesiæ traditio beatam Virginem verè & propriè Christi matrem agnoscit, & vicissim Christum Virginis, imò & Dauidis & Abrahæ filium. Atqui mater propriè non est sicut nec pater, nisi de cuius substantia in similitudine naturæ fit alterius generatio. Vnde sicut Christus verè est filius Dei patris, quia de substantia patris genitus, eique consubstantialis; ita verè est filius hominis matris, quia de eius substantia secundùm carnem conceptus est & natus, quemadmodum in symbolo suo explicat Athanasius. His accedit genealogia Christi apud Matthæum & Lucam recensita, quæ perspicuè ostendit eum ex hominibus natum secundùm carnem. Deinde si cæleste & non terrenum corpus habuit Christus, non ergo passibilis neque mortalis fuit. Sunt enim cælestia corpora corruptionis expertia. Quare hac ratione tolletur beneficium redemptionis humanæ, quæ non nisi per passionem & mortem eius facta Catholicè creditur. Rectè igitur Augustinus in Psal. 56. Portabat terram Iesus, carnem quam acceperat de terra, videlicet matre sua. Nec verò suffragantur quicquam errori supradicto verba Ioannis Baptistæ, Ioan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur: Qui de cælo venit, super omnes est.* Neque illud Apostoli Pauli 1. Cor. 15 *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Priori enim sententia significatum est, eum qui non aliam quam ex terra originem habet, non nisi terrena atque humilia loqui ex semetipso; eum verò qui cælestem, id est, diuinam habet originem, hoc est Christum quatenus Dei filius est, ex semetipso seu ex propria natura habere vt loquatur cælestia, id est, diuina. Posteriori autem Christum qui de cælo est, id est, diuinam habet originem, per resurrectionem factum esse cælestem secundùm qualitates, id est, impassibilem, immortalem, gloriosum: Vnde & subdit: *Qualis cælestis, tales & cælestes*, nempe omnes electi *Cùm enim ille apparuerit similes ei erimus*, 1. Ioan. 3. *Et Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Philip. 3.

§. 4. Chri-

§. 4. *Christum habuisse animam rationalem.*

S. Tho. 3. q. 5. ar. 3. MEntem seu animam rationalem Christo adimere conati sunt veteres hæretici, Apollinaris, Arius, Eunomius, & alij nonnulli, tametsi in ea opinione nonnihil discordes. Nam alij solam sensitiuam animam ei tribuebant dicentes, verbum in Christo abunde implesse officia animæ rationalis. Alij ne sensitiuam quidem tribuerunt, propterea quòd & huius partes atque officia facilè in Christi carne exequi potuerit diuinitas. Contra hos indubitata fide tenendum est Christum fuisse & esse verum & perfectum hominem ex carne & anima rationali constantem, quemadmodum in Athanasij symbolo expressum est. Sublata namque vel carnis veritate vel anima rationali, veritatem humanæ naturæ tolli non est dubium. Sicut enim corpus est hominis pars materialis, ita rationalis anima est eius forma substantialis; quemadmodum in concilio Viennensi sub Clemente quinto, & in Lateranensi sub Leone 10. definitum est, & à nobis ostensum ad distinctionem 17. libri secundi.

Contrarium verò errorem destruunt omnes illæ scripturæ quæ Christo animam tribuunt, vt illud: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, &; *Animam meam pono pro ouibus meis*, &. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, &, *Nunc anima mea turbata est*, Et illud ad Patrem: *In manus tuas commendo spiritum meum*. Imò nec verè mortuus fuisset Christus nisi separatione animæ à corpore, quæ est mortis definitio: neque verè à mortuis resurrexisset, nisi iterata animæ cum corpore coniunctione, quæ est definitio resurrectionis. Sed ne multis rem apertam hodieque minimè controuersam prosequamur, sufficiet adiecisse verba Ioannis Damasceni ex libro 3. cap. 6. Omnia, inquit, quæ in nostra natura plantauit Deus, & verbum assumpsit, scilicet corpus & animam intellectualem & eorum proprietates. Totus enim totum assumpsit me, vt toti mihi salutem gratificaret. Quod enim inassumptibile est, incurabile est. Similia apud Ambrosium verba leguntur libro de incarnationis Dominicæ sacramento.

Quod verò obiici poterat ex Euangelio vbi dicitur: *Verbum caro factum est*, & non anima vel homo factum est, soluitur ab Augustino scribente in Psal. 56. vbi respondet carnem pro toto homine vsitatissima scripturæ locutione positam esse.

§. 5. *An Christus communem habeat speciem cum alijs hominibus.*

S. Tho. 3. q. 2. art. 3. in corp. QVæstioni qua quæritur, an sub vna & eadem specie cum alijs hominibus Christus contineatur, occasionem dederunt verba Magistri, & ab eo citati Damasceni. Dicit enim Magister naturam nō sic accipi in Christo, quomodo accipitur, cum dicitur vna natura esse omnium hominum. Damasceni autem hæc sunt verba lib. 3. cap. 3. Plurium ac differentium hypostaseon (de hominibus loquitur) vnā naturam dicimus, vnaquaque nimirum hypostasi duas naturas complectente & in duabus perfecta naturis, anima inquam & corpore. At in Domino nostro Iesu Christo nō est cōmunem speciem accipere. Nam neque fuit, neque est, neque futurus est alius Christus ex diuinitate & humanitate, atque in diuinitate & humanitate Deus perfectus, idemque

A homo perfectus. Hinc dicere non licet vnam es[...] naturam in Domino nostro Iesu Christo. Sic ill[...] Ex quibus apparet prima facie hoc eos sentir[...] Christum non habere communem speciem vel n[...] turam, cum alijs hominibus. Cuius sententiæ fal[...] tas patet ex suprà dictis. Si enim in Christo tot[...] perfecta atque integra est humana natura ex anim[...] rationali & corpore composita, qualis est in cæter[...] omnibus hominibus, certè negari non potest, Chr[...] stum in eadem communi specie cum alijs homin[...] bus contineri, atque ea ratione collocari in præd[...] camento substantiæ.

B Cæterùm Damasceni verba (à cuius senten[...] non recedit Magister) propiùs introspecta longè [...] lium sensum præferunt. Dicta enim sunt, vt ex con[...] sequentibus patet, contra Dioscorum, Euty[c]hen [...] Seuerū hæreticos, qui ex duabus naturis in Chri[...] sto vnam conflari naturam dicebant, sicut ex an[...] ma & corpore vna hominis natura. Hæc igitur ve[...] borum Damasceni sententia est: In hominibus du[...] naturas, sed incompletas, animam scilicet & corpu[...] conuenire in vnam naturam perfectam & compl[...] tam, videlicet humanam: quæ nec est anima n[...] corpus, sed compositum ex ambobus vnam hyp[...] stasim constituentibus. In Christo autem duas n[...]

C totas diuinam & humanam non conuenire ad v[...] constituendam naturam (sic enim Christus ve[...] neque homo neque Deus dici posset) ideoque [...] Christo non posse accipi vnam communem sp[...] ciem seu naturam quæ multis indiuiduis comm[...] nicetur sicut in alijs hominibus. Nam vt ibide[...] Damascenus docet, Christus nomen est person[...] quatenus in ea duæ naturæ, diuina & humana c[...] ueniunt. Hoc autem vnam aliquam speciem plu[...] bus suppositis communicabilem non constitui[...]

D Porrò Eutychetis & sectatorum eius opinione damnauit synodus Chalcedonensis, & quæ ea secuta est secunda Constantinopolitana, am[b...] œcumenicæ, quarum posterior can. 8. sic statu[it] Si quis ex duabus naturis Deitate & humanita[te] confitetur vnitionem factam esse vel vnam nat[u]ram verbi incarnati dicit &c. Anathema sit.

§. 6. *Quo ordine partes humanæ naturæ sunt assumptæ à verbo.*

E DOcet Magister hoc ordine diuinum incarn[a]tionis opus factum esse, vt verbum sit vnitu[m] animæ mediante spiritu, & corpori mediante anim[a] ideoque priùs vnitum fuisse spiritui quàm anim[æ] & priùs animæ quàm corpori. Quæ doctrina sum[p]ta est ex Augustino lib. de agone Christiano ca[p.] 18. & epistola 3. ad Volusianum. Item ex Ioan[n.] Damasceno lib. 3. cap. 6. Quam rem etiam fusi[us] tractat author libri de spiritu & anima cap. 9. & 1[...] inter opera Augustini. Verùm circa hanc doct[ri]nam ne quis erret, duo notanda sunt. Alterum, h[...] duo spiritum & animam non diuersarum re[r]u[m]

F nomina esse, sed vnius eiusdemque, videlicet anim[æ] rationalis diuersa signare officia. Spiritus enim se[u] mens intelligitur superior animæ portio, quæ d[i]uina atque æterna contemplatur: anima verò pa[rs] eiusdem inferior quæ humanis & temporalibus i[n]tendit. Ita enim hæc ab Augustino subinde disti[n]guuntur. Alterum, neque temporis, neque positio[n]is ordinem hac doctrina significari, sed natur[æ] duntaxat. Quod enim ad ordinem temporis attine[t] fide tenendum est, non successione aliqua tempo[ris], sed simul codemque instanti, omnes huma[næ]

naturæ partes à filio Dei assumptas fuisse; quemadmodum docet Fulgentius de fide ad Petrum cap. 18. & Gregorius lib. 18. moral. cap. 35. al. 36. ad illud *Non adæquabitur ei topazius*, & Ioannes Damascenus lib. 3. cap. 2. Qua de re extant canones synodi quintæ vniuersalis, quorum verba habentur apud Nicephorum lib. 17. cap. 28.

Iam verò multò minùs hic fingendus est ordo positionis, qui in sola corporum coniunctione locum habet. Imò nec talis ordo intelligi debet, quo ita aliqua vniuntur alio mediante vt hoc sublato, illa dissoluantur & vnio pereat. Nam in Christi morte quando separata fuit à corpore anima, diuinitas nihilominus inseparabiliter mansit corpori coniuncta.

Restat igitur vt solùm naturæ vel dignitatis ordinem hîc intelligamus. Cùm enim Deo secundùm naturam similior propiorque sit spiritus quàm anima, & anima quàm corpus, talis ordo rectè in harum partium assumptione constituitur: Vt ea pars quæ ad Dei puritatem naturę similitudine propiùs accedit prius intelligatur Deo vnita, tanquam ad huiusmodi excellentissimam vnionē cæteras aptior per quam velut mediam ea quæ naturæ ordine proxima est, eiusdem vnionis capacior efficeretur.

IN
DISTINCTIONEM TERTIAM.

§. 1. *Carnem à verbo Dei assumptam sine peccato, deq; eius mundatione.*

S. Tho. 3. q. 15. art. 1 & 2. q. 34.

SVperiori distinctione ostendimus, carnem à verbo Dei assumptam non cælestis substantiæ fuisse, sed ex virgine matre acceptam nostræque per omnia similem, quantum ad substantiam & naturam carnis attinet. Vnde Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. Hanc, inquit, carnem non cælestis non æthereæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius cuius est omnium hominum caro. Hîc verò adiiciendum est, recta fide tenendum esse, eandem Christi carnem sine macula originalis peccati, & omnino sine fomite seu concupiscentię vicio ex virgine conceptam natamque esse. Nam vt angelus ait ad Ioseph. Matth. 1: *Quod in ea natum est, de spiritusancto est*, & ad virginem Luc. 1: *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei*. Et tota ecclesia in symbolo confitetur, Christum conceptum & incarnatum de spiritusancto. Vnde & Fulgentius eodem loco sic ait, Illa caro quam Deus ex virgine sibi vnire dignatus est, sine vicio concepta, sine peccato nata est. Quod & sequitur ex generali sententia Apostoli Heb. 4. qua omne peccatum à Christo excludit, cùm dicit eum tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. His accedit quod patres docent idcirco Christum ex virgine natum sine concubitu coniugali, vt caro eius nullam peccati originalis labem contraheret; Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. & 26. Ambrosius, Augustinus. Idem ostenditur manifesta ratione eaque duplici. Vna, quia caro illa ab initio conceptionis fuit caro filij Dei. Quare si vel momento subiacuisset peccato aut concupiscentiæ vicio, consequens foret Deum aliquando fuisse peccato obnoxium, aut labe concupiscentiæ infectum, idque propter idiomatum communionem. Si enim caro peccato subiecta fuit, igitur & anima, & per consequens ipse homo idemq; Deus. Hoc autem & absurdum est & impossibile.

Altera, quia si caro Christi fuit aliquando obnoxia peccato, redemptor ipse habuisset carnem redimendam, & qui alijs liberandis venerat, ipse opus habuisset alio liberatore. Quam rationem insinuat Apostolus Rom. 8. cùm dicit Deum misisse filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, & vt iustificatio legis impleretur in nobis. Alioqui enim sicut legi ita & Christo impossibile fuisset auferre peccata, fatendū igitur est carnem illam, antequam à filio Dei in vnitatem personæ assumeretur, vel certè in ipso conceptu ab omni macula non tantùm peccati sed & concupiscentiæ mundatam. Cùm enim tota humani generis massa ex propagine Adæ descendens cōtagio concupiscentiæ viciata fuerit, hinc etiam non est dubitandum, quin caro illa quam sibi Christus per incarnationem vniuit in progenitoribus peccato & concupiscentiæ carnali fuerit obnoxia, idque vsque ad beatissimam eius matrem. Quare eiusdem carnis mundatione opus fuit, vt filio Dei hypostaticè vniretur: in quo non iam esset caro peccati, sed tantùm gerens similitudinem carnis peccati, quę in progenitoribus habuerat veritatem carnis peccati. Quando autem mundatio illa carnis perfecta fuerit ex veterum doctrina non est perspicuum. Augustinus enim lib. 2. de peccatorum meritis cap. 24 ambiguè de tempore mundationis loquens sic ait: Solus ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit vnquam, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profectò aut suscipiēdum mundauit, aut suscipiendo mundauit; id est, aut mundauit ante susceptionem aut in ipsa susceptione. Et Gregorius Nazianzenus in oratione 38. quæ est panægyrica in natiuitatem Christi, dicit beatam virginem priusquam conciperet, animo & corpore purgatam fuisse: quod & repetit oratione 2. in pascha, quæ est 42. Ioannes verò Damascenus lib. 3. cap. 2 orthodoxæ fidei tempus huius mundationis facere videtur in ipso conceptu filij Dei, sic inquiens: Post consensum S. Virginis Spiritussanctus superuenit in eam, iuxta Domini verbum ab angelo nūciatum, purgans eam, & virtutem diuinitatis verbi susceptiuam præbuit, simul & generatiuam. Eadem videtur Magistri sententia in textu indicata his verbis: Mariam totam spiritussanctus in eam præueniens à peccato prorsus purgauit & à fomite peccati etiam liberauit, vel fomitem ipsum penitus euacuando, vt quibusdam placet, vel sic debilitando & extenuando, vt ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit. Hæc ille. Quæ verba multiplicem apud Scholasticos disputationem pepererunt, quam apud illos circa præsentem distinctionem videre licet: nimirum de peccato, & peccati fomite in beata Virgine, deque vtriusque ablatione atque ipsius virginis vel sanctificatione, vel præseruatione à peccato. De quibus & nobis aliquid hoc loco breuiter dicendum est.

§. 2. *Quæstionem de conceptione beatæ Virginis in peccato vel sine peccato, non pertinere ad fidem.*

PErcelebris est & à quibusdam maiori quàm oportuit contentione agitata quæstio, virùm beata virgo fuerit communi lege concepta in pec- S. Tho. 3. par. q. 27 ar. 2.

cato

cato originali, an verò singulari priuilegio ab illo peccato in sua conceptione præseruata. Quæ quæstio primùm exorta & agitari cępta videtur circa tempora Bernardi, vt apparet ex epistola eius 174 quę est ad canonicos Lugdunenses. De ea verò hoc imprimis tenendum est, non esse illam ex earum numero quæstionum, quarum pars altera fidei sit, altera fidei aduersetur, sed problematicis quæstionibus annumerandam esse, de quibus fide & charitate salua vtrumlibet sentire liceat; propterea quòd nondum in alterutram partem Ecclesiæ iudicio sint definitæ. Patet id imprimis ex constitutione Sixti 4 edita anno 1483. quæ habetur lib. 3. extrauagantiũ communium titulo de reliquijs & veneratione sanctorum cap. Graue nimis. In qua pontifex damnat tam eorum assertiones qui affirmant tenẽtes beatam virginem pręseruatam fuisse à peccato originali per hoc hæresim incurrere vel mortaliter peccare, quàm eorum qui opinioni contrariæ crimen hæresis vel mortalis peccati impingunt; cùm nondum, vt ait, ea quæstio à Romana Ecclesia & apostolica sede sit decisa. Renouarunt hanc constitutionem patres concilij Tridentini sess. 5. in fine decreti de peccato originali; vbi & declarant non esse suæ intentionis in eo decreto vbi de peccato originali agitur, comprehendere beatam virginem. Denique Pius quintus in quadam constitutione cuius initium est, super speculam Domini, rursum innouans ea quæ super hac quæstione per Sixtũ quartum & concilium Tridentinum statuta fuerãt, grauiter eos increpat, qui cum de hoc argumento sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, necessarium est; cùm Romana ecclesia de ea re vsq; ad id tempus nihil definiuerit. Quapropter liberam cuique facultatem relinquit, opinandi huius cõtrouersiæ quamlibet partem; prout vel magis piam vel magis probabilem iudicauerit. Et quam diu per Apostolicam sedem neutra pars definita fuerit, viris doctis licere vult in publicis academiæ disputationibus, aut alijs id genus congressibus de illa quæstione disserere, & argumentis vtramlibet partem vel asserere vel impugnare, dum tamẽ neutra velut erronea præiudicetur.

§. 3. *Argumenta in partem priorem dictæ quæstionis.*

S. Tho. vbi sup.

VT intelligatur vtri parti dictę quæstionis plus probabilitatis insit, proponenda sunt vtriusque partis argumenta, non quidem omnia quæ in hac disputatione à quibusdam congeri solent, sed ea tantùm quæ plus ponderis habere videntur. Ea igitur pars quęstionis quæ beatæ virgini in sua cũceptione peccatum originale asscribit, primùm scriptura, tũ authoritate patrum & numero Scholasticorum, deinde & ratione nititur. Nam scripturæ quæ testantur humanum genus obnoxium esse peccato originali, generales sunt, nullam indicantes exceptionem; nisi in eo qui vt peccatum damnaret, sine peccato apparere voluit, in similitudine carnis peccati. Loca sunt Rom. 3. *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Rom. 5. *Per vnum hominem, &c. In quo omnes peccauerunt.* Iob 25 iuxta versionem 70 *Nemo mundus à sorde, ne infans quidem*, &c. Præcipuam verò argumenti vim habere videtur illa conditionalis apud Apostolum 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Cùm enim absoluta veritas illius intelligatur in antecedente necesse est eandem

A retineri in consequente. Non enim dubium quin pro omnibus sine exceptione hominibus mortuus sit Christus. Quare necessariò consequens erit (si bona est Apostoli argumentatio) omnes sine exceptione homines mortuos esse ea morte de qua Apostolus loquitur, videlicet morte peccati: pro qua abolenda mortem corporis sustinuit Christus. His generalibus scripturæ testimonijs, accedunt & patrum generales sententiæ quibus illi similiter nullam nisi in homine Deo exceptionem admittere videntur. Cuius exceptionis indicandæ causa interdum sententiam generalem restringunt ad eos qui

B communi lege naturæ, id est ex concubitu viri & mulieris concepti sunt; quemadmodum facit Fulgẽtius de fide ad Petrum cap. 2. & 16. addens Christũ propterea ex virgine nasci voluisse, vt sine peccato nasceretur, & Augustinus lib. 1. contra Iul. cap. 4. citans ex commentario Ambrosij in Isaiam qui hodie non extat, hęc verba: Seruatum est, vt ex viro & muliere nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis. Idem Augustinus lib. 6. contra Iul. cap. 4. dicit nusquam legi in diuinis authoritatibus, mortuum esse Christum etiam pro eis qui nullum

C habuerunt omnino peccatum. Et constanter affirmat Christum non nisi pro peccatoribus mortuũ; vt ostendat etiam paruulos pro quibus haud dubiè Christus mortuus est, non nasci sine peccato. Ad quod probandum, cùm citasset Apostoli sententia, *Si vnus pro omnibus mortuus est*, &c. ostendit, inquit, fieri non potuisse vt moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus, & quæ sequuntur. Item lib. 4 contra 2. epistol. Pelag. cap. 4. singularem hanc esse dicit mediatoris prærogatiuam, vt sine culpa

D mortem patiatur indebitam. Et epistola 57 solo excepto lapide angulari omnibus hominibus necesse esse renasci. & tract. 84 in Ioan. Vnus est solus, inquit, qui & carnem hominis habere, & peccatum potuit non habere. Similia sunt apud eundem loca tract. 4 & 36. in Ioan. lib. 20 de ciuit. cap. 6. & q. 33 in Numeros. Item apud Maximum serm. 1. & 2. de ieiunio quadragesimæ, & passim apud alios scriptores veteres.

Verùm quia hæc ita generaliter ab illis dicuntur, vt tamen peculiariter beatam virginem nõ nominent, idcirco non tantum ponderis habent ad

E probandum, quantum ea loca in quibus expressè beatæ virgini peccatum originale tribuitur. Neque hîc ea loca proferenda sunt, quę purgationem animi beatæ Virginis asscribunt, de quibus postea suo loco (Potest enim purgatio intelligi tantùm à fomite peccati, licèt peccatum non præcesserit) Sed ea in quibus aperta est peccati mentio. Sunt autem ista. Ambrosius in Psal. beati immaculati, dicit Christũ in carne quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuisse. Augustinus conc. 2. in Psal. 34. dicit Mariam ex Adam mortuam esse pro-

F pter peccatum, carnem autem Domini ex Maria mortuam esse propter delenda peccata. Et libro 2. de peccatorum meritis cap. 24. Solus, inquit, Christus peccatum nullum habuit vnquam, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Et lib. 10, de gen. ad lit. cap. 18. dicit carnem virginis de peccati propagine conceptam, corpus autem Christi, quia non sic in ea cõceptum est, quomodo fuerat illa concepta, non fuisse carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati. quod & similibus verbis repetit cap. 20. Fulgentius lib. de incarnatione cap. 6. Caro, inquit, Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat

fuerat humana solemnitate concepta, caro fuit vtique peccati. Maximus in serm. de assump. B. Virginis dicit eam in vtero matris mundatam & sanctificatam à contagione originalis culpæ. Eusebius Emissenus serm. 2. de natiuit. Domini neminem à nexu peccati originalis immunem extitisse: nec ipsam genitricem redemptoris. Anselmi quoque aperta sententia est lib. 2. cur Deus homo cap. 16. & de conceptu virginis cap. 18. & Bernardi in epistola ad Lugdunenses Canonicos quæ est 174. vbi ex professo diuersam opinionem oppugnat. Item in serm. 2. de assumptione virginis.

Proferuntur ad huius rei probationem & alij authores, vt Remigius in Psal. 21. & Erardus quidā in sermone de natiuitate beatæ virginis. Sed hi minùs in ecclesia celebres sunt. Subiungere autem superioribus licet Hugonem parte 1. lib. 2. cap. 5. & Magistrum in hac distinctione vbi dicit iuxta sanctorum attestationis conuenientiam sanè dici posse & credi oportere, quòd caro verbi priusquam assumeretur, fuerit peccato obnoxia, sicut reliqua virginis caro; sed spiritussancti operatione ita mundatam, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur verbo &c.

Porrò quæ sit Scholasticorum communis ac penè concors sententia, non est obscurum. Nam S. Thomas, Bonauentura, Albertus Magnus, cæteri que ferè omnes hanc quæstionis partem sine ambiguitate amplectuntur. Eamque præter authoritatem scripturæ & maiorum traditionem, etiam rationibus conantur stabilire.

Rationes autem quæ apud illos leguntur ferè fundatæ sunt in vna generali ratione liberationis, redemptionis & saluationis quę est per Christum. Hæc enim officia Christo respectu generis humani tribuuntur in ordine ad peccatum. Nam vt angelus ait: *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum;* & ipsa virgo Christum saluatorem suum fatetur dicēs: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Liberat autē & redimit Christus hominē à triplici seruitute videlicet diaboli, peccati & mortis. Quare consequens videtur & beatam virginem alicui peccato obnoxiam fuisse, quod non dubitatur, Christus eam verè liberauit, redemit, saluauit, & verè pro ea mortuus est. Aliam rationem addit diuus Thomas parte 3. q. 27. art. 2. ideo videlicet eam contraxisse origioalc peccatum, quia concepta fuit ex carnali commixtione vtriusque sexus. Et hanc rationem subinde patres indicant, vt ex superioribus testimonijs Ambrosij, Augustini, Fulgentij intelligi potest.

Alia quoque ratio sumitur ex pœnis seu pœnalitatibus & doloribus, quibus secundùm corpus & animam subiecta fuit. Quæ iuxta primam diuinæ iustitiæ ordinationem nulli rationali creaturæ inferuntur, nisi merito, vel occasione præcedentis alicuius peccati; quemadmodum compluribus locis docet Augustinus.

§. 4. *Alterius partis argumenta.*

NVnc ea proferēda sunt argumēta quibus ostēdi videtur beatā virginam nulli vnquam peccato ne primo quidem conceptionis suæ momento subiacuisse. Et quia reuera nullæ sunt scripturæ quę literali sensu acceptæ probabilem huius sententiæ significationem præbeant; ex mystico autem intellectu, qui & varius & incertus esse solet, sumi non potest solida probatio; ideo primum ex authoritate

A Doctorum Ecclesiæ, deinde & aliūde petenda sunt ad hanc rem argumenta. Et quidem ex patribus Ambrosius, Augustinus & Anselmus, quorum sententiæ suprà in contrarium allatæ sunt, etiam in hanc partem testes proferuntur. Ambrosius enim in Psal. 118. ad vltimum versum sic ait: Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati. Augustinus autem lib. de natura & gratia cap. 36. Excepta, inquit, sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus

B cum de peccatis agitur, habere volo quæstionē, inde enim plus scimus quòd ei plus gratiæ collatū fuerit ad vincēdum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Sic enim legunt Magister hac distinctione §. b. & B. Thomas parte 3. q. 27. ar. 4. tametsi manuscripta in Augustino paulò aliter habeant, nampe: Vnde enim scimus quid ei plus gratiæ &c. Anselmi verò in lib. de conceptione virginis cap. 18. leguntur hæc verba: Decebat vt illius hominis (scilicet Christi) conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate qua

C maior sub Deo nequit intelligi virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum ita dare disponebat: vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei patris & virginis filius &c. Hue allegatur etiam S. Thomas in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. vbi dicit beatam virginem à peccato originali & actuali fuisse immunem.

Porrò inter Scholasticos hanc sententiam tenent Scotus, Franciscus de Maronis & alij, pauci quidem ex antiquioribus scholæ doctoribus, recē-

D tiorum autem plurimi. Quibus intercessit demum determinatio concilij Basiliensis sess. 36. facta his verbis. Nos diligenter inspectis authoritatibus & rationibus &c. doctrinam illam asserentem gloriosam virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, tāquam piam & consonam cultui ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ scripturæ approbandam fore & tenendam & amplectendam definimus & declaramus; nullique de cætero licitum esse in contrariū prædicare seu docere. Hæc ibi. In

E quibus verbis & aliud indicatur argumentū sumptū ex cultu ecclesiastico. Quo nimitū per omnes Ecclesias celebratur festum conceptionis beatissimæ virginis. Quod vtique non rectè fieri videretur, si concepta fuisset in peccato. Quin & omnibus ijs qui missam & officium conceptionis gloriosæ virginis desuper compositum in die festiuitatis & per octauas deuotè celebrauerint & dixerint, aut ijs interfuerint, Sixtus 4. in extrauagaoti, quæ incipit, Cùm præexcelsa, eandem prorsus indulgentiā concedit, quæ ab Vrbano 4. concessa est celebrantibus vel audientibus officium de festo corporis Christi.

F Ratio verò huius sententiæ potissimùm ex pietate sumitur. Valde enim piū videtur credere quòd Christus, qui cùm sit Deus, omnia potest, matrem suam dilectissimam putam & integram præseruauerit ab omni prorsus macula peccati tam originalis quàm actualis; præsertim cùm id lex naturæ postulare videatur, quę iubet honorare parentes. Vsque adeo autem pietati congruere videtur hæc sententia, vt piæ multorum fidelium aures opinionem contrariam audire non sustineant. Ex qua etiā consideratione dixisse videtur Augustinus loco suprà citato de beata Virgine propter honorem Domini,

cùm

cùm de peccatis Domini agitur, se nullam prorsus quæstionem habere velle.

§. 3. *Collatio argumentorum vtriusque partis.*

S. Tho. vbi sup. QVamuis neutrius partis argumenta sint eiusmodi vt probent alterutram fide tenendam esse, ea tamen quæ pro priori parte producta sunt baud dubiè plurimum ei conciliant probabilitatis ex scriptura & vetustate, maximè propter ea sanctorum patrum dicta, quibus nominatim designata est beata virgo. Quæ quidem in diuersum aliquem sensum, nisi admodum violentè trahi non possunt. B Nam quæ ex patribus pro parte posteriori producta sunt, cùm non meminerint specialiter originalis peccati, facilè per alias speciales eorumdem patrum in contrarium sententias limitationem accipiunt; vt intelligantur tantùm locuti fuisse de peccatis actualibus, quemadmodum clarū est inspicienti locū ex quo sumpta est Augustini authoritas, tametsi, vt ibi diximus, manuscripta non assertionē habēt sed interrogationem: Vnde enim &c. Anselmum verò Bonauentura in hanc distinctionem scribens rectè interpretatur locutum de ea puritate virginis, quā habuit quando concepit filium Dei. Dicit enim de C matre purissima, qua puritate vt idem Bonauentura exponit, maior sub Deo intelligi nequit ratio nabiliter: cùm extra controuersiam sit maiorē esse posse, si attendamus absolutā Dei potentiā. S. Thomas verò scribens in 1. sent. dist. 44. art. 3 ad 3. subtiliùs respondet puritatem attendi per recessum à contrario: & proinde posse inueniri creatū aliquid, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talem fuisse dicit puritatem beatæ virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit, nempe quando facta D est mater Dei: quia scilicet fomes qui est materiale in peccato originali, tunc in ea fuit exstinctus, & per consequens nec ad actualia peccata sensit inclinationem. Et hæc est vera mens sancti Doctoris, vt qualibet manifestissimè & constanti asseueratione doceat beatā Mariā in peccato originali fuisse conceptā, etiam in eodem opere in hanc distinctionem Deinde nimis absurdum Sancto Thomæ eam opinionem ascribere, quam nullus doctor ante eum tenuit, vt testatur coætaneus Bonauentura, cùm non E soleat Thomas esse author nouatum opinionum, sed libenter sequi quantum licet communē doctrinam, propter quod & à quibusdam doctor cōmunis vocatur.

Iam si ad Scholasticos descendamus, satis ex collatione apparet sententiam posteriorem à priori tam numero quàm authoritate superari. Imò & Scotus ipse valde cunctanter ac trepidè suam proponit opinionem. Scribens enim in hanc distinctionem, cùm dixisset communem opinionem esse quòd beata virgo concepta sit in peccato, ac deinde tres opiniones possibiles subiecisset, ait: Quid horū trium sit factum, Deus nouit. F Et addit: Si authoritati ecclesiæ, vel authoritati scripturæ non repugnet videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ. Et postea. Si teneatur pars negatiua, ad authores in contrarium respondetur. Ex quibus patet eum nihil absolutè ausum de hac quæstione pronūciare. Franciscus autē Maronius circa hanc eandem distinctionem dicit: Nō obstante eo quòd beata virgo fuerit præseruata à peccato originali, propter dicta tamen sanctorum possumus dicere, quòd aliquo modo peccatum originale contraxit. Quibus verbis fatetur dicta Sanctorum ad priorem sententiam recendam vehementer vrgere. Sanè Bonauentura in præsentem distinctionem simpliciter ita pronunciat, dicens: Nullus inuenitur dixisse de ijs quos audiuimus auribus nostris, beatam virginem fuisse ab originali peccato immunem in sui conceptione. Neque verò concilij Basiliensis definitio magnam probabilitatem adferre potest posteriori sententiæ, multoque minùs fidei certitudinem. Fuit enim synodus illa schismatica eo potissimùm tempore quo decretum illud de conceptione virginis expositum est. Cùm enim sess. 34. contra indubitatum ecclesiæ caput Eugenium 4. schismatico spiritu mota, eundem pontificatu priuasset, subsequente sess. 36. hoc de conceptione decretum conditum est. Testatur id pleniùs acta eius concilij, & Pij 2. constitutio seu bulla retractatoria super ijsdem actis. Quanquàm & ex duabus constitutionibus altera Sixti 4. altera Pij quinti, supra allegatis perspicuum est hanc quæstionem esse adhuc indecisam, & proinde inualidā ab ijsdem pontificibus iudicari Basiliensis concilij super eadem quæstione decisionem. Quibus accedit, quòd durante adhuc synodo Basiliensi congregata est authoritate Eugenij Florentina synodus conuenientibus ad eam tam Græcis quàm Latinis ex toto orbe Episcopis; in qua nulla addita exceptione, inter fidei dogmata traditur, firmiter credere Romanā ecclesiā, neminē vnquam ex viro fœminaque conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per fidem mediatoris qui sine peccato conceptus &c. Sed & verba definitionis Basiliensis quibus dicitur doctrinam illam fidei Catholicæ & sacræ scripturæ consonam esse, nulla tamen addita eius rei probatione, satis arguunt, inconsultā & temeratiam fuisse illam determinationem. Ex quibus omnibus facilè intelligitur, quòd quia cōcilium schismaticū præsumpsit hoc definire, propterea Deus permisit ipsum errare. Vnde argumentum hoc magis pro altera facit sententia. Suspectum enim esse debet quod schismaticis in schismate congregatis nouum & insolitum statuere placuit.

Plus ponderis habet argumentum ex cultu ecclesiastico petitum. Cui tamen Diuus Thomas cum plærisque ita respondet; vt dicat celebrari festum conceptionis beatæ Virginis ratione sanctificationis eius factæ in vtero matris, siue illa sanctificatio ipso conceptionis momento facta præuenerit atq; excluserit labem originalis peccati, siue virginē iam conceptam ab ea mundauerit. Quia enim incertū est quo die quoue temporis momento sanctificatio illa facta sit, rectè ecclesiam illius sanctificationis memoriā agere die anniuersario conceptionis eius.

Alij verò respondent non minùs probabiliter, festum conceptionis celebrari non propter ipsius conceptionis, qualitatem & modum; sed quia festiuitate annua voluit ecclesia recolere beneficium diuinum, quo factum vt illa conciperetur quæ postea nobis ederet saluatorem. Nam & ecclesiæ multæ celebrant festum conceptionis Ioannis Baptistę 24. Septembris. Quod & habetur in menologio Græcorum & in martyrologijs Bedæ. & Vsuardi quorum alter ante 900. alter ante 800. annos vixit: non quod opinentur eum sine peccato fuisse conceptum, sed ob recordationem beneficij diuini per eius conceptionem, qui præcursor Domini futurus erat, quodammodo inchoari, quemadmodū ipsum illius festi officium testatur. Vnde & in officio diuino conceptionis beatę virginis, quo nunc tota Romana ecclesia vtitur, nulla fit nec præseruationis à peccato nec sanctificationis mentio; sed ideo conceptionem

ceptionem illam se annua solemnitate celebrare significat, qui per eam gaudium cepit vniuerso mundo. Cuius ratio additur quòd per virginem conceptam ortus sit sol iustitiæ Christus Deus noster; aliæque similes rationes in eodem officio indicãtur. Voluit enim ecclesia fideles suos multipliciter ad recolenda redemptionis suæ beneficia excitare. Porrò indulgentiæ non opinioni, sed deuotæ illius festi celebrationi concessæ sunt.

Ad rationem quæ ex pietate sumitur, grauiter à Bernardo in epistola 174. & Bonauentura in præsentem distinctionem responsum est. Nam ille pietatem cum scientia & iudicio coniunctam exigit, hic verò communem sententiam ex eo securiorem esse docet, quia magis consonat fidei pietati, quæ Christum redemptorem & saluatorem omnium agnoscit & pro omnibus mortuum confitetur. A qua generalitate non sit excludenda beata Virgo, ne dum matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur: Et sic in filio mater prouocetur, quæ magis vult filium extolli & honorari quàm seipsam.

Licèt autem ad generalem illam rationem quæ sumitur à morte & redemptione Christi pro omnibus facta; possit fortasse nonnulla probabilitate responderi, hactenus beatam Virginem dici redemptam à Christo: quia à peccati seruitute in quam alioqui ex communi lege natiuitatis humanæ prolapsura erat præseruata est: & mortuam esse secundùm Apostolum, quia certò morti animæ, id est peccato subiicienda, nisi speciali priuilegio præseruata fuisset. Quoniam tamen hæc exceptio neque scripturæ neque traditioni antiquæ satis consentanea inuenitur, ideo probabilitas hæc exigua & admodum, stantibus ex aduerso tot tantisque testibus, tam scripturæ quàm traditionis antiquitate nitentibus, vt rectè in sua constitutione, de qua suprà, indicauerit Pius 5. alteram quidem sententiam magis piam, alteram verò magis probabilem videri.

Quod autem ad laudes beatissimæ virginis & in genere sanctorum attinet, vt sciamus quales illæ esse debeant; quia ea in parte non defectu tantùm, sed & excessu interdum peccatur, adiiciendas hîc censeo tres quatuorue Sanctorum sententias. Ait enim Augustinus scribens in Psal 94. Securitas laudis in laude Dei est. Ibi laudator securus est, vbi nõ timet, ne de laudato erubescat. Et Chrysostomus hom. 60. ad popul. Ant. honorato iucundissimus honor quem ipse vult, non quem nos putamus &c. Et Bernardus epistola 174. At valde honoranda est (inquis) mater Domini: bene admones, sed honor reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis. Et quæ sequuntur. Similia legere est apud Bonauenturam in hanc distinctionem, & Caietanum in tractatu peculiari, quem de hoc argumento edidit. Ex quo etiam discere licet, quo loco habendæ sint reuelationes quæ ad hanc quęstionem adferri solent. De quibus generaliter huiusmodi reddit in supradicta epistola responsionem Bernardus: Ipse mihi facilè persuadeo, inquiens, scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas. Sic ille; & quidem rectissimè. Si enim Petrus apostolus reuelationem sibi factam ita allegabat, vt tamen remitteret fideles ad sermonem propheticum tanquam firmiorem, quantò magis ab obscuris & suspectis reuelationibus ad authoritatem scripturæ & normam antiquæ traditionis remitti nos conuenit.

Denique sciendum est honorem esse testimonium virtutis; ac proinde eum qui quemcunq; falsis vel incertis laudibus honorat, effici reum falsi, vel certè dubij testimonij; quod vicium omnibus Christianis magnopere fugiendum est. Atque hæc nobis de famosissima quæstione, saluo Christianæ pacis & charitatis vinculo, & citra præiudicium melioris sententiæ; dicta sint.

---

§. 6. Beatam Virginem ab actuali peccato immunem fuisse.

PRoxima quæstio est vtrùm ab actuali peccato libera fuerit Deipara virgo, sic vt ne venialiter quidem peccauerit. Cui quæstioni difficultatem adferunt authoritates diuersa imò & contraria sentientium. Qui quidem inueniuntur in triplici differentia. Quidam enim simpliciter etiam post conceptum & partum filij Dei peccata leuia matri eius asseribunt, moti quibusdam scripturæ locis, quibus intempestiuè & molebriter interpellasse filium suum significari videtur, vt Luc. 2. quando ad filium in templo inuentum dixit: *Fili quid fecisti nobis sic?* &c. filius ei respondit: *Quid est quod me quærebatis*, &c. Et Ioan. 2. quando filiũ suum pro vino interpellãs audiuit: *Quid mihi & tibi est mulier*. Et Matt. 12. quãdo Christũ docentẽ cũ cognatis interpellauit quærẽs loqui ei, & vt habetur Marci 3. *mittens qui vocarent eum*. Quibus accedunt generales scripturæ quæ testantur neminem viuere sine peccato, vt illa 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus nosmetipsos seducimus*, &c. aliæque similes. Quod & oratio Dominica omnibus Christianis præscripta confirmare videtur, qua monentur quotidie dicere: *Dimitte nobis* &c. In hanc opinionem quædam legũtur apud veteres nonnullos. Nam Origenes exponẽs illud Luc. 2. *Et ipsi non intellexerunt verbum*, dicit parentes Christi nondum de ipso plenam habuisse fidem. Et Chrysostomus hom. 20 in Ioannem ad illud: *Vinum non habent*, & hom. 45. in Matt. ad illud, *Ecce mater tua & fratres tui quærebant te*, aliquid ei tribuit inanis glorię. Cui similia scribunt Theophylactus & Euthymius ad eadem euangelij loca. Ambrosius quoque super illud Luc. 2. *Quid est quod me quærebatis?* Alibi, inquit, eum ad mysterium mater impellit; hîc mater arguitur, quòd adhuc quæ humana sunt, exigat. Quæ verba leguntur in officio Dominicæ infra octauam epiphaniæ Domini. Item Maximus hom. 1. in epiphania Domini dicit Christum obiurgasse matrem suam, quòd temere signum peteret. Præterea Basilius in epistola ad Optimum, & Augustinus q. 73. in quæstionibus noui testamenti, significant beatam Virginem sub cruce videntem filium talia pati, dubitasse & animo fluctuasse. Et Paulinus in epistola quæ habetur inter Augustini epistolas 58. Mariam cruci Christi astitisse dicit, vt eum mortuum humana infirmitate lugeret, sepeliendumque colligeret, nihil sibi de eius resurrectione præsumens: quia subsecuturæ admirationis fidem in oculis posita passionis pœna cæcabat. Et rursum Augustinus tract. 109. in Ioan. inter multos, quos dicit ante Christi resurrectionem non sic in eum credidisse, quomodo in se ipse credi volebat, etiam matrem Dei numerat.

S. Tho. 3. par. q. 27 ar. 4.

Porrò alij sentiunt beatam virginem obnoxiã peccatis fuisse duntaxat vsque ad id tempus, quo in eam superuenit Spiritussanctus, & virtus altissimi ei obumbrauit, vt filium Dei conciperet. Ab eo autem tempore propter abundantiorem spiritus-

A ſancti gratiam ei ſuperfuſam, dicunt prorſus ab omni peccato liberam deinceps vitam egiſſe. Ita videtur ſentire hac præſenti diſtinctione Magiſter §. A. vbi dicit quòd Spiritusſanctus in eam præueniens totam à peccato prorſus purgauerit, & fomitem peccati vel penitus euacuarit, vel ita debilitarit, vt ei poſtmodum peccandi occaſio nullatenus extiterit. Et §. B vbi probare volens ex eo tempore, quo ad concipiendum filium Dei Spiritusſanctus illam ſanctificauit, fuiſſe eam ab omni peccato immunem, ſentire videtur ante id tempus peccato fuiſſe obnoxiam. Simile quid innuere videntur B Auguſtini verba eodem loco citata ex cap. 36. lib. de nat. & gr. quibus vult ideo plus gratiæ collatum virgini ad vincendum omni ex parte peccatū. quia concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.

Tertia denique ſententia eſt beatiſſimam Virginem ſingulari Dei priuilegio per omnem vitam ab omni peccato, etiam veniali liberam atque immunem fuiſſe. Quam ſententiam ſatis diſertè à patribus expreſſam reperimus. Nam Auguſtinus loco paulò antè citato de actualibus peccatis diſputans ſimpliciter affirmat, ſe de beata Virgine propter honorem Domini cùm de peccatis agitur, C nullam prorſus habere velle quæſtionem. Et Ambroſius in vltimum verſum Pſal. 118. ab omni labe peccati integram eam pronunciat. Similia ſunt apud Anſelmum in libro de conceptu Virginis. Bernardus verò in epiſtola 174. manifeſtè idem confirmat dicens: Ego puto quòd & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit quæ ipſius non ſolùm ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Et quæ ſequuntur. Et ſerm. 2. de aſ- D ſumptione virginis negat eam quicquam proprij inquinamenti vnquam habuiſſe. Hanc ſanè patrum illorum ſententiam poſterioribus ſeculis abſque ſcrupulo ſecuti & amplexi ſunt omnes doctores Scholaſtici: vt meritò patres concilij Tridentini ſeſſ. 6. can. 23. negantes hominem ſemel iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, hanc adiecerint exceptionem; niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata virgine tenet eccleſia. Deinde non videretur ſatis certa ratio quare illam tota eccleſia in laudum eius decantatione extolleret. ſupra omnes angelorum E & iuſtorum hominum ordines, niſi in ea ſingulare aliquod ſanctitatis priuilegium præ omnibus agnoſceret. Quod aliud nō facile aſſignatur niſi quod ab omni actuali peccato pura fuerit & libera. Quamuis igitur primam & ſecundam opinionem, nec vt hæreticam, nec vt erroneam damnatam legamus, ac fortè nec vt tales damnari poſſent; tertiam tamen ea ſententiæ probabilitate tenet eccleſia, vt temerarium ſit ei nunc contradicere.

Inter authores verò pro prima opinione adductos, etſi aliquos eorum ſatis apparet ita ſenſiſſe, F aliorum tamen verba benigniorem interpretationem non ægrè admittunt. Id quod magis apparebit ſi conſideremus beatam Virginem licèt ab omni peccato immunis fuerit, non tamen ab omni ignorantia liberam fuiſſe, neque ſtatim perfectam myſteriorum diſpenſationis Chriſti in carne notitiam accepiſſe. Nam Virginis conceptum & partum aliquando futurum priuſquam angeli verbis edocta eſſet, ignoraſſe videtur, quemadmodum indicant illa eius verba ad angelum: *Quomodo fiet iſtud? quia* &c. Conceptum quoque præcurſoris miraculoſum ſexto demum menſe ab eodem angelo didicit; filium duodecennem in Ieruſalem remanſiſſe [...] euangelio non cognouit; eumque exiſtimans in c[...] mitatu eſſe, & requirens inter cognatos & not[...] vtrique fallebatur. Idem ſatis arguit illa Chriſti i[...]terrogatio: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis qu[...] in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et ſubſequē[...] euangeliſtæ verba: *Et ipſi non intellexerunt verbu[...] quod locutus eſt ad eos.* Alibi verò mirata dicitur ſup[...] his quæ à Simeone dicebantur de filio; & nihil[...]minus ſtudium aſſequendi myſteria quæ circa f[...]lium gerebantur, quantum in ea fuerit; declar[...] illa ſententia ſecundò apud Lucam repetita & p[...]culiariter de beata Virgine non de Ioſepho dict. Quòd conſeruaret omnia eiuſmodi verba conferē[...] ea in corde ſuo.

His igitur ex ſcriptura præmiſſis dicimus ill[...] quoque Ioan. 2. *Quid mihi & tibi*, &c. Non eſ[...] reprehendentis peccantem ſed docentis & i[...]ſtruentis ignorantem. Addit enim: *Nondum venit h[...]ra mea.* pauloque pòſt petitioni matris obſequitu[...] Idem ſentiendum de illis verbis Luc 2. *Quid eſt qu[...] me quærebatis* &c. Quamquam & reprehenſio gen[...]raliter non tantùm culpam reſpicit, ſed etiam err[...]tem vel ignorantiam, tametſi eum culpa, non co[...]iunctam. Atque hoc ſenſu quædam dicta patru[...] ſanè accipi poſſunt, velut Ambroſij & Maximi ve[...]ba. Alij verò qui fidem non omnino completam [...] aſſcribunt, vt Origenes, Baſilius, Paulinus & Augu[...]ſtinus non ſentiunt eam de rebus ſibi diuinitus r[...]uelatis aut à filio ſuo patefactis vllo modo dubita[...]ſe, cùm per os Eliſabeth à Spiritusſancto ei dictu[...] ſit: *Beata quæ credidiſti*, ſed de quibuſdam myſteri[...] minùs certam perfectamue habuiſſe cognitione[...] propterea quòd de ijs nondum plenè diuinitus e[...]ſet inſtructa: aut certè dubitationem illam & fl[...]ctuationem non fuiſſe de re ipſa ſed de modo re[...] qualis erat cùm diceret ad angelum, cui ſine dub[...] fidem adhibebat: *Quomodo fiet iſtud?* Quod autem e[...] quæſtionibus noui teſtamenti obiicitur, non mu[...]tum mouere debet, cùm id opus non ſit Auguſtin[...] ac ne probati quidem authoris.

Porrò Chryſoſtomi, Theophylacti & Euthym[...] gloſſas ad memorata euangelij loca non recip[...] eccleſia, cùm magis credendum ſit piam aliquam [...] cauſam filium à matre euocatum: vt videlicet i[...] qui fratres Domini ibidem nominantur & nond[...] in eum credebant, ſed auditis eius miraculis dice[...]bant, *quia in furorem verſus eſt*, doctrinæ illius & f[...]dei participes fierēt. Certè Theophylactus in Ma[...]cum ſcribens, non ſimpliciter illud de inani glor[...] affirmat, ſed addit, fortaſſis: Et ibidem teſtatur bea[...]tam Virginem propterea quòd omni virtutum g[...]nere prædita eſſet, ad hoc electam vt mater D[...] fieret. In Lucam verò commentans omnino pri[...]rem illam annotationem omittit.

Denique ad argumentum ex oratione Dominic[...] petitum reſponderi poteſt, ſicut eam veteres exc[...]piunt à generalibus ſententijs ſcripturæ quæ nega[...] hominem viuere ſine peccato, ita exceptam fuiſ[...] ab obligatione recitandi illa orationis Dominic[...] verba in perſona propria, ſed ea recitaſſe pro to[...] fidelium cœtu: in quo multi, imò præter illa[...] omnes erant peccatores, atque hoc fuiſſe ſingula[...] eius priuilegium.

§. 7. *Fomes peccati an & quamdiu in virgine fuerit.*

S.Tho. 3. par. q. 27 art. 3.

QVoniam hac distinctione de purgatione carnis Christi ex proposito differitur, non intempestiua est huic loco quæstio de fomite peccati, id est, carne contra spiritum concupiscente, an & quãdiu in virgine fuerit. Qua de re multiplex reperitur apud Scholasticos opiniu.

Vna quòd fomes in ea nunquam fuerit, sed simul & à peccato originali & à fomite præseruata sit. B

Altera, quòd in vtero matris post conceptionem simul à peccato & à fomite fuerit purgata.

Tertia, quòd ablato ab ea peccato originali nihilominus in carna eius fomes peccati manserit vsque ad conceptionem filij Dei, quodque tunc demum per Spiritumsanctum in eam superuenientem penitus fuerit exstinctus.

Quarta, quòd etiam post conceptionem verbi fomes in ea manserit, sed ita ligatus & consopitus, vt per eum caro eius nunquam deinceps fuerit vlla tentatione commota. C

Duas postramas opiniones indicat in textu Magister, quando dicit beatam virginem superueniẽte in eam Spiritusancto ita à fomite peccati liberatam fuisse, vt vel in ea exstingueretur penitus, vt quibusdam placet; vel ita debilitaratur, vt ei postmodum non amplius esset occasio peccandi. Eam igitur quam quibusdam placere testatur Magister, atque ipse non improbat, sed subiectis testimonijs probat potiùs, reliquis tribus omissis atque improbatis ostendemus Sanctorum patrum sententijs magis esse conformem. D

Imprimis autem sciendum est, aliam esse quæstionem de mundatione carnis Christi de qua sub initium huius distinctionis diximus, aliam de ablatione fomitis à beata Virgine. Potuit enim quod de carne virginis assumendum erat, à filio Dei vel ipsa susceptione, vel ante susceptionem mundari; quemadmodum significat Augustinus lib 2. de peccatorum meritis cap. 24. etiamsi totũ virginis corpus à fomite non liberaretur. Vnde & ille Augustini locus explicandæ præsenti quæstioni propriè non seruit, & alia quędam Augustini loca diuersum sonare videntur. E Nam lib. 1. contra 2. epistolas Pelag cap. 11. de carnis concupiscẽtia loquẽs: Quã, inquit, spiritum resistentem non habere in carne mortali ille tantummodo homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit. Et lib. 5. cõtra Iul. cap. 15. Christo proprium facit carnis concupiscentia carere. Cuius rei causam assignat, non quòd illa in matre non fuerit, sed quia mater non per illam cõcepit; tametsi hæc loca non aliud certè conuincunt, quàm beatam virginem non simpliciter, id est, per omnem vitam fomite caruisse. Cum quo nihilominus consistit, vt ab eo libera fuerit aliquo F vitæ spacio; videlicet eo saltem tempore quando de sua carne filium Dei concepit, siue ipso conceptionis momento, per superuenientem Spiritussancti gratiam purgatio illa facta sit; quod complures sentiunt, siue anteriori aliquo tempore, quod ab alijs dubium relinquitur. Ait enim Gregorius Nazianzenus oratione in natalem Christi quæ est 38. & 2. oratione in pascha, quæ est 42. beatam virginem priusquam conciperet animo & corpore purgatam fuisse. Item Leo

A serm. 2. de natiuitate Domini, loquens de virgine matre. Hæc, inquit, inde purgationem traxit, vnde concepit. Et Beda in hom. super. Missus est in festo annunciationis Dominicæ: Spiritussanctus, inquit, superueniens in virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde castigauit, & ab omni æstu concupiscentiæ carnalis cor eius temperauit, atque à desiderijs temporalibus emundauit. Quibus similia leguntur in glossa ordinaria ad illud: *Spiritussanctus superueniet in te.* Et in alia quadam homilia, scribit idem Beda, Virginis propositum fuisse omnium hominum frequentiam fugere, ne perturbaretur orantis silentium, aut virginalis castitas B tentaretur. Quæ verba innuere videntur eam non caruisse peccati fomite ante filij Dei conceptionem. Eodem pertinent verba Anselmi in libro de conceptu virginis, Dei matrem ea puritate eminere debuisse, qua maior sub Deo nequit intelligi, & Bernardi serm. 3. in festo purificationis, beatam Virginem, purissimam factam ipso partu immaculato, ita vt ipsi post partum purificatione iam non opus esset. Aperta quoque Ioannis Damasceni sententia est lib. 3. cap. 2. Post consensum sanctæ virginis superuenisse in eam Spiritumsanctum quo purgaretur, & in carmine de an- C nunciatione Virginis, vbi hoc idem indicat.

Quid autem Magister de hac re sentiat, ex verbis eius in textu intelligi potest. Affirmat enim Virginem totam à fomite peccati liberatam superueniente in eam spiritusancto, quamuis dubitet fueritne penitus exstinctus fomes an debilitatus tantũ. Porrò Scholastici probatiores vt S. Thomas, Bonauentura & alij, eam quam diximus sententiam, vt rationi & patrum dictis magis consentaneam amplectuntur, docentes post sanctificationem virginis in vtero factam remansisse in ea fo- D mitem secundùm essentiam, ligatum tamen seu repressum & consopitum quoad exercitium & operationem, donec omnino tolleretur atque exstingueretur per illam sanctificationem, de qua dicit ad eam angelus: *Spiritussanctus superueniet in te*, &c. Tunc enim ex prole concepta redundasse in matrem eam gratiæ abundantiam, qua de ipsius carne fomes cõcupiscentiæ penitus extirparetur.

§. 8. *Christus quare non sit decimatus in Abraham.*

E MOnet quæstionem Magister quare Leui decimatus dicatur in Abraham Heb. 47. Christus autem in eo decimatus negetur, cùm vterque in lumbis Abrahæ fuerit secundùm materialem rationem. Cùm enim Apostolus in ea epistola excellentiam sacerdotij Christi super Leuiticũ commendaret huiusmodi vsus est argumẽto; quòd Melchisedech sacerdos Dei summi typũ gerens sacerdotij Christi benedixerit Abrahæ & decimas ab eo acceperit, vt est Gen. 14. quando & Leui & quotquot ab eo descendunt sacerdotes tanquam à maiore be- F nedictionem acceperunt, & tanquam maiori decimas dederunt; quia nimirum tunc erant adhuc in lumbis Abrahæ atque ita in Abraham omnes quotquot ex eo postea nati, iure decimati cẽsentur. Cùm igitur & Christus in lumbis Abrahæ tũc fuerit, cur non & ipse in eo decimatus eodem iure dicitur. Huic quæstioni respondet Augustinus lib. 10. de gen. ad lit. cap. 20. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 25. & glossa ordinaria in epistolam ad Hebræos, non ita Christum in lumbis Abrahæ fuisse sicut Leui & cæteros ex Abraham genitos.

S.Tho. 3. par. q. 31 art. 8.

Secundùm

Secundùm rationem quippe seminalem, inquit A
Augustinus, fuit ibi Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamuis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Et paulò pòst: Leui in lumbis fuit Abrahæ secundùm concupiscentiam carnalem, Christus autem secundùm substantiam corporalem. Cùm enim sit in semine & visibilis corpulentia & inuisibilis ratio, vtrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam vsque ad corpus Mariæ: quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est, Christus autem visibilem carnis substantiam de carne virginis sumpsit. Ratio B
verò conceptionis eius, non à semine virili, sed longè aliter ac desuper venit. Proinde secundùm hoc quod de matre accepit, in lumbis Abrahæ fuit. Hæc ibi & alia in eandem sententiam.

Sed quæret aliquis, cur Christus saltem ob id quia in Abraham fuit secundùm substantiam corporalem, non rectè dici possit in eo decimatus? Huius solutionem quæstionis indicat alijs subsequentibus verbis Augustinus: Christus, inquit, non ibi decimatus est, cuius caro inde non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cùm ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam perti- C
neret, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur. Et quæ sequuntur. Ex quibus intelligitur solos illos & benedictionem accepisse & decimatos esse in Abraham, qui secundùm carnalem concupiscentiam ex eo geniti; ideoque maledictione & peccato obnoxij benedictione indigent contra maledictionē & decimatione contra culpam. Decimarum namque oblatio propterea fit vt sacerdos pro peccatis offerentium deprecetur. Cùm igitur Christus ex Abraham solam acceperit naturam carnisque substantiam, non autem & vitium inde contraxerit; D
sequitur vt nec benedictionem accepisse, nec decimas dedisse in Abraham dicendus sit, nihilo magis quàm dici queat peccasse in Adam, in cuius itidem lumbis secundū corporalem substantiam, non secundùm carnalem concupiscentiam fuit, quemadmodum rectè à Magistro in textu annotatum est. Explicat eandem Apostoli sententiam Hugo Victorinus lib. 2. de sacramentis cap. 5. his verbis: Oblatio non pro natura sed pro culpa offertur, quia si culpa non esset, natura oblatione opus non haberet. Sic itaque Leui in lumbis Abrahæ decima- E
tus est, quia & naturam & culpam ibi habuit, qui & naturam & culpam inde accepturus fuit. Christus verò ibi decimatus non est, propterea quòd inde solam naturam accepturus erat, &c.

Faciunt præterea ad intellectum præsentis quæstionis quæ dicta sunt ad distinctionem 30. lib. 2. vbi quærebatur, Quomodo omnes in Adā fuisse dicamur. Vnde & hoc intelligitur quod dicit Augustinus Christum in Abraham & in Adā fuisse secundùm substantiam corporalem. Non enim necesse est fateri in omnibus hominibus esse aliquid materiæ quod idem numero fuerit in primo parē- F
te, sed ad illius sententiæ veritatem sufficit vnumquemque à parente proximo aliquid substantiæ corporalis accipere. Quod quia continuò factum est per omnes hominum generationes, à primo homine deductas, rectè & Christus & alij omnes in suis progenitoribus atque in ipso primo homine secundum carnis substantiam fuisse dicuntur.

§ 9. *Carnem Christi non priùs conceptam quàm assumptam fuisse.*

CVm sit ostensum superiori distinctione partes humanæ substantiæ non ordine aliquo temporis sed naturæ tantùm & dignitatis assumptas à filio Dei, hîc breuiter adijciendum carnem Christi non priùs conceptam in vtero virginis, quam à verbo assumptam fuisse, quemadmodum in aliorum omnium hominum generatione contingit: vt priùs in vtero mulieris concipiatur semen, ac deinde paulatim per per virtutem generatiuam in fœtum efformetur ac distinguatur in membra, donec animæ rationali suscipiendæ sit idoneum (tametsi putat Augustinus Ench. 85. difficillimam & inexplicabilem esse quæstionem, quando incipiat fœtus in vtero viuere) sed mox vt consensum angelico nuncio præbuit beata virgo dicens: *Ecce ancilla Domini fiat* &c. Filium Dei de purissimis eius sanguinibus sibi corpus assumendo formasse, & formando assumpsisse, simul cum anima rationali: ita vt ipso conceptionis momento, id quod concipiebatur, perfectus esset Deus & perfectus homo. Huius rei clarum argumentum est ex verbis Elizabeth ad virginem: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Hoc enim diuina inspiratione ab ea dictum est paulò post annunciationem angelicam, vt ex euangelio patet; intra quod tempus fœtum naturaliter formari non posse inter omnes conuenit. Iam ergo mater Dei & Domini erat priusquam hoc ab Elizabeth diceretur, & proinde filium hominem, qui idem esset Deus & Dominus, iam in vtero gerebat.

S. Tho. par. 3. art. 4. q. 33. a. 1. &c.

Aliud argumentum ex eo sumitur, quia conceptio filij Dei non naturaliter virtute seminis, sed miraculosè facta est virtute & singulari operatione Spiritussancti. Quare sicut in alijs miraculis subitò & non per eam temporis moram, qualem operatio naturalis requirit, quippiam effici solet; ita putandum est factum esse in hoc diuinissimo opere tanquam miraculo miraculorum, vt à quibusdam vocatur.

His accedunt sententiæ patrū. Nam Fulgentius de fide ad Petrū cap. 18. firmissimè tenendū asserit carnem Christi non sine diuinitate, neque priusquā à verbo susciperetur, sed ipsa verbi incarnatione conceptam. Et Gregorius lib. 18. mor. cap. 36. al. 35. Spiritusancto in Virginē adueniente mox verbū in vtero, mox intra vterū verbū carnē fuisse. Quibus suffragatur Ioannes Damascenus qui lib. 3. cap. 2. dicit, mox post virginis assensum videlicet illis verbis datū: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundū verbū tuum*, filiū Dei construxisse sibi ex castis & purissimis eius sanguinibus carnem animatā anima rationali & intellectuali, non paulatim per additaméta, expleta figura, sed vno contextu absoluta; & addit postea: Quare simul caro, & Dei verbi animata caro, rationalis & intellectiua. Simile quid habet glossa ordinaria ad illud Hiere. 31. *Mulier circūdabit virum*, licèt alioqui scriptura illa non necessariò cōuincit. Sunt etiam de hac re apud Augustinū duo loca, videlicet de bono perseuerantiæ cap. vltimo, & lib. 2. de peccatorum meritis capite 29. Denique synodus quædam Constantinopolitana referente Nicephoro lib. 17. capite 28. et dicit anathema qui senserit priùs formatum esse corpus Christi in vtero virginis, ac deinde vnitum illi Dei verbum. Neque porrò contrarium est huic doctrinæ quod

A Augustinus lib. 4. de trinit. cap. 5. tractans illud Ioan. 2. *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, dicit perfectionem corporis Domini totidem diebus ad partum perductam esse, sicut à maioribus traditum suscipiens ecclesiæ custodit authoritas, quod & subsequentibus verbis probat. Cui consentenea scribit lib. 83. quæst. 56. Ex quibus locis petita est glossa ordinaria ad dictũ scripturæ locum similia commentans. Hæc enim loca non negant perfectionem corporis Dominici primo conceptionis momento factam secundùm formam & membrorum dispositionem ac naturæ humanæ veritatem, sed quemadmodum expo- B nit Magister, significant distinctionem illam membrorum quæ initio ob corpusculi paruitatem imperceptibilis erat, illo dierum numero quos Augustinus tacite notat, notabilem effectam, cuiusmodi est aliorum humanorum fœtuum formata demum figura.

IN
DISTINCTIONEM QVARTAM.

§. 1. *Quare conceptio Christi tribuatur Spirituisancto.*

S.Tho 3 par. q. 32 art. 1.

CHristum conceptum de Spiritusancto diuina tradit authoritas. Ait enim euangelista, quòd Maria inuenta est in vtero habens de Spiritusancto, & angelus ad Ioseph. *Quod in ea natum est*, inquit, *de Spiritusancto est.* & ad ipsam virginem: *Spiritusanctus superueniet in te:* D Et in symbolo confitemur filium Dei conceptum de Spiritusancto. Quæritur ergo cùm filij Dei incarnationẽ tota trinitas fuerit operata, quemadmodũ ad primã distinctionem dicebamus, quare opus illud seu incarnationis seu conceptionis filij Dei peculiariter tribuatur Spirituisancto? Respondendum propterea quòd Spirituisancto tribui soleant in scripturis dona gratiarum, & quæcunque ad hominum sanctificationem pertinent. Cùm igitur nulla sit maior gratia, nullum præstantius donum, E quàm quod Christo donatum est secundùm naturam humanam; vt scilicet nullis meritis præcedẽtibus ab exordio suæ humanitatis ipse homo simul Deus esset; ideoque summè bonus, sanctus & iustus, & qui naturaliter peccare non posset, aptissimè tantum beneficium Spirituisancto ascribitur. Vnde etiam admonemur & nos per eandem gratiam operatione Spiritussancti iustificati à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset admittere peccatum. Significatur ergo geminum beneficium vtrumque maximum & summè gratuitum; alterum illi homini exhibitum; alterum toti F humano generi per illius hominis incarnationem collatum. Hanc quam diximus rationem tradunt Ambrosius scribens in 1. Luc. Hieronymus in epistula ad Marcell. cuius initium Mensoram, & Leo serm. 8. de natiuitate Domini, & pleniùs Augustinus Ench. 38. & sequentibus. Quod autem conceptio filij Dei sit maximum gratiæ beneficium subinde inculcat idem Augustinus, vt Ench. 36 37. 40. & 41 Item lib. 15. de trinit. cap. 19. de prædestinatione sanctorum capite 15. & de bono perseuerantiæ capite vltimo.

Superiori rationi duæ aliæ non incongruæ rationes addi possunt. Vna ad significandum conceptionem Christi non fuisse immundam, qualis est aliorum hominum conceptio, qui non sine libidine generantur, sed sanctam & immaculatã. Peculiariter enim quidquid sanctum est, spirituisancto tribui solet, vnde & Rom. 1. spiritus sanctificationis vocatur. Hanc rationem innuisse videtur angelus, quãdo post illa verba: *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. subiecit dicens, *ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Altera vt significetur non naturaliter sed singulari miraculo factam Christi conceptionem. Nam & opera miraculosa peculiariter in scripturis tribuuntur spiritusancto. Vnde illud Matth. 12. *Si ego in spiritu Dei eiicio dæmones*. Item Isa. 61. Ioelis 2. & Rom. 1. virtus miraculorum spiritusancto tribuitur. Iuxta hanc rationem rectè intelliguntur omnia loca in quibus Christi conceptio ascribitur spirituisancto, dum videlicet per hoc excludere volunt naturalem conceptionis modum, quo ex vtroque sexu fit hominis generatio.

§. 2. *Quomodo Christus conceptus de Spiritusancto.*

S.Tho. 3. par. q. 32 art. 5. & q. 32. ar. 2

C EX dictis vtcũque intelligi potest, nõ ideo Christum de spiritusancto conceptum dici, quòd virgini fuerit Spiritussanctus loco seminis aut materiæ, ex qua formaretur Christi caro. Hæc enim absurdissima est cogitatio, Spiritumsanctum imaginari vt rem corpoream, ex qua corpus humanum exstruatur. Nec rursum ideirco id dici, quòd spiritussanctus sementiuam materiam aliunde acceptam vel de nihilo creatam Virgineo vtero infuderit. Nã iuxta constantem patrum doctrinam credendũ est nihil aliunde accessisse materiæ ad formationem & constitutionem corporis Christi, sed totum illud de D virginis substantia acceptum, vt hac consideratione fatendum sit beatam virginem potiori ratione esse matrem Dei, quàm quæcunque mulier alia mater est filij sui: vtpote à qua non totam corporis sui substantiam filius accipiat, sed quandam etiam partem à patre. Hoc ergo sensu id dicitur; quia non opere virili, sed sola virtute & operatione Spiritussancti conceptum & formatum est in vtero virginis corpus illud, quod in ipsa sui formatione assumptum est à filio Dei. Vnde & Rom. 1. factus dicitur Christus ex semine Dauid, & ad Gal. 4. factus ex E muliere: quia nimirũ nõ cõsueto generationis modo procreatum, sed singulari opere diuinitatis effectum est eius corpus, quemadmodum in glossa ordinaria ad illum locum Rom. 1. annotatum est. Atque hoc à Damasceno significatum est, quando dicit lib. 3. cap. 2. quòd filius Dei non seminans sed per Spiritumsanctum creans ex purissimis virginis sanguinibus corpus sibi cõpegerit. Creationis nomine non eam quæ ex nihilo fit effectionem significans, sed facturam à generatione quæ fit ex semine, diuersam.

F Interim verò non est omnino negandum spiritumsanctum fuisse virgini pro semine, id quod interdum apud orthodoxos scriptum legimus. Possunt. n. in semine duæ rationes quas habet respectu corporis geniti, cõsiderari. Altera, quatenus materiã præbet corpori, altera quatenus virtutẽ occultã in se habet efformãdi fœtus in figurã ac mẽbra humani corporis. Et quidẽ priore ratione ad causam materialem pertinet, posteriori ad efficientem. Igitur priori consideratione rectissimè negant Spiritumsanctum in illa conceptione fuisse pro semine. Quo sensu loquitur Hieronymus in

explanatione

A explanatione symboli ad Damasum. Posteriori rectè hoc ipsum conceditur: quia quod virtus seminis præstat in consueta hominum generatione, hoc idem longè perfectiùs atque vberiùs præstitit virtus Spiritussancti in conceptione & formatione corporis Christi. Et hoc sensu accipiẽdum est quod Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 7. dicit, & citatur ab Augustino lib. de peccato originali cap. 40. Spiritumsanctum vtero virginis immaculatum semen infudisse. Non enim aliud vult quàm spiritumsanctum in vtero virginis operatum fuisse quod semen operari solet; id est, quantum ad operationem seu B efficientiam attinet, Spiritumsanctum vicem seminis suppleuisse.

§. 3. *Spiritumsanctum non rectè dici patrem Christi.*

S. Tho. 3. par. q. 32. art. 3.

MAnifestum est ex ijs quæ dicta sunt, Spiritũsanctum non rectè dici patrem Christi, aut Christum eius filium, licèt de eo conceptus sit. Quod ita absurdum esse dicit Augustinus ench. 38. vt nullæ fidelium aures id valeant sustinere. Ratio autem in promptu est, quia pater secundùm pro- C prietatem sermonis non dicitur, nisi qui propriam substantiam alteri cõmmunicat cum naturæ similitudine. Constat autem Spiritumsanctum non communicasse Christo substantiam propriam, neque diuinam, in qua spiritus à filio, non contra filius à Spiritusancto procedit, neque humanam cuius particeps non est Spiritussanctus. Quamuis autem Scholastici nonnulli, vt Durandus, Alexander de Ales, & Leporinus quidam, vt in hanc distinctionem scribens refert Albertus Magnus, putant sese adiectionibus quibusdam tollere sermonis absurdi- D tatem; quia tamen impropriç locutiones non sunt extendendæ, vt hîc admonet Bonauentura, idcirco simpliciter fugiendus est ille sermo; ne duos in trinitate patres agnoscere cogamur; imò ne, quod magis absurdè sonat, etiam filium Dei suipsius patrem eadem ratione fateamur, quod æquè consequens erit. Nihil enim amplius in conceptione Christi operatus est reuera spiritussanctus, quã reliquæ duç personæ. Pleniùs explicatam hanc quæstionem videre est apud Augustinum loco commemorato.

E §. 4. *Beatam Virginem verè & propriè esse Dei matrem.*

S. Tho. 3. par. q. 35 ar. 3. & 4.

VEterum hæreticorum quidam beatam virginem simpliciter negauerunt Christi matrem esse, propterea quòd dicerent Christum nihil substantiæ ab ea traxisse; vt Valentiniani, qui corpus cæleste Christo tribuerunt, & Manichæi qui phantasticum ei corpus affinxerunt, & si qui extiterint similia dogmatizantes, de quibus dictum est aliquid ad 2. distinctionem. Quod genus notás- F se videtur Augustinus in Psal. 9. scribens, vbi dicit, fuisse quosdam perniciosissimos hæreticos, qui dicerent Christum non habuisse matrem. Alij verò Christi matrem eam confessi sunt quidem; & θεοτόκον, id est Deiparam esse negarunt, vt Photinus & Nestorius, tametsi ex alio atque alio fundamento. Photinus enim post Ebionitas, de quorum errore circa eandem distinctionem diximus, ideo Mariam Dei matrem negauit; quia Christum non Deum sed purum hominem esse dixit, qui tamen virtutibus suis eò profecerit tandem, vt filius

A Dei cognominatus sit. Nestorius autem eam propterea Dei matrem confiteri noluit, quia personas in Christo diuidebat, dicens alium esse qui ab æterno genitus sit ex Deo patre ab illo homine, qui in tempore natus esset ex virgine matre; duos nimirum filios, alterum Dei patris, alterum virginis matris: illum Deum ac Dei filium, hunc hominem atque hominis filium incommunicatis propter discretionem suppositorum proprietatibus constituens. Quod dogma cùm iam olim in synodo Ephesina (quæ tertia fuit oecumenica) cum suo authore damnatum sit, facilè subuerso fundamento B tollitur quod ei superstruebatur: nempe beatam Virginem non Dei sed hominis tantùm esse matrem. Verùm de Nestoriana hæresi in sequentibus plura.

Ad probationem autem præsentis Catholicæ doctrinæ vna hæc ratio tanquam certissimum fundamentum Nestoriano contrarium sufficere debet, in Christo vnicàm esse personam in duabus naturis diuina & humana subsistentem; personam videlicet æternam filij Dei. Quam personæ vnitatem necessariò consequitur idiomatum communicatio: vt quidquid de ea verè, ac propriè dici- C tur subsistente in natura diuina, de eadem verè propriéque dicatur subsistente in humana natura, & contrà. Vnde sicut Catholicè confitemur vnum eundemque esse Deum & hominem, filium Dei & filium hominis, ita confiteri debemus, Deum ac Dei filium natum esse ex Maria Virgine, & per consequens Mariam virginem esse matrem Dei & matrem filij Dei.

Hanc porrò rationem confirmat certissima authoritas. Nam in symbolo apostolico confitemur filium Dei conceptum de Spiritusancto, natum ex Maria Virgine, passum, crucifixum, mortuum, D &c. atque hæc omnia propter illam quam diximus idiomatum communionem ex vnitate personæ profluentem.

Neque difficile est hanc doctrinam scripturæ testimonijs communire. Nam Isaias c. 7. nomen filij ex virgine nasciturí fore dicit Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quemadmodum & citat & interpretatur Matth. 1. ac rursum 9 cap. idem propheta inter nomina paruuli quem dicit nobis natum esse, ponit hæc duo. Deus fortis: Quorum vtrumque apud Hebræos Dei nomen est. Item Luc. 1. angelus ad virginem: *Quod nascetur*, inquit, *ex te* E *sanctum vocabitur filius Dei*, id est, erit reuera filius Dei: vt meritò sic vocari debeat. Ita enim vocari frequentissimè sumitur in sacris literis. Et Elizabeth Spiritusancto repleta in hanc vocem erupit: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Dominum haud dubiè Deum intelligens. Simili enim argumento Christum Deum esse alibi ipse Christus cõuincit, proposita Pharisæis quæstione de intellectu illius loci, *Dixit Dominus Domino meo*. Ad idem probãdum valet quod Apostolus dicit Rom. 1. & Gal. 4 filium Dei factum ex semine Dauid, & factum ex F muliere. Quod enim priori loco addit, *secundum carnem*, non impropriètatem præcedentis sermonis innuit, sed naturám designat, secũdùm quam filius Dei factus dicitur. Neque enim dubitandum quin secundùm naturam humanam, non diuinam, illa ei natiuitas ex semine Dauid atque ex muliere competat, Quæ tamen determinatio proprietatem sermonis minimè tollit.

Denique quæcunque probant vel diuinitatem Christi, vel idiomatum in Christo communionem, eadem omnia valent ad pro-

bandum beatam Virginem esse matrem Dei. Quod A vsq; adeo verè dicitur, vt Dionysius Areopagita in epistula ad Demopbilum non dubitauerit Dauidem Dei patrem appellare; quòd ea eius semiue Christus Deus natus sit. Et sanè hanc ab initio fuisse Catholicam in ecclesia fidem ex perpetua traditione cognoscitur, qua semper beatam virginem & Dei matrem venerari sunt fideles. Quare Nestorius qui id negauit totius orbis consensu in Ephesina synodo damnatus est, & ibidem decretum in hæc verba: Si quis non confitetur Emmanuelem secundùm veritatem esse Deum, idenqua sanctam virginem esse Dei genitricem (carnaliter enim verbom Dei carnem factum genuit, secundùm quod B scriptum est: *Verbum caro factum est*) anathema sit. Eandem doctrinam doctè explicant Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. & lib. de incarnatione Christi capite 2. 3. & 7. Petrus Diaconus in libro eiusdem tituli cap. 3. Cyrillus compluribus locis contra Nestorium disputans, & Damascenus libro 3. capite 12. Quo etiam loco addit hæc verba: Christiparam autem nequaquam dicemus sanctam virginem; quia ad remouendom vocabulum Deiparæ hanc appellationem adinuenit Nestorius. Sic ille. Confirmatum est autem & approbatum Deiparæ nomen tanquam propriè in beatam virginem competens, post Ephesinam synodum, primùm in synodo Chalcedonensi, deinde in alieta Constantinopolitana, quæ itidem ambæ vniuersales fuarunt. Posterioris quæ prioris authoritate nititur canon 6. sic habet: Si quis abusiuè & non verè Dei genitricem dicit Sanctam virginem, aut per relationem tanquam homina puronato. Et paucis interpositis, aut si quia hominis genitricem vocat eam, aut Christi genitricem, vtpote Christo non existente Deo, & non specialiter seu proprié & secundùm veritatem Dei genitricem eandem confitetur; ob id quod ante secula genitus D Deus verbum, in vltimis diebus ex ea incarnatus & natus est: atque ita piè sanctam Chalcedonensem synodum Dei genitricem eam confiteri, talis anathema sit. Huc vsque canon. Quod autam tam huius concilij patres, quàm suprà positis verbis Damascenus, nolunt beatam virginem Christiparam dici, non propteraa quòd eam verè non esse Christi matrem sentiant, ab illa voce abstinendum admonent; sed quia verba ad religionem fidemque nostram pertinentia ab omni errore adeo debent esse aliena; vt etiam illa quæ simpliciter vera sunt, sed vel ab hæreticis peculiariter E vsurpata, vel aliâs errori vicina & speciem mali habentia, à fidelibus vitari debeant. Quale erat hoc vocabulum χριστοτόκος. Christipara, quod à Nestorio subdolè introductum fuerat, vt Deiparæ nomen, huius vocaboli freqoentatione de sermone fideliom tolleretur. Cæterùm quia posterioribus seculis error ille Nestorianus extirpatus est & sublatum peruersæ intelligentiæ periculum; fit vt nunc passim fideles non malè beatam Virginem indifferenter & Dei & Christi matrem F appellent: quando & in precibus & canticis Ecclesiæ Christi mater ac genitrix interdum vocatur.

IN DISTINCTIONEM QVINTAM.

§. 1. *Distriminis inter naturam & personam explicatio.*

PRinsqnam ad quæstionem hac distinctione à Magistro tractatam veniamus, explicandum quid naturæ, quid item personæ nomine significetur, & quomodo hæc duo inter se differant. Igitur præter ea quę de natura & persona à nobis dicta sunt circa distinctionem 23. & 25. & 34. libri 1. sent. pro maiori declaratione præsentis doctrinæ de modo vnionis naturarum in Christo; scite imprimis oportet ignorantiam discriminis quod necessariò statuendum est inter naturam & personam, maximis erroribus olim in ecclesia occasionem dedisse. Inde enim Sabelliani quòd naturam in Deo vnicam agnoscerent, personas etiam confuderunt dicentes: eundem esse teipsa Patrem & filium & spiritumsanctum. Quare & incarnationem & passionem & totam assumpti hominis dispensationem tribus ex æquo personis tanquam vni tribuerunt, vnde & Patripassiani dicti sunt. Nestoriani verò cùm duas in Christo naturas rectè perspicerent consequenter etiam personas in eo distinguendas putauerunt: aliam verbi assumentis, & aliam hominis assumpti personam asserentes. At Catholica fides inter naturam & personam probè distinguens vtrumque vitat errorem. Natura enim rei cuiusque essentia est. Quanquam rectè Bonauentura admonet potiùs naturæ quàm essentiæ vocabulo hîc vtendum esse: quia essentia naturam significat cum abstractione, naturæ autem essentiam cum motu. Cæterùm natura etiam plures eiusdem rei hypostases continet quibus & substantialiter communicatur. Vnde Basilios in epistola ad Gregorium fratrem: Natura est, inquit, in qua res plures distinctæ & singulares conueniunt, quæque pluribus & inter se differentibus rebus communis est; propter quam conuenientiam coessentiales & consubstantiales appellantur. Persona verò definiente Boetbio in libro cui titulus de duabus naturis in vna persona Christi, est rationalis naturæ indiuidua substantia, vbi substantiam intellige rem per se subsistentem. Exempla sunt Michael, Gabriel, Petrus, Andreas, aliisque eiusmodi indiuidua. Horum enim vnumquodque per se subsistit, & propriam, vt loquuntur, subsistentiam habet. Natura verò cuiusque rei non per se & scorsim sed in alio subsistit, nimirum in persona vel saltem in hypostasi siue supposito: latiùs enim patet hypostasis seu suppositi nomen, quàm personæ, comprehendens videlicet omnem indiuiduam atque incommunicabilem substantiam cuiuscunque naturæ, cùm persona in sola natura rationali dicatur.

S. Tho. 3. par. q. 2. art. 1 & 2. in cor.

§ 2. Quan-

§. 2. *Quantum intersit vtrùm in propria an aliena hypostasi quippiam subsistat.*

CVm natura omnis in hypostasi & intellectualis natura in persona semper subsistat, multũ tamẽ refert vtrũ in propria subsistat hypostasi vel persona an verò in aliena, magnamq; ea res diuersitatem adfert, quemadmodum subtiliter à Scholasticis annotatum est, quãdo vna eademque res nunc propriam habet hypostasim nunc alienam. Quod vt exemplo B declaretur, animam rationalem à corpore separatam, saltem docẽdi gratia fingamus esse persuoam, & propriam habere hypostasim, quemadmodum sentit Magister, qua de re postea suo loco. Ea igitur si corpori rursum vniatur, vt forma materiæ, sic vt vnam cum illo personam huius hominis puta Ioannis, constituat; quoniam in alio nempe Ioanne iam subsistit, atque ab eo sustentatur, non ampliùs propriam habet hypostasim nihilo magis quàm reliqua quæ sunt in Ioanne: vt partes vel accidentia. Omnia enim hæc in aliena, videlicet, Ioannis hypostasi subsistunt. Quòd si verò corpus illud repetat non sic vt C illi vitam donet, & vitales communicet operationes, sed solùm eo pacto; vt in illo appareat, illudque moueat perindeatque nauclerus nauem, vel intelligentia cælũ; quomodo & angeli vel boni vel mali corpora sibi interdum assumunt: tum profectò tali dumtaxat modo in corpore existens propriam hypostasim retinebit; quia etsi sit in corpore, non tamen cum eo vnum quid constituit in quo subsistat.

Ea hac diuersitate illud inprimis intelligitur, rem illam quæ Ioannes dicitur, vnam esse & non D plures, quamdiu anima & corpus in eius persona subsistunt: plures autem esse & non vnam, si anima nõ vt forma ejus corpori vniatur, sed gubernet tantùm illud & moueat, perinde atq; ab angelis assumpta corpora mouentur.

Inde verò & aliud colligitur. Dum enim in vna Ioannis persona subsistunt anima & corpus, quæcunque in anima sunt aut in corpore, eadem & personæ tribuuntur, in qua illa subsistunt. Et ab anima quidem hic homo, puta, Ioannes bonus dicitur aut malus, doctus aut indoctus, spiritualis, æternus. A corpore verò longus aut breuis, sanus aut æger, E corporeus, mortalis. At è diuerso, si huius hominis corpus animam suam recipiat ad motionem tãtùm, non etiam ad animationem atque informationem, tum res illa non verè dicetur virtutibus aut scientijs prædicta, licèt anima in eo tali modo existens, tam scientijs quàm virtutibus abundet. Cuius ratio ex personarum siue suppositorum distinctione sumitur.

Quantum autem conferat exemplum propositum ad intelligendam vnionem naturarũ in Christo & refellendam hæresim Nestorij, ex ijs quæ deinceps dicenda restant, pleniùs intelligetur. F

§. 3. *Quòd neque natura neque persona personam assumpserit, sed persona naturam.*

3.Th.3.p. q.1.ar.1. & q.4. art.2. NIet quatuor connexiones extremorũ vnionis factæ in Christo per assumptionẽ vnius ab alieno, quas quadripartita quæstione proponit in textu Magister, duæ reijciendæ sunt tanquam ad hæresim Nestorij pertinentes: nempe quòd persona perso- A nam, vel natura personam assumpserit, vna tanquam prorsus Catholica recipienda est, quòd videlicet persona assumpserit naturam: ea verò quæ ponit naturam à natura assumptam, quo sit habenda loco, postea explicabitur.

Probatur autem Catholica doctrina contra Nestorium ex omnibus ijs tam scripturę quàm patrum testimonijs, necnon quotidianis fidelium sermonibus, quibus communionem idiomatum seu proprietatum vtriusque naturæ in Christo agnoscunt & confitentur. Hac enim communione posita necessariò consequens est vnicam in Christo esse per- 3.Tho. par q.1 ar.4. B sonam, quia oportet omnia illa in vnum suppositum conuenire quæcunque vnius eiusdemque rei singularis sunt attributa: Atqui persona illa vnica non alia fingi potest quàm æterna persona filij Dei. Nam si eam hominis personam esse dicas, quæ tamen eadem non sit persona filij Dei, sequetur, quod est absurdissimum; personam filij Dei non esse in Christo, sed vel extinctam in ipsa verbi incarnatione, vel ab ea prorsus alienam. Fatendum igitur est quod persona filij Dei non personam sed naturam assumpserit humanam.

Porrò scripturæ quæ communionem idiomatum & per consequens vnitatem personæ in Chri- C sto conuineant, sunt in duplici genere. Aliæ namque diuinas proprietates tribuunt homini & filio hominis, aliæ contrà proprietates humanas tribuunt Deo & filio Dei. Prioris generis sunt hæc & similia scripturæ loca. Isa. 7. & 9. puer ex virgine nasciturus Deus vocatur, & Luc. 1. Filius Dei, Matth. 16 Christo de filio hominis quærẽti respondet Petrus, eum esse filium Dei viui Et Ioannis 3. Filius hominis dicitur & descendisse è cælo & esse in cælo. Apostolos quoque Hebræor. 1. & 2. hominem illum quem D Deus vngit oleo lætitiæ præ consortibus suis, & qui paulominus minoratus est ab angelis, Deum vocat & filium Dei; cuius thronus in secula qui semper idem permanens rerum omnium author & creator est. Et Roman. 9. Christum secundùm carnem ex Iudæis natum, dicit esse Deum super omnia benedictum. Posterioris autem generis hęc & eiusmodi, Ioannis 1. *Verbum caro factum est* Actor. 20. Ecclesiam Deus acquisiuit sãguine suo, Rom. 1. & Gal. 4. Filius Dei factus dicitur ex semine Dauid, & ex muliere, Philip. 2. Qui in forma Dei erat & proinde æqualis E Deo, formam serui accepit in similitudinem hominum factus; & semetipsum humiliauit vsque ad mortem crucis 1. Cor 2. Dominus gloriæ crucifixus dicitur, & manifestiùs in symbolo, vnigenitum Dei filium, conceptum, natum, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, &c. confitemur. Denique quod Ioan. 1. Epist. 4. dicit: *Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est*, non ad eos tantùm pertinet qui vel diuinam vel humanam naturam in Christo negant: verùm etiam ad eos qui Christum in duas diuidunt personas, quæ singulæ suas diuersas atque incommunicabiles habeant proprietates. Hoc enim pro- F prijssimè est Iesum soluere, Christum qui vnus est, in duas personas distrahere. Agnoscenda est igitur vnica in Christo persona, cui & quæ diuinæ & quæ humanæ sunt propria naturæ, tribuuntur; quæque diuinam ab æternitate naturam habens, humanam in tempore suscepit. Hanc doctrinam in suo symbolo expressit Athanas. dum ita de Christo loquitur: Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate per-

sonæ, &c. Postmodum verò contra Nestorianam hæresim plenius eam exposuerunt patres Synodi Ephesinæ in qua, ex anathematibus beati Cyrilli canon 3. sic habet: Si quis in vno Christo hypostases post vnionem diuidit, sola eas connexione quæ fit secundùm dignitatem vel authoritatem, ac non potiùs ea quæ fit secundùm naturalem vnionem, coniungens, anathema sit. Et Can. 5. Si quis Christum hominem Deiferum audet dicere, & non potiùs Deum secũdùm veritatem, anathema sit. Hoc enim nomine θεοφόρε, id est, Deiferi, vtebatur Nestorius ad iudicandam personarum ex quibus Christum compositum volebat, distinctionem. In eãdem sententiam sonant & alij canones in dicta Synodo ascripti. Repetita est hæc doctrina diuersarum licèt hæreseon occasione in tribus proximè sequentibus Oecomenicis concilijs Chalcedonensi, Constantinopolitano secundo & tertio. Tractatur autem doctè à Cyrillo in ijs quæ cõtra Nestorium ab eo scripta sunt, & à Leone Papa in varijs sermonibus & epistolis inculcatur. Videre etiam licet Fulgentium de fide ad Petrum cap. 2. & eundem simul cum Petro Diacono in duobus libris de incarnatione & gratia Christi, Gregorium Homil. 38. in Euãgelia, & Ioannem Damascenum lib. 3 cap. 2 & sequentibus, quibus non minùs doctè quàm copiosè hoc argumentum pertractat.

His adiungere licebit declarationem quæ ex ratione petitur. Si enim personam aliquam hominis assumpsit filius Dei, parum sanè homo ille qui Christus dicitur, ab alijs pijs & sanctis hominibus differret. Nam etiam ad tales venit filius Dei & mansionem in eis facit teste scriptura, Ioan. 14. Et quoniam ibi Deus & homo proprias habent hypostases, rectè ad sensum Nestorij dicetur persona Dei saltem ad tempus assumere personam hominis: quatenus videlicet, ei per amicitiam & gratiam vel insuper per dona prophetiæ & miraculorum quæ per eum efficit, coniungitur. Nam & diuersas ibi proprietates & attributa habent Deus & homo; vt nec homo ille cui sic Deus coniungitur, Deus dici verè possit, nec vicissim Deus homo, nec ambo vna eademque res singularis. Quæ omnia longè aliter se habere in Christo ex superioribus & ex fide nostra Catholica manifestum est. Christus enim vnus est, non per amicitiam aut gratiam, aut alia Spiritussancti dona atque operationes quibus ille homo Deo coniungitur, sed vnitate personę diuinæ naturam assumentis humanam. Ex hac enim sola vnitione sequitur in eo proprietatum omnium vtriusque naturæ communicatio. Adde quòd si cum Nestorio personas in Christo distinguamus, nõ solùm tolletur veritas incarnationis verbi Dei, verùm etiam euacuabitur vniuersum mysterium redẽptionis humanæ, quemadmodum Leo, Fulgentius alijque patres diligenter annotarunt. Si enim filius Dei neque natus est in tempore, neque passus, neque mortuus, sed hæc omnia in puro homine facta sunt; non ergo per mortem filij Dei redemptum est genus humanum; ac proinde nec redemptum, quippe quod aliter quam passione eius qui infinitæ dignitatis esset, redimi non potuerit.

§. 4. *Responsio ad ea quæ contrà obijciuntur.*

RESpondendum nunc est breuiter ad argumenta quibus ostendi videtur personam assumptam esse à filio Dei. Quorum primum ex definitione personæ sumitur. Persona enim ex Boëthio sup. definita est rationalis naturę indiuidua substãtia: Atqui Christus assumpsit humanam naturam non in specie sed in atomo, id est, indiuiduo quemadmodum docet Damascenus libr. 3. capit. 11. Assumpsit igitur indiuiduam substantiam naturæ rationalis, & per consequens personam.

Deinde, Patres passim fatentur & dicunt hominem seu filium hominis assumptum à filio Dei. Quę voces non nudæ naturæ, sed eius quatenus in persona subsistit sunt significatiuæ. Omnis enim homo persona est. Ita frequentissimè loquitur Augustin. vt libro de agone Christiano c. 11. & 12. sermone 8. de verbis Domini, tract. 28. in Ioannem, de fide & symbolo cap. 4. & alibi.

Præterea, Anselmus in libro de incarnatione dicit filium Dei non assumpsisse hominem in communi, sed hunc hominem. Est autem hic homo, sine dubio substantia indiuidua.

Item, Innocentius tertius in quadam decretali dicit personam filij Dei quando incarnata fuit, consumpsisse personam hominis. Quod etiam innuere videtur tertius anathematismus Cyrilli. Fuit igitur ibi hominis persona priusquam consumeretur.

Obijciunt & hanc rationem: Anima rationalis vnita carni constituit personam. Nihil enim aliud ad constitutionem personæ in cæteris hominibus concurrere videtur. Atqui Deus assumpsit animam carni coniunctam, quæ nimirum coniunctio in ipsa assumptione facta est, assumpsit ergo personam.

Ad hæc ita respondemus. Ad primum ex sancto Thoma parte 3. quæst. 4. art. 2. Filium Dei assumpsisse quidem naturam humanam in atomo, id est, indiuiduo; sed indiuiduum illud non esse aliud à supposito increato, quod est persona filij Dei. Quanquam alij aliter respondeant, dicentes, indiuiduum in notione personæ præter singularitatem & incõmunicabilitatem importare dignitatem superuenientem, quæ videlicet accipitur à dignitori proprietate. Quoniam ergo natura humana in Christo non sola est, sed coniuncta naturæ nobiliori, nempe diuinæ; fit vt ipsa tametsi singularis natura sit, personæ rationem habere non possit, quia non per se existit.

Ad Patrum authoritates dicendum, eos impropriè & interdum minùs cautè locutos, maximè ante exortum Nestorium; per hominem intelligentes humanam naturam. Qui tamen sicubi circumspectiùs, magisque propriè loqui voluerunt, non hominem sed humanitatem à verbo assumptam dicerunt. Quomodo frequentiùs & libentiùs locuti sunt posteriores Theologi præsertim Scholastici. Nobis enim in his quæ religionem spectant, ad certam regulam loqui fas est, ait Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 23. Anselmi quoque verba eandem habent interpretationem. Nõ enim aliud voluit quàm quod Damasc. ait, humanam naturam à Christo assumptam in indiuiduo.

Porrò in verbis Innocentij, consumptio non destructionem significat eius quod extabat, sed prohibitionem ac præuentionem eius quod alioqui futurum erat. Præuenta est enim personalitas humana à persona diuina in Christo.

Ad rationem postremo loco positam respõdendum est animam carni vnitam tunc constituere personam, quando non coniunguntur ambo digniori, sed separatim existunt sic vnita. Constituunt enim tunc completam & per se subsistentem rationalem

substan-

substantiam. In Christu autem coniunguntur nobiliori naturæ propriam personalitatem habenti, à qua proinde simul sustentantur.

Notandum denique quòd etsi in Trinitate realiter non differant natura & persona, sed ratione tantùm, vt in primo dictum est; in rebus tamen creatis hæc duo necessariò secundùm rem distinguenda esse, quemadmodum ducet sanct. Thomas 3. quæst. 2. art. 2. Vnde ex assumptione naturæ minimè consequens videri debet, vt intelligatur simul assumpta persona vel hypostasis.

§. 5. *An diuina natura naturam assumpserit humanam?*

S. Tho. 3. part. q. 3. art. 2.

AD illud quæstionis propositæ membrum, an natura naturam assumpserit, affirmatiuè cum Magistro respondendum est; tametsi non tam propriè illud quod est assumere naturam, tribuatur naturæ quàm personæ. Cùm enim in verbo assumendi duo côtineantur, quorum alterû est esse principium actionis illius quam assumptionem dicimus, alterum esse terminum eius: conuenit quidem naturæ diuinæ secundùm seipsam, quòd sit assumptionis principium, vtpote cuius virtute facta sit ipsa assumptio. Quòd autem sit assumptionis terminus nô ei secundùm seipsam competit, sed ratione personæ in qua subsistit, & à qua realiter non distinguitur. Ac proinde primò quidem & propriissimè persona dicitur assumpsisse naturam, secundariò tamen etiam natura verè rectéque dicitur assumpsisse, siue ad se sumpsisse naturam: quia eam sumpsit ad personam verbi, à qua in ratione suppositi non differt, sicuti differunt Pater & Spiritussanctus, qui proinde non sunt dicendi assumpsisse naturam.

Est autem hæc doctrina consentanea sententijs patrum. Ait enim Fulgentius de fide ad Petrum capit. 2. illam naturam quæ semper genita manet ex patre, suscepisse naturam nostram sine peccato ex matre, & sub finem eiusdem capitis de humanitate Christi loquês addit. Quam sibi vnitam summa diuinitas gerit. Et Augustinus lib 1. de Trin. cap. 7. & 11. affirmat formam Dei accepisse formam serui. Quod autem per formam Dei natura Dei intelligatur, manifestum est ex illis Apost. verbis ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, &c.*

Præterea & hoc verè dicitur iuxta sanctorum Patrum attestationes diuinam naturam incarnatam esse, isto nimirum sensu: quia diuina natura sibi carnem vniuit, in persona, videlicet, filij Dei, sicut iam dictum est.

Asserit hanc propositionem Petrus Diaconus libro de incarnatione Christi capit. 2. & probat authoritate Cyrilli hoc ipsum dicentis in epistola ad Successum Episcopum. Asserit & Damascenus libr. 3 cap. 6. cùm dicit totam & perfectam naturam deitatis in vna eius hypostaseon incarnatam esse, id est, vnitam humanæ naturæ: Et paulò pòst: Quando dicimus, inquit, naturam verbi incarnatam esse secundùm beatos Athanasium, & Cyrillum, deitatem dicimus esse vnitam carni. Similia repetit capit. 7. & 11. repetita etiam eiusdem Cyrilli authoritate. Habet autem hoc Cyrillus tum in Epistola modo citata, tum in Chalcedonensi concilio actione prima.

Cæterùm non est ex his consequens diuinam naturam carnem factam, sicut confitemur verbum carnem factum esse. Nam vox illa, incarnari, duplicem recipit interpretationem. Aut enim incarnari A dicitur, quòd carnem sibi vnit, seu carnis naturam assumit. Quo sensu iam ostendimus diuinitatem incarnatam verè dici. Non enim aliud quàm duas naturas ineffabiliter vnitas, vna Dei verbi natura incarnata significat, inquit, loco supracitato Petrus Diaconus. Aut incarnari dicitur, quod ipsa incarnatione fit caro vel homo. Qui sensus alienus est à mente patrum, quando dixerunt diuinam naturam esse incarnatam. Cùm secundùm eorum doctrinam & secundùm rei veritatem manifestè falsum sit, diuinam naturam assumptione carnis, carnem vel hominem factam esse, ac multò minùs conuersam esse B in naturam humanam, id quod etiam tali locutione significatum intelligi posset. Nô enim naturæ in naturam conuersio per incarnationem facta est, sed natura naturæ in vnitatem personæ coniuncta.

§. 6. *Vnionem verbi incarnati non esse factam in natura.*

S. Tho. part. 3. ar. 1.

QVidam dum ab errore Nestorij voluerunt quàm longissimè recedere, ita personæ vnitatem posuerunt in Christo, vt etiam naturæ vnitatem ei tri- C buerent, docentes duarum naturarum diuinæ & humanæ vnionem factam esse in natura. Ita docuerunt Eutyches, Dioscorus, Timotheus, Seuerus & alij post eos Acephali dicti, quos deinde secuta est Monothelitarum hæresis ex eodem fonte originem ducens. Quorum omnium errores quarta, quinta, & sexta Synodus generalibus ecclesia damnauit. Quamuis autem in eandem doctrinam omnes hi conuenire viderentur: quatenus nimirum vnicam Christo naturam tribuebant, plurimùm tamen in modo constituendæ illius vnionis inter se discrepa- D bant. Alij namque vnam illam, quam Christo tribuebant naturam, compositam dixerunt ex duabus naturis, nihilominus integris permanentibus. Alij verò ex eisdem permixtis & transmutatis in vnam tertiam ab vtraque diuersam naturam. Et illorum quidem qui permanentes posuerunt naturas, alij eas perfectas considerarunt, vnitas tamen ipsa ad inuicem compositione, quomodo ex lapidibus & lignis fit domus Alij verò easdem considerantes vt imperfectas, posuerunt vnitas esse eo modo, quo ex partibus essentialibus aliquid simpliciter vnum cô- E stituitur, sicut ex anima & corpore constat homo. Qui autem permixtas & côfusas in tertium aliquid naturas finxerunt, eum secuti sunt modum in naturalibus, quo ex elementis fit corpus mixtum. Sed hos omnes modos vt absurdos & impossibiles, vna cum principali dogmate de vnica in Christo natura iam olim explosit ecclesia. Primo enim modo, quo, videlicet perfecta permanentia vniuntur, non constituitur quippiam vnum simpliciter, sed tantùm secundum quid. Atque hoc pacto reuera non esset simpliciter vna, vt ipsi volunt, natura in Christo, sed sola compositione, quemadmodum domus vel acervus. Alter autem modus, quo nimirum imperfe- F cta componuntur, Christo tribui non potest, quia vtraque in Christo natura perfecta atque completa est; ita vt ad vnius naturæ constitutionem concurrere ambæ nô possint, sicut ad humanæ naturæ côpositionem coeunt anima & corpus, tanquam actus & potentia: & proinde vtrumque secundùm se imperfectum. Tertius verò modus non nisi absurdissimè in incarnationis mysterio fingi potest, tum quia sequeretur diuinam naturam mutabilem atque in aliud conuertibilem esse, tum quia iuxta hunc vnionis modum Christus neque Deus esset neque homo,

A mo, sed aliquid ab vtroque diuersum, quemadmodum mixta in naturalibus. Porrò videtur Eutyches & alium vnitatis naturæ modum in Christo commentus fuisse, quemadmodum ex epistolis & sermonibus Leonis colligitur. Cùm enim vnitionem duarum naturarum in Christo confiteretur, ipsa tamen vnitione id effectum dicebat vt ex duabus naturis vna sola nempe diuina remaneret; nullatenus altetius, videlicet, humanæ, permanente substantia. Quod vtique nisi aut eunsumptione aut separatione humanæ naturę à diuina fieri non posset, inquit Leo serm. 8. de natiuitate Domini. Et similia B repetit serm. 6. de ieiunio septimi mensis, & epistola 52. ad episcopos Galliarum. Eandem sententiam & Flauianus patriarcha Constantinopolitanus Eutycheti tribuit in duabus ad Leonem sctiptis epistolis, quæ habentur in volumine epistolarum Leonis. De eadem re videre est vltimam heresim apud Augustin. ad Quod vult Deum quæ est Eutychetianorum & antepenultimam, quæ est Timotheanorum: qui è diuerso posuerunt diuinitatem verbi in carnem conuersam, quomodo Eutyches humanitatem dicebat à natura verbi ipsa incarnatione absump- C tam. Quamquam eius libri pars illa extrema non est Augustini, sed appendicis loco ab alio quopiam adiecta. Disputat autem generatim contra omnes istos naturæ singularitatem in Christo ponẽtes Damascenus lib. 3. cap. 3. 5. & quibusdam sequentibus secutus doctrinam præcedentium conciliorum, ac potissimùm Chalcedonensis in cuius symbolo sic legitur: Confitemur in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnio- D nem. Quò pertinet & illud symboli Athanasiani de Christo: Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Neque obstat quod sequitur. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus; quasi inde sit consequens, sicut ex anima rationali & carne vna constat hominis natura, ita ex duabus naturis diuina & humana vnam Christi naturam compositam esse. Non enim per omnia constat illa ab Athanasio producta similitudo, vtpote ad hoc tãtùm allata; vt per E eam personalis vnitas Christi in duabus naturis subsistentis declararetur, quemadmodum & admonuimus circa 2. huius libri distinctionem in explicatione quorumdam verborum Ioannis Damasceni.

§. 7. *Vtrum anima separata sit persona.*

S. Tho. 1. par. q. 29. a. 1. ad 5. & q. 75. a. 4. ad 2.

ANimam rationalem à corpore separatam, personam esse, opinio est Magistri §. E. dicentis; animam non esse personam quando alij rei F vnita est personaliter, sed quando per se est. Absoluta enim à corpore, inquit, persona est, sicuti angelus. Eadem est sententia Hugonis de S. Victore lib. 2. sententiarum capit. 12. Mouit autem eos ad ita opinandum, quòd anima à corpore separata, per se atque seorsim subsistat. Id quod in natura rationali ad personæ rationem sufficere videtur. Sed diuersum tenet communis eaque probabilior Scholasticorum doctrina: nempe animam nec coniunctam, corpori nec ab eo separatam esse personam. Ita docet Sanct. Thomas 1. quæstio 29. articul. 1. ad quintum & quæst. 75 articul. 4. ad secundum & in hanc distinctionem scribentes Bonauentura & alij. Quorum hæc est ratio: quia non quælibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed ea tantùm in qua reperitur completa natura speciei. Vnde sicut partes integrales, vt manus, pes, oculus, non sunt hypostases, vel personæ, ita nec formæ essentiales; vt anima rationalis, etiamsi sit separata. Quamuis enim per se subsistat, non tamen habet esse completum in natura alicuius speciei, sed retinet nihilominus naturam partis: & per consequens inclinationem ad corpus, cum quo vt comparte naturam perfectam & completam constituat.

Præterea si anima rationalis vnita corpori non est persona, vt Magister fatetur, multò minùs persona erit à corpore seiuncta. Nam alioqui per separationem à corpore, quæ violenta est & contra naturam, accederet ei dignitas personę, eandemq; rursus amitteret, quandu corpori restitueretur. Quorum vtrumque absurdum est.

IN DISTINCTIONEM SEXTAM.

§. 1. *Explicatio trium opinionum quas hac distinctione prosequitur Magister.*

S. Tho. 3. par. q. 16. a. 1. 2. & 4.

QVÆRENS Magister, quo sensu accipiendæ sint quædam propositiones quibus exprimitur incarnatio filij Dei, earum expositionem differens in distinctionem proximam, adfert hac distinctione tres diuersas opiniones: secundùm quas diuersam propositiones illæ recipient interpretationem. Vbi diligenter notandum est, duas à Magistro recensitas opiniones primam & tertiam, non tam opiniones esse quàm hæreses ad damnata Nestorij dogmata pertinentes, secundam verò complecti sententiam fidei Catholicæ. Quæ res vt pleniùs intelligatur, sciendum, Nestorianos in neganda Christi hominis diuinitate varios fuisse nec sibi inuicem satis consensisse. Quidam enim Christum esse Deum voce tenus confitebantur quidem, sed prauis interpretationibus sensum confessionis suæ Catholicum subuertebant, dum ad figuras & tropos confugientes, Christum idcirco Deum appellari dicerent: vel quia Deus in eo habitaret, vel quia vnius per omnia voluntatis esset cum Deo, vel propter operationem in eo diuinam, qua nimirùm tanta per ipsum, quanta per neminem alium Deus operatus fuisset, vel denique propter honoris magnitudinem & singularitatem qua homo ille propter coniunctum sibi Deum dignus esset habitus. Hæc igitur illa est opinio quam primo loco recitat Magister, qua duæ in Christo ponuntur hypostases, Dei & hominis, quæ & propriè ipsius Nestorij fuit.

Porrò alij prorsus à Christo remouebant appellationem Dei, seque dicebant extrema passuros potiùs quàm huiusmodi sermoni aliquando subscriberent. Horum autem dogma erat Christum carne & anima velut vestimento indutum fuisse, & proinde sicut vestis qua homo indutus est, nullo modo

oe quidem per tropum vocatur homo, ita Christum negabant Deum dici posse, licèt eo tanquam indumento Deus tegeretur: atque ob id homo ille honore aliquo sed longè infra Deum dignus esset. Atque hæc est opinio quam tertio loco Magister recensuit. Quòd autem ipse quoque Nestorius velut sibi parum constans tale aliquid senserit, satis perspicitur ex epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ decima est numero, & eiusdem ad Acacium quæ est decima quarta. In quarum priori hæc referuntur & damnantur Nestorij de Christo verba: Propter eum qui hominem induit, eum qui indutus est veneror. Propter inuisibilem adoro visibilem.

Iam verò quæ apud Magistrum secundo loco ponitur opinio, haud dubiè ipsa Catholica fides est, qua credimus & confitemur Christum esse Deum & hominem, nec tamen duos sed vnum Christum. Vnum inquam non confusione aut conuersione substantiæ, sed vnitate personę. Per quam vnionem fit, quemadmodum suprà ostendimus vt idiomatum vtriusque naturæ sit in Christo quædam alternatio, quomodo Damascenus loquitur libro 3 cap. 4. sic videlicet, vt proprietates filij Dei tribuantur homini, hominisque proprietates & accidentia tribuantur Deo, idque veraciter & citra tropum haud secus atque in alijs rebus contingit: quæ cùm sint natura diuersæ, subsistunt tamen in eadem hypostasi.

Cùm autem hæc Catholica doctrina per ea quę circa superiorem distinctionem diximus abunde sit confirmata, nihil hîc necesse est ad eius confirmationem adijcere præter ea quæ adseruntur à Magistro; quemadmodum nec laborandum est in refutanda prima opinione, cuius item argomenta præcipua superiori distinctione dissoluimus. De tertia verò opinione hoc tantùm adijciamus, eam ijsdem argomentis destrui quibus destruitur prima & astruitur secunda. Si enim vna est in Christo persona Dei & hominis, profectò dici non potest Deum homine non aliter quàm veste indutum apparuisse mortalibus; cùm vestis & qui veste indutus est, non sint vna persona sed supposita distincta, si tamen vestis potest suppositum vocari, cùm sit res artificialis. Deinde nemo nisi absurdissimè dixerit hominem qui vestem induit, vestem fieri, Deum autem hominem factum esse, iuxta illud; *Verbum caro factum est*, credere & confiteri debemus. Denique communio proprietatum inter hominem & vestem nulla est, qualem esse ostendimus in Christo inter Deum & hominem. Quod autem de Christo dicit Apostolus Philipp. 2. *In similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*, nequaquam dicto errori suffragatur, quemadmodum nec illæ patrum sententię, quibus interdum humanam Christi naturam indumento comparantes dicunt, Deum carne vel homine indutum esse, vt Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. & libr. de fide & symbulo capit. 4 Item lib. 9. de Ciuit. cap. 17. & 21. & in oratione de quinque hæresibus cap. 5. Nec non alia ex eodem Augustino, Gregorio & Hilario citata apud Magistrum loca. Nam in verbis Apostoli habitus non vestem significat, sed formam, figuram seu similitudinem, Græcè σχῆμα. Neque aliud vult Apostolus quàm filium Dei qui in forma Dei æqualis erat patri, assumpta forma serui, similem factum cæteris hominibus; vtpote verum hominem, sicut ab æterno erat verus Deus. Patres autem eiusmodi locutionibus impropriè vsurpatis significare voluerunt, Deum natura inuisibilem assumpta carne visibilem factũ, sicut plerumque homines vestis conspicuos reddere atq; ab alijs distinguere solet. Quamquam etiam significari potest sic humanam naturam deitati coniunctam tanquam præstantiori, sicut vestis coniungitur homini potiùs quàm contrà.

§. 2. *Persona Christi an rectè composita dicatur?*

CVm in persona filij Dei duæ naturæ inuicem coniunctæ atque vnitæ subsistant, quæri solet vtrùm composita dici possit persona Christi. Plærique Scholasticorum vt Bonauentura, Scotus & alij hunc loquendi modum non satis probant; propterea quòd compositio propriè dicta significet vnionem partium conuenientium ad constitutionem cuiuspiam totius, vt animæ & corporis ad constituendum hominem. Qua ratione manifestum est personam Christi non esse compositam. Non enim in Christo duæ naturæ vnitæ sunt ad cõstituendam personam, tanquam totum quoddam, vtpote quæ præextiterit ab æterno ante omnem naturarum vnionem. Neque potest diuina natura quæ est perfectissima vllam habere partis rationem: quia pars significat aliquid imperfectũ, & ordinatur in totum suum tanquam perfectum quoddam. S.Tho. part 3 q. ar. 4.

Cæterùm authoritate Patrum & conciliorum planè ostenditur, fatendum esse, quòd Christi persona composita sit ex duabus naturis. Ita enim frequenter loquitur Ioannes Damascenus vt libr. 3. capite 3. quæst. 5. & 7 & libro 4. capite 5. Cuius in capite 4. libri 3. hæc sunt verba: In Domino nostro Iesu Christo duas naturas agnoscimus & vnam hypostasim ex vtraque compositam, & cap. 5: Saluari etiam dicimus duas naturas post vnionem in vna composita hypostasi, id est, in vno Christo. Et capit. 7. Composita facta est quæ prius erat simplex verbi hypostasis, composita quidem ex duabus perfectis naturis, diuinitate scilicet & humanitate. Item lib 4. capit. 5 Hypostasis Dei verbi ante incarnationem simplex erat & incomposita. Eadem verò incarnata facta est & carnea hypostasis, & cõposita ex deitate & carne assumpta. Huc quoque pertinet quod Magister citat titulo Augustini ex libro sententiarum Prosperi, Christi personam constare & confici ex Deo & homine. Quod etsi hodie neque in Augustino neque in Prospero legatur, reperitur tamen apud Lanfrancum scribẽtem contra Berengarium ante medium libri & citatur à Gratiano de consecratione dist. 2. cap. Hoc est quod dicimus. Et habet ipse Augustinus similia verba lib. 13. de Trinit. cap. 17. & serm. 8. de tempore, & tractat 99. in Ioan. dicens esse in Christo personam vnam ex duabus substantijs diuina & humana constantem.

Eundem sermonem asserit & probat Petrus Diaconus libro de incarnatione capit. 3. vtens ad id authoritate concilij Antiocheni in quo damnatus est. Paulus Samosatenus, & Athanasij in libello cui titulus, quod vnus sit Christus, & Gregorij Theologi in sermone de filio. Quorum verba ab eodem authore recitantur. Nonnulla quoque similia leguntur in cõcilio Ephesino & quinta synodo Constantinopolitana Can. 4. & 7. Quin & apud Dionysium Areopagitam compositi vocabulum Christo attributum legitur libro de diuinis nominibus cap. 1. vbi eum simul & simplicem & compositum vocat; simplicem quidem propter vnitatem personæ, compositum verò non tantùm propter compositionem humanę naturę ex anima & corpore, verùm etiam propterea quòd in duabus naturis vna Christi per-

sti persona subsistat. Eadem ratione Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. Christum duplicem vocat, quòd nimirum Deus sit & homo. Itemque Athanasius in symbolo indicat quãdam compositionem personæ Christi ex Deo & homine, quando comparationem petit ab ea cõpositione qua componitur homo ex anima rationali & carne, licèt cõparatio non per omnia conueniat, quemadmodum ad superiorem distinctionem ostendimus. A

Cùm igitur tanta authoritate nitatur hic sermo quo dicitur cõposita Christi persona, rectè sanctus Thomas simpliciter eum vt verum defendit 3. q. 2. art. 4. atque explicat hoc modo: quia licèt persona B verbi etiam post incarnationem, secundùm illud quod est in se, sit omnino simplex, sicut & natura verbi, attamen secundùm rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, rectè post incarnationem composita dicitur ex duabus naturis, in quantum videlicet in duabus naturis subsistit. Quamuis enim ipsum subsistẽs vnum sit, est tamen in eo propter duas naturas alia & alia ratio subsistendi.

C

§. 3. *An rectè dicatur Christus esse duo*

S. Tho. 3. par. q. 17. art. 1. & 2.

EX superiori quæstione oritur & ista; Vtrùm Christus rectè dicatur esse duo. Hoc enim ex compositione consequens videri poterat. Est autem imprimis distinguẽdum hoc vocabulum, duo. Nam vel masculino vel neutro genere accipi potest. Quòd si masculinum in quæstione intelligas, certissima responsio est Christum non esse duos sed vnũ. Non enim duæ in Christo personæ sunt, sed vnica. D Sicuti namque alius & alius personæ diuersitatem significat, velut cùm dicimus in diuinis alium esse patrem, alium filium, ita & hæ voces masculini generis duo, tres &c. pluralitatẽ designãt in personis. At si neutrum genus intelligatur etiam sic negatiuè respondendum erit. Quamuis enim neutrum genus sit naturę significatiuum, sintque duę in Christo naturæ: quia tamen creata natura de persona non prędicatur (Non enim Petrus vel Antonius est humana natura sed homo, id est, habens naturam) ideirco nec hoc pacto Christus rectè dicitur duo, sed vnum sicut & vnus, quemadmodum inter alios doctè pro- E bat S. Thomas 3. quæst. 17. art. 1 & in hanc distinctionem scribens Bonauentura. Quod autem apud Patres interdum legitur Christus esse aliud atque, aliud propter duas in eo naturas, vt apud Hilarium libr. 9. de Trin. dicentem quòd Christus sit aliud de patre, aliud de matre; Et Augustinum libr. 1. de Trinit. capit. 7. & 10. & libr. 13. cap. 19. & tract. 69. in Ioan. & Ench. 35. vbi dicit Christum esse aliud propter verbum & aliud propter hominem, & in libr. contra Felicianum cap. 11. & 12. in mediatore Dei & hominum aliud esse Dei filium, aliud hominis filium. Hæc inquam & huiusmodi sententiæ improprię sunt & cõmodam postulant interpretationem. F Sensus enim est in Christo esse, vel Christum in se habere aliud atque aliud, id est, aliam atque aliam naturam. Ita enim contra Felicianum scribens seipsum Augustinus exponit. Magisque propriè dictum est à Gregorio Nazianzeno in epistola quadam ad Cledonium (quæ non extat, sed verba sunt apud S. Thomam) aliud & aliud esse ea ex quibus saluator est, nec propterea ipsum esse alium & alium, sed simpliciter vnum etiam neutro genere.

IN DISTINCTIONEM SEPTIMAM.

§. 1. *An Christus quatenus homo sit aliquid?*

S. Tho. 3. pa. q. 16. art. 1. & 2.

AD eam quæstionem quam inter alias mouet Magister, an hę propositiones, Deus est homo, & Deus factus est homo, significent Deum esse aliquid, & factum esse aliquid & omnino sitne dicẽdum Christum quatenus homo est, esse aliquid, siue substantiam: responsio affirmatiua est. Quod imprimis probatur ex definitione sedis Apostolicæ. Nam Alexander 3. scribens ad archiepiscopum Renensem, vt habetur lib. 5. decr. tit. de hæreticis, contra quorũdam temerarias disputationes ita statuit: Cùm Christus perfectus Deus & perfectus sit homo, mãdamus quatenus sub anathemate interdicas; ne quis de cætero audeat dicere Christum non esse aliquid secundùm quod homo. Quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali & humana carne subsistẽs. Ex quibus verbis ratio veritatis dictæ sententiæ intelligitur: quia sicut Deus, ita & homo substantiæ nomen est & vtrumq; de Christo dicitur, tanquam de proprio supposito. Sicuti ergo Deus ita & homo cùm de Christo dicitur, significat ipsum esse aliquam substantiam, ita vt essentialis sit vtraque prædicatio, Christus est Deus, & Christus est homo. Vtrobique enim vocabulum substantiã significans suo tribuitur supposito. Quod quidem vnum & idem subsistit vtrique naturæ. Præterea quæcunque patrum authoritates dicunt, Christum esse aliud vt hominem, aliud vt Deum, cuiusmodi ad finem superioris distinctionis adduximus, manifestè conuincunt, Christum secundùm vtramque naturam esse aliquid. Denique si Christus quatenus homo non sit aliquid, id est, substãtia, erit igitur humana natura accidens Christi, quod dici non potest: Aut enim accidit Christo homini aut Christo Deo: Non homini, quia nulli homini accidit esse hominem. At neque Deo, quoniam Deo nihil accidit. Concedi nihilominus potest humanam naturam in Christo hactenus habere rationem accidentis, siue successorij, quatenus sustentatur à supposito alterius naturę, videlicet diuinæ: ita nimirum vt illi supposito non det primum esse, sed iam completo adueniat, aliudque à priori diuersum esse tribuat. Porrò ista prædicatio, Deus est homo, vel homo est Deus (quæ vtraq; vera est & Catholica) si res attendatur primariò significata per vtrumque extremum, non est essentialis, sed vt Bonauentura loquitur in hanc distinctionem scribens, prædicatio per vnionem. Ideo enim alterum de altero prædicatur, quia alterum alteri in persona coniungitur atque vnitur. Si verò consideretur in vtriusq; propositionis subiecto ipsum suppositum, cui neutra naturarum per accidens inest, sed per se, erunt ambæ propositiones hac ratione essentiales, quemadmodum docet S. Thomas 3. quæstion. 16. articul. 1. & 2.

§. 2. *An sicut verum est Deum factum hominem, ita fatendum sit hominem factum esse Deum?*

S. Thom. 3. par. q. 16 ar. 6. & 7.

DEum per incarnationem factum esse hominem, indubitata fide tenendum est, quia testè euāgelio, *Verbum caro factum est*, & in Symbolo Constantinopolitano de filio Dei dicitur, & homo factus est: Quæ duo idem valent. Nam & Athanasius in epistola ad Epictetum asserit. Quod dixit Sanct. Ioannes, *Verbum caro factum est*, perinde esse ac si diceretur, Deus homo factus est. Probatur autem etiam ratione veritas dictæ propositionis: quia vnumquodque dicitur illud fieri vel factum esse, quod de nouo ei per veram prædicationem tribuitur. Sicut autem esse hominem tribuitur Deo & personæ filij Dei.

B

Sed quæstio est an è conuerso rectè dicatur hominem factum esse Deum. Qua de re variè disputant scholastici, & vtraque pars quæstionis suis nititur argumentis. Affirmatiua quidem his & similibus. Sanct. Augustinus libr. 1. de Trinitate capit. 13. Talis, inquit, erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret & hominem Deum, & apertiùs Gregorius Nazianzenus in epistola 1. ad Elidonium; Deus, inquit, humanatus est, homo autem deificatur, vel quomodolibet aliter nominetur: Ita & Ioan. Damascenus loquitur & subinde repetit libr. 3. capite 17. dicens carnem Christi esse deificatam, quem in locum commētans Clichtoneus, ait: Sicut hanc recipiunt patres, Deus factus est homo, ita & istam, Homo factus est Deus. Præterea sicut dictum est: *Verbum caro factum*, ita Augustinus homil. 44. inter 50. dicit carnem factam verbum, & Maximus homil. 1. de Natali Domini, hominem in Deum transiuisse, & homil. 4. carnem transformatam esse in Deum.

C

D

Addunt & rationem dialecticam: Homo est Deus & non semper fuit Deus, igitur aliquando factus est Deus. Item sicut diuina natura humanæ vnita est, ita & humana diuinæ; ergo sicut Deus homo factus est, ita & homo factus Deus.

At verò negatiuam partem astruit Ioannes Damascenus libr. 3. capite 2. inquiens: Quamobrem non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Nam cùm esset natura perfectus Deus, factus est perfectus homo; & Petrus Diaconus capite 5. de incarnatione: Deus, inquit, factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per pronectum, non per naturam Christum Deum audent asserere. Item Maxentius in Catholica professione de Christo citat Athanasium dicentem: Verbum caro, non caro verbum factum est, & in capitulis contra Nestorianos hanc propositionem damnat, Christus Deus factus est.

E

F

His accedit ratio suprà positæ rationi contraria, Christus semper fuit Deus, nō enim illa persona aliquando cœpit esse Deus. Igitur non verè dicitur Christum factum esse Deum, & per cōsequens nec hominem factum esse Deum Sicut enim Christus, ita & homo in eiusmodi propositionibus personam designat filij Dei, quam constat ab æterno esse Deum. Hac ratione nititur Sanctus Thomas 3. quæst. 16. art 7. vt negatiuam partem co.firmet. Cui, & plærique alij consentiunt dicentes hanc, homo factus est Deus proprio sermone falsam esse, licèt secundùm quandam improprietatem concedi possit, hoc nimirum sensu; factum esse per incarnationem vt hæc sit vera; homo est Deus, quæ antea vera non erat, idemque iudicium de ista, Christus factus est Deus. Atque in hunc modum exponunt authoritates patrum diuersum sonantes. Scotus tamen contendit hanc non minùs quàm illam, Deus factus est homo, propriam esse locutionem; Cuius rationes apud ipsum videat studiosus.

§. 3. *An Christus fuerit prædestinatus esse Filius Dei?*

S. Tho. 3. p. q. 24. art. 1. 2. & 3.

EX verbis Apostoli Rom. 1. dicentis de Christo *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, nata est apud doctores disputatio de prædestinatione Christi: vtrùm, videlicet, Christus prædestinatus sit esse filius Dei. Vbi imprimis fugiendus est sensus Nestorij, quo significatum volebat illis Apostoli verbis, hominem illum qui dicitur Christus non naturā habere sed gratia assecutum esse, vt sit filius Dei, & ad eam gratiam ab æterno esse prædestinatum: Qui sensus contrarius est sanæ fidei, qua Christum credimus natura esse filium Dei, & hoc nomine distingui ab alijs, qui per gratiam adoptionis filij Dei facti sunt. Dum igitur tam veteres quàm recentiores fatentur Christum prædestinatum esse filium Dei, hoc sensu id dictum volunt: Ab æterno prædestinatum est à Deo, idque non ex præuisis meritis sed ea gratia, vt in tempore homo esset Deus, & Deus homo, & per consequens vt Christus esset filius Dei, id quod proposita quæstio interrogabat. Quamuis enim Christus natura sit filius Dei, per gratiam tamen ab æterno præparatam facta est illa vnio duarum naturarum in persona Christi. Hunc sensum suggerit glossa ordinaria in dictum Apostoli locum, & Augustinus de prædesti. atione Sanctorum, capite 15. vbi etiam prædestinationem Christi statuit exemplar nostræ prædestinationis, quia sicut per gratiam prædestinatum est ab æterno vt Christus esset filius Dei naturalis (non enim humana natura in Christo vllis suis præcedentibus meritis hoc assecuta est vt filio Dei vniretur) ita per gratiam prædestinatū vt nos adoptionem filiorum Dei reciperemus. Patet quoque ex his dictam prædestinationem non esse attribuēdam naturæ (siquidē humana in Christo natura non est filius Dei) ed personæ Christi, non quidem secundùm se, vel quatenus in diuina natura subsistit, sed quatenus in humana. Atque hac ratione non esse ei naturale, sed attributum per gratiam vnionis quòd sit filius Dei. Cæterùm quod ad locum Apostoli attinet, quamuis istoquo diximus modo Latini interpretes exponant, Græci tamen vt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & alij non improbabiliter hunc reddunt sensum: Christum qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, & proinde comprobatur verus homo, etiam declaratum & certis argumentis probatum esse filium Dei, nempe in virtute; id est, per potentiam miraculorum, & per alia quę deinceps Apostolus enumerat. Tale quid enim vox illa, quam interpres noster prædestinatum vertit, Græcis sonat.

§. 4. *An Christus dici possit homo Dominicus, Deificus, diuinus.*

S. Tho. 3. par. q. 16. ar. 3.

VEteres interdum Christum hominem dominicum vocasse leguntur, vt Augustinus libr. octoginta trium quæstionum quæst. 36. & in expositione Psalmorum 1. q. 4. & 7. & alibi. Sic & Beda in 1. Reg. 1. Sed retractat hoc & corrigit idem Augustinus libr. 1. retract. cap. 19. his verbis: Non video vtrùm rectè dicatur Dominicus qui est mediator Dei & hominum Christus Iesus cùm sit

B

vtique Dominus; & hoc quidem vt dicerem, apud quosdam legi Catholicos tractatores. Sed vbicunque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamuis nonnulla posset ratione defendi, Sic ille. Ratio autem retractationis est, quam tribus verbis indicauit Augustinus, quia qui est verè & propriè Dominus secundùm quod Domini appellatio Deo conuenit, nō debet quasi denominatiuè dici Dominicus. Absurdū est enim & repugnans, vt idem de eodem essentialiter simul & denominatiuè dicatur. Vnde ad

C

Nestorianā hæresim pertinet, Christū dicere hominē dominicū, si propriè intelligatur. Per hoc enim negatur naturaliter esse dn̄s. Quia tamen quæda secundùm vocem denominatiua prædicari contingit essentialiter, hinc aliqua ratione defendi poterat ille sermo, tanquā non aliud significans; quàm Christum esse dominum. Quomodo dicimus essentiam diuinam, vel personas diuinas, quomodo & Dionysius ecclesiasticæ hierarchiæ, cap. 4. part 3 Christum vocat diuinissimùm Iesum, & authores quidā eum vocant hominem diuinum: licèt huiusmodi sermo-

D

nes exponendi potiùs sūnt quàm vsurpandi. Potest autem & hac ratione dictum intelligi, quatenus humanæ naturæ diuina coniuncta est non per naturam sed per gratiam.

IN
DISTINCTIONEM OCTAVAM.

§. 1. *An Christi natura sit de virgine nata?*

S. Tho. 3. par. q. 35. art. 1.

QVÆSTIO quam de sola diuina natura proponit Magister, extendi potest etiam ad humanam; an videlicet tam diuina quàm humana natura rectè dicatur nata de virgine, quæstioni respondemus, cùm nasci non sit aliud quàm naturam accipere, id autem non naturæ sed hypostasi rectè tribuatur. non esse dicendum quòd natura siue diuina siue humana sit nata de virgine; sed quod Christus secundùm naturam humanam, non autem secundùm diuinam de virgine natus sit. Nam de matre naturam accepit non diuinam sed humanam.

Rectè quoque probat Magister diuinam naturam non esse natam de virgine, ex eo: quia non est nata de patre, quemadmodum patet ex distinctione 5. libri primi, vbi ostensum est propriè essentiam diuinam nec genuisse nec genitam esse. Et genera-

A

lis est Ioannis Damasceni sententia, libro tertio capit. 6 qua affirmat natiuitatem hypostasis esse, non naturæ. Quod igitur à Fulgentio dictum est libr. de fide ad Petrum capit 2. Neque enim natura æterna atque diuina temporaliter concipi, & temporaliter nasci ex natura humana vllatenus posset, nisi secundùm susceptionem veritatis humanę &c. ita accipiendum; vt natura loco personæ posita, vel saltem personam generalitate sua complecti intelligatur; idque propter identitatem realem, quæ in diuinis est inter naturam & hypostasim. Quo sensu & alia multa patrum dicta accipienda esse ad-

B

monuimus circa quintam distinctionem libri primi.

Neque rursum illud conuincit diuinam naturam de virgine natam esse, quod patres subinde asserunt eam verè incarnatam esse, quemadmodum ostendimus ad quintam distinctionem huius libri. Non enim incarnata dicitur, quia caro facta, sed quia in vnitate personæ verbi, carni est vnita.

§. 2. *An duæ sint Christi natiuitates?*

S. Tho. 3. par. q. 35. art. 2.

HVic de gemina Christi natiuitate quæstioni

C

occasionem dederunt veteres hæretici, qui Christum vel tantùm hominem vel tantùm Deum, vel vnius esse compositæ naturæ dixerunt Qui omnes vnam tantùm natiuitatem in Christo confessi sunt. Contra quos Ecclesia Catholica agnoscens Christum esse Deum & hominem, Deum æterna, hominem temporali generatione absque naturarum confusione, duas itidem natiuitates in Christo confitetur & credit: alteram qua ex patre natus est Deus Dei filius ante secula, alteram qua ex matre natus est homo hominis filius in seculo;

D

quemadmodum manifestè nos docent symbola fidei nostræ, apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum & alia. Hinc angelus ad Virginem. *Quod nascetur ex te sanctum*, & de virgine ad Ioseph: *Quod in ea natum est*, nimirum natiuitate temporali, Ad quam & illud Isaiæ pertinet; *Puer natus est nobis*, & alia eiusmodi, quibus vel natus vel factus dicitur Christus secundùm carnem; & omnino id testatur omnis ea scriptura quæ Christum filium hominis esse confirmat. Filius enim hominis non est nisi natiuitate humana atque temporali.

E

Quare & consequenter fatendum est Christum bis natum esse, semel ab æterno ex patre, & iterum in tempore ex matre. Ita enim Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. secundam Christo natiuitatem tribuit, & ab Hieronym. Vida nō minùs verè quàm eleganter scriptum est: *Spiritus alme tuo liceat mihi munere regem, Bis genitum canere.*

Duas porrò natiuitates Christi constanter asserunt patres. Inter quos Damasc. lib. 3. capit. 7. Confitemur, inquit, duas Christi natiuitates, vnam quæ est ex patre æternam, & vnam quæ est in vltimis tē-

F

poribus propter nos. Et patres concilij 2. Constantinopolitani can. 2. ita statuunt: Si quis non confitetur Dei verbi duas esse natiuitates &c. anathema sit. Cui canoni tam verbis quàm sensu consonat can. 4. concilij Lateranensis sub Innoc. 3. Quin & in conc. Chalcedon. quod his omnibus antiquius est Act 1. ex epistola Cyrilli ad Nestorium geminæ Christi natiuitatis perspicuum testimonium habetur. Neque verò huic doctrinæ ratio repugnat, quasi fieri nequeat, vt id quod iam est nascatur & nascendo esse incipiat. Sicut enim omnipotenti Dei virtute factum est, vt vna Christi personā in duabus

subsistat

subsistat naturis, ita factum, vt eadem persona quæ ab æterno suum esse, id est, naturam diuinam accepit ex patre, etiam in tempore alterum suum esse, nempe naturam humanam acciperet ex matre. De quo proinde non absurdè dicitur, quòd fuerit antequam ex matre nasceretur; quia secundùm aliud semper fuit & secundùm aliud nascendo esse cœpit.

Fatendum præterea Christum vtraque natiuitate filium esse naturalem; æterna quidem Dei patris, temporali verò virginis matris. Non tamen duos filios, ne personas diuidamos, sed vnum propter vnitatem personæ in quam vtraque illa cadit natiuitas.

S.Tho.3. pa. q.35. ar.5.

An autem tribuendæ sint Christo duæ filiationes & quidem reales, ratione geminæ natiuitatis problematicè apud Scholasticos disputatur. Negantem partem tuentur Sanctus Thomas & Bonauentura, quorum tamen argumenta non improbabiliter refelluntur à Scoto, qui partem tenet affirmantem.

IN DISTINCTIONEM NONAM.

§. 1. *An vtrique naturæ in Christo eadem adoratio exhibenda sit?*

S.Tho.3. pa. q.25. art.1. & 2.

HVMANA Christi natura eiusque partes corpus & anima non diuersa aliqua ab ea quæ verbo debetur, adoratione colenda sunt, vt voluerunt Nestoriani, quorum sententiam priori loco recensuit Magister, sed eadem prorsus cum ea quæ Deo exhibetur. Cuius ratio est vnitas personæ in Christo. Propriè enim honor exhibetur toti rei subsistenti, .i. hypostasi, quæ cùm sit vna in Christo, vnus quoque honor siue adoratio toti Christo debetur: ea nimirum quam λατρείαν vocant. Sic enim Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 1. cultum soli Deo debitum vna voce exprimendum censet. Cùm igitur humanitas Christi, vel partes eius adorari dicuntur, non aliud secundùm proprietatem sermonis significatur; quàm ipsum Dei verbum humanatum, animatum vel incarnatum adorari. Quæ adoratio cùm diuinæ personæ exhibeatur, ea ipsa est quæ Deo debetur eademque vna est; etiamsi plures adorandi causæ occurrere possint. Quare simpliciter dicẽdum est; carnem & animam Christi sicut & membra corporis eius adoranda esse adoratione latriæ: quę quidem ijs debetur ratione hypostasis verbi Dei, à qua illa sustentantur, & cui vnita sunt, non autem adoratione duliæ, tanquam puræ creaturæ debita. Vnde & Sanctus Thomas in hanc distinctionem scribens priorem à Magistro indicatam opinionem vt Nestorianam reijcit; dicens eam tribuerę humanitati aliud suppositum præter suppositum æternum.

Fuit autem hæc de vnica Christi adoratione sententia semper vt certa à patribus tradita. Nam Athanasius oratione 5. ad Adelphum copiosè eam docet, & Augustinus in Psalm. 89. ad illud: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, de carne Christi quam per scabellũ pedũ Domini intelligit,

A verba faciens, & de ea loquens adoratione, de qua dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis*: Nemo, inquit, illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit &c. Et paulò pòst, Nõ quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellũ est quod adoras. Propter ipsum eum adoras. Et quæ sequũtur. Similia leguntur apud eundem serm. 58. de verbis Domini, qui sermo partim ex tract. 78. in Ioannem, partim aliunde collectus est. Respondens enim Arianis: Ego, inquit, Dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta atque Deitati vnita B est, vt non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei filium confitear. Et cætera quæ à Magistro recitantur. Quæ verba satis dilucidam continent præsentis doctrinæ explicationem adducta etiam similitudine à purpura vel diademate regis, quibus seorsim propriè nullus competit honor, sed quatenus vnum quodammodo sunt cum rege quem volumus honorare.

Porrò hanc doctrinam contra Nestorium vt Catholicam tradidit Cyrillus in libro ad Euoptium anathem. 8. & rursum in apologetico ad orientales Episcopos octauo item anathem. Qui C etiam est 8. canon Ephesini concilij, vbi sic legitur: Si quis audet dicere assumptum hominem coadorãdum Deo verbo, & conglorificandum, quasi alterum cum altero; & non potiùs vna adoratione colit Emmanuelem, vnamque ei glorificationẽ dependit; iuxta quod verbum caro factum est anathema sit. Et canon 9. synod. 2. Cõstantinopolitanæ: Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, seorsim Dei verbo, & seorsim homini, & non vna adoratione Deum verbum incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod sanctæ Dei ecclesiæ ab initio tradi- D tum est, anathema sit. Sic Leo serm. 8. de quadragesima loquens de diuinitate & humanitate Christi, ait: Vtrũq; fideliter credite, vtrumq; humiliter adorate, vt in vnitate verbi & carnis, non sit vlla diuisio. Expressit eandem postea sententiam Damascenus duobus locis. Nam lib. 3. cap. 8. ex vnione hypostatica naturarum in Christo ita infert: Vnus igitur est Christus, Deus perfectus & homo perfectus; quem adoramus cum patre & spiritu vna adoratione cum immaculata carne eius. Neque inadorabilem carnem esse dicimus. Nam adoratur in vna E verbi hypostasi quæ & ipsi hypostasis facta est &c. Et lib. 4. c. 5. Caro, inquit, vnita Deo verbo propter ipsum & in ipso adoratur. Quod & declarat duobus exemplis, videlicet purpuræ regiæ & carbonis igniti, & concludit carnem secundùm sui naturam non esse adorabilem. Adorari autem in incarnato Deo verbo, nõ propter seipsam, sed propter coniunctum ipsi secundùm hypostasim Dei verbum. Neque enim dicimus, inquit, quòd carnem adoramus nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum Deum. Ita ille rectissimè distinguens id quod adoratur à causa adorandi. Etenim in huius- F modi rebus aliud est honoris causa, aliud honoris materia, sicut & in homine qui propter virtutem, scientiam vel potestatem, & non propter naturam humanam honoratur alio magis minusve.

Hinc igitur fit vt qui Christo illuserunt, eumque crucifixerunt & carnem eius variè afflixerunt, meritò habeantur rei læsæ diuinæ maiestatis: ideo videlicet quia Dominum gloriæ crucifixerunt 1. Cor. 2.

Possunt denique huc referri omnia ea quæ contra hodiernos hæreticos rectè proferuntur ad

probandam legitimam adorationem corporis Domini in Eucharistia In quam rem compluta extant testimonia Patrum.

---

§. 2. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

S.Thom. vbi supr.

CONtra vnam adorationem vtriusque in Christo naturę primum ac potissimum hoc obijcitur argumentum; Humanam Christi naturã eiusque partes animã & carnem quãtumuis verbo Dei vnitas, conditionem creaturę nõ excedere; ideoque illicitum imò impium videri, si eadem adoratione cum ea quę Deo propriè debetur, id est latriæ cultu honorentur. Cùm scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*; Et grauiter reprehendantur Rom. 1. qui seruiunt creaturæ. Quo vtroque loco apud Græcos verbum illud est à quo latria deducitur. Sed ad hoc argumentum ex supradictis, patet responsio Cùm enim humana Christi natura subsistat in persona diuina; & honor propriè in personam terminetur, non in naturam: manifestum est dum humanitas Christi adoratur, non ita adorari creaturam quin propriè tendat actus ille in creatorem; qui naturam creatam sibi in vnitate personæ copulauit. Vnde sicut vnus honor debetur regi quacunque veste induto, ita vna adoratio debetur Deo, quamcunque naturam assumpserit. Cũ ergo dicitur soli Deo seruiendum non excluditur sed potiùs comprehenditur quicquid in vnitate personæ Deo coniunctum est. Et Apostolus Rom. 1. non reprehendit quomodocunque seruientes creaturæ, sed eos qui seruierunt creaturæ potiùs q àm creatori, vel supra creatoram. Quod hîc minimè fit, sed ita adoratur creatura; vt tamen ea adoratio propriè non alteri fiat quàm creatori. Atque hoc est quod Ioan. Damascenus lib. 3. capit. 8. declarat his verbis: Neque creaturam colimus. Nam non vt nudam carnem adoramus, sed coniunctam diuinitati; & vt in vnam personam & vnam hypostasim Dei verbi duæ eius reuocatæ sunt naturæ. Deinde nec absurdè terminari dicitur aliquo modo in creaturam illa adoratio, quãdo Deus dignatus est fieri creatura. Ita enim propter communicationem idiomatum etiam propriè adoratur creatura, id est, persona filij Dei, de quo enunciatur creatura, vt suo loco dicetur.

Alterum argumentum ex Ioan. Damasceno petitur qui libr. 4. capit. 3. Caro, inquit, filij Dei secundùm suam naturam; si diuidas subtilibus intelligentijs, id quod videtur ab eo, quod intelligitur inadorabilis est vt creatura Et deinde duobus interpositis similibus. Sic & caro, inquit, secundùm sui naturam non est adorabilis. Intellige cultu latriæ, sed alio quodam cultu inferiori. Ita enim interpretatur Damascenum Sanctus Thomas 3. quæstion. 25. art. 2. dicens carni sic intellectæ vt separatæ à Dei verbo deberi adorationem duliæ, non cuiuscunque sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant. Licebit ergo carnem verbi seorsum à Verbo consideratam diuersa ab eo quæ verbo debetur, adoratione venerari. Respondendum carnem Christi non esse adorandam vt talem qualis à nobis intelligi aut fingi potest; videlicet, vt separatam à verbo, sed qualis reuera est; vt nimirum verbo secundùm hypostasim coniunctam. Neque verò aliud Ioan. Damascenus & Sanctus Thomas voluerunt quàm si fingamus carnem Christi separatam à verbo (qualis reuera nec est, nec vnquam erit) tum

A ea conditione posita, carnem Christi non esse coadorandam diuinitati, sed inferiori quopiam honore venerandam. Hoc enim & Sanct. Augustini verba significant sermon. 58. de verbis Domini quibus, ait: Si hominem separaueris à Deo illi ego nunquam credo nec seruio.

Aliud argumentum adfertur ex glossa ordinaria super illud Psalmi: *Adorate scabellum pedum eius*, vbi dicitur carnem Christi sine impietate adorari à nobis; quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi priùs adoret: non illa, inquam; adoratione quæ B latria dicitur & soli creatori debetur, cùm caro Christi sit pars humanitatis, sed illa dulia quæ dignior est. Hoc argumentum Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura, Scotus & alij sibi obijcientes soluere conantur, non vno modo. Sed dicendum est ea verba hodie in Glossa ordinaria non haberi, etsi fortè in quibusdam codicibus inueniantur adiectitia esse & inserta vt verisimile à quopiam Nestorianum aliquid sapiente, iuxta priorem à Magistro in textu positam opinionem: cùm glossæ illius priora verba sumpta sint ab Augustino scribente in Psalm. C 98. Quo loco vt suprà ostendimus disertè docet carnem Christi sine impietate adorari à nobis ea adoratione de qua dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, &c.*

---

§. 3. *Quomodo adoranda sit Crux Christi.*

S. Thō. 3. q. 25. ar. 4.

CRucem Christi rectè à fidelibus adorari, probat perpetua ecclesiæ traditione obseruata D consuetudo. Vnde in ecclesiæ canticis auditur illud: *O Crux adoranda*, Et: *Tuam crucem adoramus*. Item illud in carmine Lactantij. *Flecte genu, lignumq́; Crucis venerabile adora*, & alia huiusmodi. Versatur autem inter doctores quæstio de genere adorationis Cruci Christi exhibendæ: Vtrùm videlicet latriæ, an inferiori aliquo cultu adoranda sit. Quòd autem latriæ cultus ei exhibendus sit, his argumentis ostendi videtur.

Primum: Ecclesia Crucem Christi vocat spem nostram vnicam, & ab ea iustitiam expectat, dicens: *O Crux aue spes vnica*, item, *Auge pijs iu-* E *stitiam, reisq́; dona veniam.* Tale est & illud: Apostoli, Galat. 6. *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Præterea in officio Ecclesiastico cantantur & alia nonnulla, per quæ latriæ cultus Cruci deferri videtur. Vocatur enim vitæ lignum, mortis remedium, spes & victoria Christianorum, alijsque eiusmodi diuinis titulis honoratur.

Item testantur Ioan. Damascenus, & alij (vt ex superioribus quæ de Christi adoratione diximus, patet) purpuram & diadema regis eodem honore cum rege adorari; licèt hæc non subsistant in eadem hypostasi cum rege: igitur & crux Christi, licèt F Christo non sit coniuncta hypostaticè, eadem cum illo adoratione colenda erit.

His accedit authoritas Basilij allegata à patribus septimæ Synodi, itemque à Ioan. Damasceno, & post eum ab omnibus ferè scholasticis, circa hanc distinctionem. Qui dicit capit. 18. de Spiritusancto ad Amphilochium, honorem imaginis referri ad prototypum; id est, ad exemplar suum. Quare cum Christus adoretur cultu latriæ; erit & crux Christi, quatenus Christũ crucifixum nobis repræsentat, eodem cultu adoranda. Sic verbi gratia pro-

stratio

stratio (& idem de reliquis) ante crucem Christi est actus latriæ; eadem autem adoratio, est crucis veneratio: ergo crucem veneramur actu latriæ, & eadem ratio de imaginibus Christi.

Sed & hoc ipsum cõforme videtur philosopho, qui libro de memoria & reminiscentia, dicit eundem esse motum in imaginem vt imago est, & in ipsum exemplar.

Similia habet sanctus Thomas 2.2. quæst. 81. articul. 3. ad tertium, item quæst. 94. art. 2. ad primum, & 103. art. 3. ad tertium. Qui etiam 3. par. quæst. 25. articul. 3. & 4. hanc sententiam tam de imagine, quàm de cruce Christi tuetur. Quin & sanctus Bonauentura & alij plærique scholastici in eius sententiam descendunt.

Pro cuius maiori declaratione & confirmatione distinguit sanctus Thomas dicto articulo quarto duplicem honorem circa rem insensibilem. Primus est qui ei impenditur inquantum repræsentat naturam intellectualem. Secundus est quo res honoratur inquantum rationali creaturæ quocunque modo est aut fuit coniuncta. Si ergo (inquit ibidem sanctus Thomas in corpore art.) loquamur de cruce in qua Christus pepẽdit; vtroque modo est à nobis veneranda latriæ cultu; sicut eadem veneratione honoramus regem & imaginem & vestimentum regis. Si verò loquimur de effigie crucis in quacunque alia materia, illa priori tantùm modo adoranda erit, sed tamen latriæ cultu. Similia exempla videre licet apud Medinam super dicto articul. 3. & 4. vbi hanc sententiam ita propugnat vt contrariam, tanquam temerariam & periculosam in fide, damnare non vereatur; quod quàm temerariè ab eo factum sit, patebit ex ijs quę pro contraria parte adferentur argumenta, haud contemnenda.

Pro huius clariori intellectu, notandum est pręter duplex honoris genus circa res insensibiles à S. Thoma notatum, tertium esse: quo scilicet rem aliquam propter repræsentationem excellentis & honorabilis naturæ, vel peculiarem aliquam cum illa coniunctionem, venerabiliter habemus: quem honorem septima Synodus Act. 7. in conclusione seu decreto suo, & alibi passim, vocat honorariã quandam adorationem; & Tharasius Patriarcha adorationem æquiuocè dictam; eiusdem Synodi Act. 2. illic vbi respondet ad literas Adriani Papæ, & apertiùs idem cum Synodo in epistola ad Imperatores Act. 7. Atque hic honor licèt non terminetur in prototypum, sed hæreat in typo; ipsi tamen propter prototypum defertur. Hoc igitur pacto crucem illam cui Christus affixus fuit, tanquam instrumentum redemptionis nostrę, à membris Christi contactum eiusque sanguine perfusum, veneramur. Quo etiam modo, tametsi non pari gradu, sacramenta salutis nostræ, euangelia, sacra vasa, &c. vt ibidem loquitur cõcilium, veneratione digna meritò habentur: Quibus tamen neque latriæ neque duliæ cultus exhibetur, sed veneratio talis cuiusmodi circa res inanimatas fieri solet propter earum significationem, vel quamcunque aliam ad res per se honorabiles, coniunctionem. Est autem hæc triplicis honoris distinctio ac declaratio consentanea doctrinæ patrum in dicta 7. Synodo pro sacris imaginibus habita. Nam illa actione 7. definit imagines esse venerandas, atqui non latriæ cultu (vt statim probabimus) ergo aliquo alio, qui non est nisi iam explicatus. Est & conformis ijs quę tradit Damascenus lib. 4. capit. 12. de cruce, & capit. 17. de adoratione imaginum. Nunc ergo sit conclusio. Etsi crux illa in qua Christus salutem nostram operatus est, contactu corporis eius sanctificata, maiori prosequenda sit veneratione, quàm imagines illius repræsentatiuæ: latriæ tamen cultum, nec his nec illi deferendum conformiter Sanctorum patrum censuræ asserimus.

Probatur primò. Patres 7. Synodi quæ fuit 2. Nicæna, actione vltima in sua definitione expressè declarant non veram latriam, quæ solùm diuinæ naturæ competit, sed honorariam quandam adorationem tam imaginibus quàm cruci Christi exhibendam esse. Quod & Epiphanius diaconus in sua ad hæreticos responsione quæ est tomo 2. actionis sextæ eiusdem Concilij: & Tharasius patriarcha Constantinopolitanus vnà cum concilio in epistola priùs citata apertè docet, vbi & hoc traditur (vti & suprà monuimus) adorationem dum Christo tribuitur & cruci eius vel imagini, æquiuocè accipi. Nec satisfaciunt qui respondent concilium loqui de adoratione quæ exhibetur cruci propter se, non de ea quæ propter prototypum. Primò, quia de ea re non potest esse dubium. Nam crux propter se sine vt materia quædam est, nec latria, nec alia adoratione digna est, vti etiam fatetur sanctus Thomas dicto articul. 3. & 4. ergo de ea non est sermo. Secundò, quia concilium tam ibi quàm actione 6. & alibi, dicit nos dum crucem & imaginem veneramur ad prototypum respicere: & tamen planè distinguit adorationem crucis & imaginis, ab adoratione exemplaris, & illam hac inferiorem esse docet. Tertiò, quia concilium actione vltima dicit simili ratione qua imagines coluntur, etiam coli librum euangeliorum, & sacra vasa: quæ tamen nullo modo latriæ cultu veneranda sunt. His adde, nos debere sequi morem loquendi ecclesiæ; ille autem cognoscitur ex concilijs, maximè in definitione articuli alicuius ad fidem pertinentis, & in abiuratione alicuius hæretici dogmatis. Atqui concilium tam in definitione iam citata, quàm in abiuratione quam actione 1. facit Theodosius Episcopus, non affirmat crucem aut imagines Christi esse adorandas latria, sed simpliciter negat: ergo & nos ab isto loquendi modo abstinere debemus. Similiter id negat apertissimè, probante Synodo Constantinus Constantiæ in Cypro Episcopus, actione 3. Vnde & probabile est, imò satis certum est, Sanct. Thomam hanc concilij definitionem non legisse: quam si legisset, aliter de crucis & imaginis Christi adoratione fuisset locutus. Quòd autem illam non viderit; magnum (inter cætera) argomentum est, quod in tota hac materia nullam illius concilij mentionem fecerit. Et causa esse potuit, quia fortè eo tempore nondum latinè exstabant dicti concilij acta, vel saltem non erant in manibus.

Probatur secundò varijs Sanctorum patrum testimonijs. Ambrosius oratione de obitu Theodosij, loquens de Helena Constantini matre: Inuenit ergo titulum, regem adorauit, non lignum vtique quia hic gentilis est error. Sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.

Item Sanctus Gregorius libro septimo, epistola 109. & libr. nono, epistol. 9. ad Serenum simpliciter remouet ab imaginibus adorationem latriæ; quas tamen seruandas & venerandas esse docet in vtraque epistola: & libro septimo, epistol. 53. quæ est ad Secundinum. Verba habes quæstione sequenti.

Adrianus primus libro primo de imaginibus ad Carolum magnum capite 9. dicit: Secundùm fidem nostram, nequaquam veram culturam quæ

decet solam diuinam naturam, imaginibus exhibemus; sed osculum & honorabilem salutationem. Et tamen capit. 8. dicti libri adsertur sententia Basilij, quòd honor imaginis transit in prototypum, ergo dictum hoc Basilij non intellexit pontifex, vt discipuli Sanct. Thomæ intelligi volunt, sed vult sensum esse, quòd imago honoratur propter prototypum.

Sed nec Sanctus Damascenus interpretatus est dictam Basilij sententiam vt illi, sed modo planè contrario. Nam libro quarto capite 17. dicens imagines adorandas ratione rei repræsentatæ, & id probans ex sententia Basilij ista, *Imaginis honor ad prototypum refertur*; non vult eundem esse imaginis & prototypi honorem, sed diuersum, ita tamen vt imago honoretur propter prototypum. Id enim Sanctum Damascenum sentire manifestè patet legenti totum caput, maximè id quod initio dicit, quòd nos homines inuicem honoramus, quatenus ad imaginem Dei facti sumus. & mox ad probationem, subiungit dictam sententiam Sanct. Basilij: ergo nulla ratione potest hoc intelligi de vno & eodem honore; nisi quis dicat quòd nos homines inuicem adoramus cultu latriæ; quod dicere absurdissimum est. Et infrà, de Dei matre & sanctis quorum honor in Deum reducitur, adducto simili: rursus subinsert sententiam Basilij, dicens: Sic & imaginis honor ad prototypum transit, aut transfertur, Græcè διαβαίνει. Constat autem Dei matrem & sanctos non eodem honore coli quo Deum. Quem Sanct. Damasceni de Dei matre locum ipse etiam Sanctus Thomas dicta quæstio. 25. articul. quinto ad secundum, sic exponit; quòd honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda.

Similia obseruare licet in dictis Sanctorum patrum. Sic Hieronymus in epistola ad Riparium contra Vigilantium de martyribus: Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum. Vbi constat vel ex ipso loco Sanct. Hieronymi non esse eundem honorem seruorum & Domini, licèt hic in illum redundet siue referatur. Sic & Augustinus in Psalm. 44 ad illa verba, *In honore suo*, In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Quin & ipse Dominus Matth. 10. & alibi: *Qui vos recipit, me recipit*; &c. non tamen omnes eodem honore cum Domino sunt recipiendi. Item diligendus est proximus propter Deum, & dilectio proximi in Deum est referenda; non tamen est eadem dilectio qua Deum & proximum diligo. Ex quibus omnibus infertur, quòd licet crux Christi & imago eius, propter Christum honorentur, & honor in Christum redondet, siue in eum referatur, non tamen esse eodem honore cum Christo venerandas.

His accedit Innocentius tertius qui sermone 1. in dedicatione templi, docet vnicam esse imaginem Dei patris quam vna cum patre debemus adoratione venerari, scilicet vnigenitum Iesum Christum Dei filium; cæteras verò imagines licere quidem adorare propter imaginatum, non tamen latria.

Probatur tertiò conclusio multiplici ratione. Si crux vel imago Christi potest adorari latria, poterit etiam ei sacrificium offerri, quod tamen olim damnatum in Carpocrate & Collyridianis; de quibus Irenæus libr. 1. cap. 24. & Epiphanius hæresi 27. Item, si crux Christi est adoranda cultu latriæ, quia est aliquid Christi, igitur & homines

A & angeli qui propter naturæ excellentiam Deo sunt coniunctiores, & ad imaginem eius facti; multò magis eodem cultu adorandi erunt, maximeque beatissima Virgo quæ filium Dei in vtero suo portauit & de suis visceribus genuit. Ad hoc argumentum respondet Sanctus Thomas: cùm creatura rationalis per se sit capax honoris, si ei inquantum imago Dei est, vel aliter inquantum Deo coniuncta, exhiberetur adoratio latriæ; erroris occasionem fore, scilicet vt motus adorationis sisteret in creatura rationali, tan-

B quam adorationis termino. Sed contrà est quòd honor qui est per se, non excludit honorem propter aliud. Deinde ponamus abesse erroris periculum in aliquo honorante; sicut verè abesse potest: An tum Beatæ virgini, alijsq; Dei imaginibus latriæ cultus exhiberi poterit concedit Medina super articul. 5. dictæ quæst. 25. de beata Maria, idque ratione coniunctionis, non tamen absolutè; sed non satis firmiter hoc suum dictum probat.

His addi possunt & aliæ rationes tam pro crucis quàm imaginis adoratione. Testimonium vir-

C tutis non datur cruci aut imagini: ergo nec honor propriè dictus. Sequitur à definitione ad definitum. Item, honor diuinus non debetur creaturæ; crux autem & imago creaturæ sunt; ergo non debetur eis cultus diuinus, ergo nec latria. Item propter quod vnumquodque & ipsum magis: atqui crux & imago Christi adorantur propter Christum, ergo ipse magis adorandus. Adde quòd dicere crucem aut imaginem eodem cultu adorari debere quo Deus, non careat periculo: sed & Catholicorum aures offendit, & occasionem præbet hæreticis libe-

D riùs blasphemandi; ac proinde meritò fugiendum esse talem loquendi modum.

Nunc ad argumenta in contrarium allata respondendum est.

Ad primum: Salutationes & adorationes quibus crucem alloquimur in Ecclesiastico officio, sunt tropicæ locutiones; in quibus partim est prosopopeia, partim metonymia. Vt dum his verbis eam alloquimur: *Arbor decora & fulgida*, item, *Beata cuius brachijs*, &c. prosopopeia est, Sicut ibi, *Montes Gelboe nec ros nec pluuia veniant super vos*. Metonymia

E verò est in versu sequenti: *O Crux aue spes vnica, hoc passionis tempore, auge pijs iustitiam, reisq; dona veniam*. Hoc enim Christo crucifixo proprium esse constat. Rursus prosopopaia est cùm dicitur: *Crux fidelis inter omnes*, &c. Item, *Flecte ramos arbor alta*, item, *Sola digna tu fuisti*. Similiter in hac Antiphona: *O crux splendidior cunctis astris*, &c. Cùm autem subditur: *Salua præsentem cateruam*, &c. metonymia est: pertinet enim hoc ad Christum crucifixum. Vtriusque figuræ permixtio videtur esse in illa Antiphona: *O crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconijs; quoniam vitam nobis cælitem præparasti*. Ad confirmationem ex Apostolo ad

F Galat. 6. allatam, respondeo sensum esse; non gloriandum nisi in Christo crucifixo vel in passione & morte Christi, quam in crucis patibulo sustinuit; & per quam omne bonum salutare nobis promeruit ac procurauit.

Ad secundum dicendum illud intelligendum de rege diademate aut purpura vestito Nam si hæc non sint in corpore regis; non idem eis honor impenditur qui regi, sed veneratio quædam; quia scilicet venerabiliter habentur & contrectantur, vt expli-

explicat ipse sanctos Augustinus serm. 58. de verbis Domini circa finem.

Ad tertium respondeo honorē imaginis ad prototypum referri hoc sēsu: quòd honoraria adoratio exhibeatur cruci aut imagini quatenus prototypū repræsentat, & propter prototypum; licèt honoris genus sit diuersum. Quem sensum verum ac germanum esse dicti loci allegati ex sancto Basilio satis liquet, ex ijs quæ prima & secunda probatione attulimus ex synodo 7. & Adriano 1. & ipso Damasceno seipsum explicante & alijs.

Ad illud autem quod de prostratione (& idem est de simili veneratione) ante crucem Christi aut imaginem eius, obijcitur, respondeo: quòd illa prout fertur in crucem aut imaginem Christi, sit adoratio honoraria tantùm; at verò prout fertur in Christum, latria. Pro qua responsione, obseruandum est quod actus externus accipit speciem moris ab interno. Internus autem ei respondens est duplex. Vnus quo animus fertur in crucem vel imaginem crucifixi, tanquam signum, qui est adoratio honoraria: alius quo fertur in Christum; & est actus latriæ. Et huius ratione externa prostratio, capitis apertio &c. est actus latriæ: & hac ratione non fit imagini sed ei cuius est imago. Quod autem idem actus externus respectu diuersorum possit esse latria & dulia, siue etiam honoraria tantùm adoratio: ostenditur simili. Sic verbi gratia, si caput aperiam Christo simul & beatæ Mariæ, quia scilicet simul nominantur: erit eadem illa capitis apertio latria, respectu Christi, dulia, respectu Sanctæ Mariæ. Quòd si eadem externa adoratione Christus & mater eius, & sancti rectè honorantur cur non & imagines? Item celebrare festum alicuius sancti, & laudes eius in ecclesia recitare; est cultus duliæ respectu sancti; & cultus religionis, respectu Dei quem intendo talibus actibus colere. Imò & missæ sacrificium, respectu Dei cui propriè sacrificatur, est latria; & respectu beatæ Mariæ aut sanctorum in cuius vel quorum honore offertur, est dulia: & respectu reliquiarum super quibus sacrificium fit, honor quidam vtroque inferior. Ex quibus sequitur, quòd quandocunque dicitur crucem adorari latria; id intelligendum esse, non de ipsa cruce, sed crucifixo. Vnde potiùs dicendum, talem cultum exhiberi ante crucem vel coram cruce; vti obseruare est apud Innocentium tertium serm. 1. in dedicatione templi, vbi sic habet. Vnde & alibi legitur: Christiani sacras imagines piè venerantur & adorant. Veriùs tamen adoramus Deum coram imagine, quàm imaginem coram Deo. Vnde præceptum est. *Coram altari hoc adorabitis*. Non ait, inquit, *altare*, sed *coram altari*, & propheta, *Adorabo ad templum sanctum tuum*. Idem loquendi modus est apud patres concilij Tridentini sess. 25. de sacris imaginibus; vbi docent venerandas esse sacras imagines, non tamen more gentilium: Sed quoniam, inquiunt, honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Vbi nota non dici quas adoramus, nec quibus caput aperimus & procumbimus, sed coram quibus caput aperimus, & procumbimus, &c.

Ad locum philosophi varias expositiones adfert Bellarminus libro de imaginibus capite 24. sed sensus videtur esse, quòd intellectus dum

A intelligit aliquid vt hominem, lapidem: aut quid simile eodem actu seu motu fertur in speciem intelligibilem & obiectum. Nam species est imago obiecti. Ita motus oculi est in speciem visibilem & in colorem. Sed sicut intelligens non censetur tunc intelligere speciem, sed hominem vel lapidem; nec oculus videre speciem visibilem sed colorem: ita qui intuens imaginem, Christum adorat, non censetur imaginem adorare. Quam si adorare velit, inferiori cultu adoret necesse est.

Ad Sanctum Thomam quod attinet, licèt
B contrarium sensisse videtur; sunt tamen qui probabiliter eum exponunt secundùm ea quæ suprà monuimus; quòd scilicet eodem actu externo siue materiali adoretur crux cum Christo; qui tamen latria sit respectu Christi, in quem solum illa terminetur: honoraria verò adoratio respectu crucis. Atque hoc probant ex similitudine ab ipso allata de honore regis & vestimenti eius: cùm sine dubio maiori honore dignus sit rex quàm vestimentum; quod ipsum tamen eodem cultu exteriori honoratur cum rege. Deinde id probari potest ex eodem Sancto Thoma qui super epistola
C ad Hebræos capite 11. lect. 5. ad illud, *& adorauit fastigium virgæ eius*, sic ait: quia adorauit Christum significatum per virgam illam; sicut & nos adoramus crucifixum & crucem ratione Christi passi in ipsa. Vnde propriè non adoramus crucem sed Christum crucifixum in ipsa. Idem super epist. ad Coloss. capite 3. lect. 1. ad illud, *Quod est idolorum seruitus*, dicit: Idololatria est, quando quis exhibet alicui imagini honorem debitum Deo. Ex quibus probabiliter colligitur quid sanctus doctor senserit.

D Porrò hîc duo notanda sunt. Primum ex Damasceno libro 4. capite 12. non solùm crucem in qua pependit saluator; verùm etiam clauos, lanceam, vestimenta, sacra eius tabernacula; videlicet præsepe, sepulchrum & similia adoranda esse, ratione contactus membrorum Christi. Quanquam hæc non ita nobis repræsentant Christum, quomodo crux eius, quæ peculiariter Matth. 24. vocatur signum filij hominis. Atque hinc est, inquit sanctus Thomas sæpe citata quæstione 25. ar. 4. quòd crucem veneramur in quacunque materia; non autem imaginem clauorum, aut quorumcunque huiusmodi.

E Secundum quòd licèt eiusdem generis cultu, cum vera Christi cruce, veneranda sit effigies crucis ex quacunque materia; non tamen vna ratione. Nam lignum crucis contactu sanguinis & corporis Christi sanctificatum, ita veneramur, vt etiam destructa figura, materiam eius in minutissimas partes diuisam summo in bonore habeamus. Effigiem verò tantùm veneramur ratione repræsentationis, sicut & imagines, de quibus sequitur.

F

§. 3. *De cultu imaginis Christi & sanctorum.*

QVo genere honoris imagines Christi & sanctorum venerandæ sint, ex ijs quæ superiori quæstione de cruce eiusque effigie diximus, satis liquet. Sit itaque conclusio. Etsi verissimum sit imaginis honorem ad prototypum referri, S. Tho. p. q. ar. 3.

non idcirco tamen eadẽ adoratio debetur imagini, quę prototypo. Quare licèt imagines Christi & sanctorum honorandas ac retinendas esse nemo Catholicus dubitet; non tamen arbitramur imaginem Christi adorandam esse cultu latriæ quæ Christo debetur; nec imagines sanctorum adorandas esse cultu duliæ, quæ debetur ipsis sanctis. sed veneratione quadam honoraria quæ signis cõpetit; iuxta ea quæ tam ea septima synodo generali, quàm sanctis patribus superiori quæstione allegata sunt. Cõuenit autem imaginibus honoraria hæc veneratio (licèt eadem sit genere) eò magis aut minùs, quò ea quę imagine repræsentantur, magis aut minùs sunt excellentia.

Quæ verò contra hanc de venerãdis imaginibus doctrinã multa & varia ab hęreticis proferuntur, nõ huius est instituti omnia expendere & refutare. Et quidem ea his quæ dicta sunt, non difficile est illorum ferè omnium solutionem accipere. Sufficiat interim hoc loco ea occasione doctrinæ de adoratione geminæ in Christo naturæ, breuiter indicasse fundamentum & rationem traditionis ecclesiasticæ, qua iam inde ab ipsis apostolorum temporibus, semper aliquis imaginũ vsus in ecclesia fuit; tametsi non ita frequens illo adhuc tempore quo ex gentilitate plurimi recens ab idolorum cultu ad Christi fidem conuertebantur. Vt autem huius traditionis antiquitas intelligatur, recensebimus aliquot loca ex patribus, & vetustis historijs quæ nobis sacrarum imaginum vsum & venerationem commendant.

Eusebius lib. 2 historiæ ecclesiasticæ cap. 15. meminit imaginis Christi ab ipso missæ ad principem Edessenorum. Idem libro 7. capite 14. narrat à muliere quam Christus à profluuio sanguinis liberauerat, erectam illi fuisse statuam, eamque à Christianis in veneratione habitam vsque ad tempora Iuliani apostatæ; atque adeo insigni & perpetuo quodam miraculo claruisse. Quo loco etiam meminit imaginum Deiparæ virginis & Apostolorum Petri & Pauli. Hæc eadem leguntur apud Nicephorum libr. 6. capit. 15. & 16. & libr. 10 capit. 30.

Tertullianus quoque libr. de pudicitia, scribit Christum pingi solitum specie pastoris ad se vocãtis oues erraticas. Refert Euagrius libr. 5. suæ histor. capit. 18. Anatolium quemdam propter scelus in carcerem coniectum, confugisse ad imaginem beatæ Virginis opis impetrandæ causa. Scribitur & in vita sancti Alexij qui vixit temporibus Sanct. Augustini apud Edessam nomen eius per imaginem beatæ Virginis fuisse diuulgatum.

Chrysostomus hom. 19. ad populum Antiochenum; queritur se ob valetudinem non potuisse interesse solemnitati, in qua circumferebatur vita martyris cuiuspiam in tabulis depicta. De eodem in vita eius refert Gregorius patriarcha Alexandrinus eum in cubiculo suo habuisse imaginem Pauli Apostoli ad viuum expressam. Prudentius in hymnis Cassiani & Hyppoliti, scribit illorum martyrum imagines, & totam passionis historiam depictam à se conspectam in ipsorum memorijs. Basilius quid de imaginum veneratione sentiat, suprà diximus ea capite 18. de Spiritusancto. Extat apud eundem locus alter homil. 20. est & apud Lactantiũ carmen de Passione Domini, significans imaginem Christi crucifixi in medijs templis poni solitam: Quod vsque hodie in ecclesijs obtinet. Meminit quoque ecclesiasticarum imaginum & picturarum subinde Augustinus vt libr. 4. contra Iul. capit. 2 & libr. 1. de consensu euangel. cap. 10. & sermone 94 de diuersis. Sunt præterea apud Gregorium Romanum tria loca apertissima pro sacris imaginibus in ecclesia habendis. Primus est lib. 7. epistola 53. ad Secundinum: Scio quidem, inquit, quòd imaginem saluatoris non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed vt per recordationem in eius amore recalescas: Et nos quidem non quasi ante diuinitatem ante illã prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginẽ aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. In quibus verbis notandum etiam tunc fideles solitos prosterni ante imagines Christi & sanctorum. Alter locus est in epistola 109 eiusdem libri ad Serenum Massiliensem episcopum, qui imprudenti zelo imagines sacras propter quendam abusum eiecerat de ecclesia: Ad quẽ ita scribit: Peruenit ad nos, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens easdem ecclesiæ imagines confregit atq; proiecit. Et quidẽ zelũ vos, ne quid manufactũ adorari posset, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesijs adhibetur, vt hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratione populũ prohibere debuit: quatenus & literarum nescij haberent vnde scientiã historię intelligerẽt, & populus in adoratione picturæ minimè peccaret. Tertius locus l. 9. epist. 9. ad eundẽ Serenũ: Quòd, inquit, imagines adorari vetuisti, omnino laudamus, fregisse verò reprehendimus. Aliud est enim picturam adorare, aliud est per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Frangi non debuit, quod non ad adorandum in ecclesijs, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Hæc ille, vtique adorationem latriæ intelligens & eam quæ sistitur in ipsa imagine, & non ad prototypum refertur. Hic Gregorius ad Anglorum conuersionem misit quemdam Augustinum episcopum, de quo refert Beda libro 1. histor. Angl cap. 25. eum cum suis portasse publicè imaginem saluatoris in tabula depictam.

At verò cùm succedente tempore orta esset hæresis eorum, qui sacras imagines vt idola calumniabãtur; quos Græci Iconomachos & Iconoclastas vocant, & imperatores Græcorum annis ferè centum continuis easdem oppugnassent, multis etiam episcoporum in suam sententiam perductis, tandem in septima synodo oecumenica Nicæna decretũ est in templis, parietibus, tabulis, sacris vestibus, locis priuatis & publicis habendas & retinendas esse sacras imagines Christi & sanctorum. Vbi & declaratus est rectus ac legitimus earum vsus. Declarat eadem synodus imaginum vsum & venerationem apostolicam esse traditionem, multorumque sanctorum patrum testimonijs eam confirmat; simul & refellit ea quæ ea patribus contra venerandas imagines ab aduersarijs obiiciebantur. Circa id tẽpus multi pro defensione sacrarũ imaginũ scripserunt, inter quos Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 17. earum vsum ac venerationis modum doctè explicuit.

IN DISTINCTIONEM DECIMAM.

§. 1. *An Christus quatenus homo sit persona.*

S. Thom. 3. par. q. 16. ar. 11.

CVm Christus quatenus homo sit aliquid, quemadmodum ad distinctionem 7 ostendimus ex definitione sedis apostolicæ: quærit hic Magister an consequenter fatendum sit Christum quatenus homo est, esse personam? Si enim Christus vt homo, est aliquid, id est substantia; ea verò substantia rationalis & indiuidua, quæ est personæ definitio: fatedū vidatur Christum quatenus homo est, esse personam. Deinde simpliciter verum est omnem hominem esse personam. Si ergo cæteri homines quatenus homines sunt personæ, igitur & Christus.

Sed respondendum quamuis aliquo sensu cōcedi possit Christum quatenus homo est, personam esse; prout videlicet vox illa, homo, in reduplicatione posita, rationem suppositi indicat, vt sensus sit; Christum in quantum est suppositum humanæ naturæ, esse personam, quomodo id intelligi posse declarat in textu Magister, & in hūc Magistri locū commentantes Scholastici, itemque S. Thomas 3. q. 15 art. 12. propriè tamen & absolutè eum sermonem non esse admittendū, sed fugiendum tanquam Nestoriano dogmati, quo duæ Christo personæ tribuuntur, fauentem. Cùm enim reduplicatio propriè accepta importet propriam rationem vel causam rei; certum verò sit personalitatis in Christo rationem vel causam, non esse in humana natura, & proinde nec significari vocabulo hominis; consequens est Christum, in quantum homo est, id est ex ratione naturæ humanæ non esse personā. Non enim in Christo natura humana per se seorsim subsistit, sed coniuncta est naturæ digniori in vnitate personæ, quæ digniori illi naturę propria est. Præterea, nihil æternum competit Christo quatenus homo est. Cùm igitur in Christo non sit persona nisi æterna, quemadmodum contra Nestorianos tenet Catholica fides, consequens est Christum quatenus homo est non esse personam, sed tantùm quatenus Deus.

Ad argumentum ex definitione personæ petitum responsum est circa quintam distinctionem, substantiam indiuiduam in ea definitione intelligi substantiam completam per se & seorsim ab alio saltem digniori subsistentem, Quomodo non subsistit humana natura in Christo, vtpote coniuncta diuinæ.

Ad alterum facilis responsio est, omnem quidem hominem esse personam, sed Christo propriū esse quòd non sit persona in quantum homo, sed in quantum Deus vt patet ex dictis.

§. 2. *An Christus dici possit Filius Dei adoptiuus?*

S. Tho. 3. p. q. 23. art. 4.

ALtera huius distinctionis quæstio est, an Christus rectè dicatur filius Dei adoptiuus ratione assumptæ naturæ. Ita enim videri potest ex eo quòd Apostolus eum vocet primogenitum in multis fratribus Rom. 8. Quod cùm ei non natura competat (est enim natura non primogenitus sed vnigenitus Dei filius) competere videtur per adoptionem. Opponitur enim adoptio naturæ in ratione filiationis; vt quicunque non natura filius est, adoptiuus rectè dicatur. Neque enim ad rationem adoptionis requiritur, vt qui adoptatur, aliquando ab hæreditatis iure fuerit alienus, sicut homines post lapsum. Nam & angelus & primus homo in gratia creati non naturales sed adoptiui erant filij Dei, nunquam licèt ab illa filiatione alieni. Quomodo etiam potest quispiam aliquem ex alio nasciturum sibi in filium adoptare. Huic sententiæ suffragari videtur quod Hilarius dicit lib. 2. de Trin. post medium. In Christo potestatis dignitatem non amitti, dum carnis humanitas adoptatur. Et quod Ambrosius lib. 5. de fide cap. 4. de filio dicit; non deficiens à se, sed nostrę ius sibi adoptionis acquirens. Item quod Augustin. lib. de prædestinatione Sanctorum capit. 15. & alibi dicit, quòd eadem gratia ille homo est Christus, qua ab initio fidei quicunque homo est Christianus.

Porrò negantem partem confirmat tam authoritas quàm ratio. In primis enim scriptura Christū nusquam adoptione aut gratia filium Dei vocat, sed plurimis locis indicat verum & naturalem esse Dei filium. Vnde illud 1. Ioa. vlt. *Scimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis sensum vt cognoscamus verū Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna.* Idem sonat vox Patris de cælo, & tam Nathanaelis quàm Petri confessio, & alia in scripturis passim obuia testimonia. Atque hoc argumento tametsi negatiuo vtitur Ambrosio ascriptus commentarius in epistolam ad Rom. 1. super illud: *Qui prædestinatus est filius Dei*, sic loquens; Legi & relegi scripturas, Iesum filium Dei nusquam adoptione inueni. Et ipse Ambrosius lib. de incarnationis Dominicæ sacram. cap. 8. Adoptiuum filium, inquit, nō dicimus filium esse natura. Et lib. 1. de fide ad Gratianum capit. 9. & vlt. apertè negat Christum per adoptionem filium Dei esse; eò quòd natura sit filius. Item Hilarius lib. 3. de Trinit. ante libri medium disputans quomodo Christus sit filius: Nos, inquit, sumus filij Dei, sed non talis hic filius. Hic enim verus & proprius est filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, natiuitate non creatione. Et lib. 6. circa medium latè probat cōtra Arianos adoptionis nomen in Christo non esse admittendum. Hieronym. quoque in caput 1. Ephes. inter Christum & nos ita distinguit; quòd ille natura nos adoptione filij simus; ille semper fuerit filius, nos antequam essemus filij, prædestinati simus, similiter Augustinus tract. 82. in Ioan. Nos, inquit, filij gratia non natura, vnigenitus autem natura non gratia. Quanquam quod ibidem sequitur & à Magistro citatur hoc etiam ad Christū hominem referendum esse; non pertinet ad verba proximè præcedentia, sed ad illud quod Dominus ait, se manere in patris dilectione. Hoc enim Aug. vult homini Christo cōpetere per gratiam vnionis. Cùm autem vnigenitum negat gratia filium esse, adoptionis gratiam intelligit, de qua dixerat nos gra-

tia filios esse. In eandem sententiam scribit Gennadius lib. de Eccles. dogm. cap 2. his verbis: Dei filius factus est hominis filius, natura secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei filius, & secundùm veritatem naturę ex homine hominis filius: vt veritas geniti non adoptionem, non appellationē, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet; & essat verus Deus & verus homo vnus filius, &c. Denique author glossæ ordinariæ ad illud Phil. 2. *Vt in nomine Iesu, &c.* negat Christū hominem adoptione Deum esse, quasi Christus ex parte verus Deus, & ex parte adoptiuus Deus sit. Adoptiuo autem Deo, inquit, non flectit genu creatura, sed vero. Et rursum ad illud, *Quia Christus est in gloria Dei Patris.* Concilians quædam verba Ambrosij & Augustini in speciē pugnantia, ait: Naturali donatione dedit pater nomen super omne nomen Deo filio non homini, id est, Christo secundùm quod Deus, non secundùm quod homo; nec fuit aliud dare, quàm æqualem generare. Gratuita verò donatione dedit homini Christo non Deo: quia Christus non in quantum Deus, sed in quātum homo per gratiam accepit nomen Dei, nec per gratiam adoptionis sed per gratiam vnionis: vt non sit adoptiuus Deus, sed verus, cui flectitur omne genu. Ita ille. In his patrum sententijs notādum est, quòd quamuis propriè stylum dirigant contra Arianos, qui Christum ita dicebāt adoptione filium Dei, vt natura filium negarent; absolutè tamen loquuntur vtentes hoc argumento tanquam certissimo: Christus est natura filius Dei, non igitur adoptione. Glossā verò Nestorij dogma perstringens etiam addita determinatione hominis, negat Christum per gratiam adoptionis Deum, & per consequens Dei filium.

Ratio verò doctrinæ huius est; quia sicut natiuitas, ita filiatio propriè tribuitur personæ, non naturæ. At in Christo vnica est persona eaque æterna, cui competit filium esse natura. Adoptiuus autem filius quadam participatione filius dicitur. Cùm ergo repugnet aliquid alicui tribui per naturam simul & participatiuè, cōsequens est Christum qui natura Dei filius est, non posse dici eiusdem filium adoptiuum; siue id simpliciter dicatur, siue cum determinatione hac aut simili, in quantum homo.

Ad illud ergo quod ex Apostolo objcebatur, dicendum, Christum hominem esse primogenitum in multis fratribus per gratiam vnionis non adoptionis; quæ vnionis gratia non prohibet quo minùs idem sit filius natura. Vt autem quis adoptione filius dicatur, non quidem requiritur vt aliquando fuerit à iure hæreditatis alienus, vt suprà dictum est; requiritur tamen vt filiatio ei ratione originis suæ non fuerit debita. Id quod verè dicitur de omni pura creatura intellectuali, licèt in gratia creata. Non autem de Christo cui vt homini præsupposita vnione filiatio fuit debita.

Quod autem Hilarius humanitatem carnis adoptatam dicit impropriùs sermo est, quo significare voluit humanam naturam assumptam & eleuatam esse in eam dignitatem, vt diuinitati in persona verbi vniretur. Ambrosij verba non aliud volunt, quàm filiū Dei incarnatum metuisse sibi ius nostræ adoptionis, id est, vt nos essemus filij Dei adoptiui. Hoc enim ad eius meritum referendum est. Augustinus verò non adoptionis gratiam intelligit, sed eam quæ meritum omne præcedens excludit. Sicut enim sine meritis præcedentibus factum est, vt ille homo esset Christus; ita sine meritis præcedentibus quilibet homo fit Christianus. Hoc tamen discrimine, quòd ille per gratiam vnionis sit filius Dei natu-A ralis, nos autem per gratiam habitualem efficiamur filij Dei adoptiui.

IN DISTINCTIONEM VNDECIMAM.

§. 1. *An Christus dici possit creatura.*

B CHristum quatenus homo est, esse creaturam, inter doctores non ambigitur. Est enim humana natura in Christo sicut in omnibus alijs creaturis; ideoq; ipsa quatenus consideratur vt habens humanam naturam, rectè conceditur esse creatura. Sed quæstionem apud eos habet an simpliciter & nulla determinatione addita concedendum sit Christum esse factam vel creaturam. Qua in re sententiæ Patrum sibi contrariæ videntur. S. Tho. 3. par. q. 16 art. 8.

In partem enim affirmatiuam, post scripturā C Gal. 4. Vbi Christus factus dicitur ex muliere & Rom. 1. vbi factus ex semine Dauid; aperta est imprimis assertio Hieronymi in Eph. 2. his verbis. Multi timore ne Christum creaturam dicere cōpellantur totum Christi mysterium negāt: Et mox subiungit: Nos liberè proclamamus non esse periculum eum creaturam dicere, quem vermē & hominem & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur. Citat aut illud Prou. 8. secundùm 70. *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Similiter Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. Non D vereor, inquit, ne quis dicat, Creatum ergo Christum asserit? Respondebo, ita creatum dico, quemadmodum factum sub lege. Et rursum: Creatus est vt redimeret creaturas. Similia habet oratione de Basilicis tradendis. Plana quoque est hæc Leonis sententia, serm 3, de pentec. Si homo non peccasset, creator mūdi creatura non fieret. Sunt & apud Augustinū complura loca quibus Christū & creatum esse dicit & creaturam vocat, vt Ench. 38. & 44. in opere 50. homiliatū. Item in sermonibus de tempore serm. 13. 16. 19. 25. & 26. Quo postremo E loco citat ex Prouerbijs idem illud quod Hieronymus. Præter hos Damascenus quoque lib. 3. cap. 4. de cōmunione idiomatum in Christo disputans, & docens vtriusque naturæ proprietates in vnā eandemque hypostasim cadere, hoc exemplum posuit: quòd Christus dicatur creatus & increatus, passibilis & impassibilis. Et lib. 4. c. 19. citans iterū alia supradictum locum Prou. 8. tandem concludit quòd propter vnionem secundùm hypostasim & caro deificari dicitur & Deus incarnari & homo fieri & creatura dicitur, & nouissimos vocatur. Hinc F etiam in quodam ecclesiastico cantico authore Richardo Victorino canitur: Potestate non natura fit creator creatura.

Ratio autem potissima est, quæ ex Damasceno sumitur; nempe vtriusque naturæ proprietates omnes conuenire in vnam communem hypostasim. Quare sicut Christus rectè dicitur creator propter naturam diuinam, ita rectè videtur dici creatura propter naturam humanam. Deinde sicut ratione corporis dicitur conceptus ex matre; ita nihil absurdi videtur, si ratione animæ dicatur creatus ex nihilo, imò & ratione totius humanæ naturæ; eo

A mirum modo quo omnem hominem ac totum creaturam fatemur.

At verò pars negatiua ijs testimonijs probati videtur quæ adferuntur à Magistro in textu; videlicet Ambrosij libro 1. de fide ad Gratianum cap. 6. 7. & 9. vbi latè probat contra Arianos Christum non esse creaturam. Item Augustini lib. 1. de trinitate cap. 6. & lib. octoginta trium quæstionum q. 67. Quibus addimus authoritatē Hilarij lib. 6. de trinit. circa medium. Vbi hoc idem validè contra Arianos demonstrat. Denique in symbolis Nicæno, Constantinopolitano & Athanasij filium B Dei genitum & non factum simpliciter confitemur.

Pro huius explicatione quæstionis tenenda est Augustini regula qua libro 3. de trinit. cap. 13. præcipit prudenter & diligenter aduertendum, quid, secūdùm quid & propter quid de Christo dicatur: & altera qua docet in ijs, quæ Christo tribuūtur in scripturis secundùm speciem diuersa, semper attēdendam esse nunc formam Dei nunc formam serui; velut eùm scriptura filium nunc patri æqualem, nunc patre minorem dicit, & in alijs huiusmodi. Patres ergo quoties Christum creaturam asserunt, C ad formam serui & mysterium incarnationis respiciunt: quoties verò creaturam negant ad naturam verbi quam ex patre habet aspicientes, contra Arianos intentionem dirigunt. Vnde & Scholastici plerique, vt S. Thomas, Scotus, Bonauentura, fatentur simpliciter verum esse hunc sermonem, quo Christus creatura dicitur: sed tamen ab istiusmodi sermone abstinendum esse censent propter erroris & & peruersi intellectus periculum; ne cum Arianis sentire videamur: qui Christum asserentes creaturam, hoc non ad assumptam humanitatem, sed ad ipsam verbi naturam referebant. Iuxta D quem intellectum meritò iam olim illa sententia tanquam ad Arianum dogma pertinens à patribus damnata est. Quocirca in omnibus eiusmodi propositionibus, circa quas de alterutra Christi natura intellectas hæresis aliquando extitit, adhibenda ea cautio est; vt naturam de qua indubitatam veritatem habet propositio exprimamus. Quod & à patribus factum quoties circumspectiùs loqui voluerunt, animaduertere licet. Nam Hieronymus & Ambrosius locis initio citatis seipsos exponunt, testantes se lo- E qui de Christo secundùm naturam assumptam. Damascenus alibi Christum creatum dicens, determinationem naturæ adiicit. Nam libro 4. capite 5. ad interrogantes, an hypostasis Domini creata sit an increata; respondet eam increatam esse diuinitate, & creatam humanitate. Locum denique Prouerb. 8. rectiùs ex Hebræo sic legi; *Dominus possedit me*, ibidem vbi suprà Hieronymus admonet. Quod autem Apostolus Roman. 1. & Gal. 4. Christum factum dicit, nec id simpliciter dictum. Addendo enim, ex muliere & ex semine Dauid, satis expressit naturam se- F cundùm quam eum factum dixerat.

IN DISTINCTIONEM DVODECIMAM.

§. 1. An Christus aliquando ceperit esse.

B QVærit initio huius distinctionis Magister, vtrū homo ille, Christo demonstrato, ceperit esse, an verò semper fuerit? Nec admodum refert vtrùm ea quæstio sic proponatur, an Christus aliquando ceperit esse. Vbi præsupposita hac veritate, quòd Christus secundùm diuinitatem semper fuerit, nec aliquando esse inceperit, secundùm humanitatem verò aliquando esse ceperit & nō semper fuerit: magis in quæstionem vocari videtur, quomodo loquendum sit, quàm quid sentiendum. S.Tho. pa.9.1 ar.9.

Igitur pro affirmatiua parte quęstionis proferūt C illud Augustini ex tract. 105. in Ioan. Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus & tract. 106. Habuit aliquando Dei filius quod nondum habuit idem ipse homo Dei filius, quia nondum erat homo. Item illud ex serm. 8. de verbis Apostoli: Ante conceptum virginis homo mediator, nō vtique prius iustus fuit: Quomodo enim iustus fuit, qui nec fuit.

Proferunt & rationes. Nam neque corpus, neq; anima Christi ab æterno fuit, sed vtrumque in tē- D pore esse cepit: igitur & ille homo, cuius hæ sunt partes essentiales, esse cepit in tempore.

Item Christus natus est in tempore; Quicquid autem in tempore nascitur, incipit esse ipsa sua natiuitate.

Item Christus ab æterno non fuit homo, ergo hic homo Christo demonstrato, non semper fuit.

Cæterùm ijs non obstantibus rectiùs docet S. Thomas 3. q. 16. art. 9. eam propositionem qua de Christo dicitur ille homo incepit esse, non esse cōcedendam: vtpote simpliciter falsam, iuxta sententiam Catholicæ fidei, qua necessariò in Christo E agnoscimus vnicam hypostasim. Ita enim oportet hac voce, ille homo, demonstrari suppositum æternum, nempe personam filij Dei, cuius æternitate repugnat aliquando incepisse. Et quamuis esse inceperit secundùm naturam assumptam, non tamen simpliciter id concedi debet. Nam vox illa, incipere negationem includit existentiæ anterioris. Quam negationem simpliciter attribuere supposito æterno non licet. Non enim filius Dei ita humanū esse accepit in tempore, vt antea simpliciter non esset. Semper enim & ab æterno fuit. Vnde ipse de se in Euangelio loquitur Ioan. 8. *Antequam Abraham* F *fieret, ego sum.* Quod non minùs verè sic eloqui potuit: Antequam mundus fieret ego sum. Sic enim enim alibi loquitur Ioan. 17. *Pater, clarifica me claritate quam habui prinsquam mundus fieret apud te.* Eiusdem æternitatis Christi testimonium est Heb. 13. *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.* Et omnino omnia illa scripturæ loca quæ Christum Deum esse confirmant, etiam ęternum conuincunt. Qua de re diximus ad 2. distinctionem huius libri. Vnde & passim eum patres ęternum vocant. Et iam olim Paulus Samosatenus hereseos damnatus est, quòd

diceret

diceret Christum nō semper fuisse, sed eius initium A ex quo de Maria natus est, extitisse, quemadmodū ait Augustinus hæresi 43. Illud quoque Arij de Christo dictum; erat quando non erat, & non erat antequam gigneretur, à patribus Nicenæ synodi anathemate damnatum est. Quæ verò ex Augustino in contrarium allata sunt, intelligenda esse de Christo secundùm naturam humanam ipsa satis locorum circumstantia indicat.

Ad primam rationem respondetur, Christum ante conceptum virginis nec hominem nec Christum fuisse, nec animam nec corpus habuisse; extitisse tamen ipsum: quia suppositum erat æternum B

Ad secundam Christo hoc peculiare esse, quòd nascendo non inceperit esse, quia secundùm naturā diuinam erat ante temporariam suam natiuitatem: & proinde fuit antequam ex matre nasceretur.

Tertiæ rationis aliarumque similium solutiones à Dialecticis petendæ.

§. 2. *Quare Deus carnem assumpserit ex posteritate Adæ.*

S. Tho. 3. p. q. 4. ar. 6.

AD id quod secundo loco quęrit Magister, verùm Deus alium hominem, vel aliunde quàm ex genere Adam assumere potuerit, certa est responsio potuisse. Cùm enim id nullam inuoluat contradictionem, non est excipiendum ab eorum numero quæ subiiciuntur omnipotentiæ Dei. Vnde Augustinus lib. 13. de trinit. cap. 18: Poterat vtique Deus, inquit, hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam qui peccato suo genus obligauit humanum, sicut ipsum quem primum creauit, non de genere creauit alicuius. Poterat ergo vel sic, vel D alio quo vellet modo creare vnum alium de quo vinceretur victor prioris. Hæc ille. Quod cùm ita sit reddenda est ratio; quare potiùs ex posteritate Adæ massaque corrupta, quàm aliunde naturam humanam Deus assumere voluerit.

Vna igitur huius diuini consilij ratio reddi potest, quia iustum est vt ille satisfaciat qui peccauit. Cùm igitur in seipso Deo satisfacere pro offensa non potuerit Adam, saltem de genere eius assumi oportuit id per quod pro toto genere satisfactio impleretur.

Altera ratio, quia pertinet hoc ad hominis dignitatem, dum ex eodem illo genere nascitur victor E diaboli atque peccati quod à diabolo per peccatum fuerat victum.

Tertia, quia per hoc nobis commendatur potentia & misericordia Dei; potentia quidem qua etiam de natura corrupta assumere potuit id per quod corruptionem auferret: misericordia verò, qua genus humanum sibi inimicum ita dilexit; vt ipsum indissolubili vinculo personalis vnitatis in vno ex illo genere nascituro, sibi coniungeret. Ad has rationes respexisse videtur Augustinus quando loco paulò antè citato ita subiungit: Sed melius iudicauit Deus, vt de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem, per quem generis humani F vinceret inimicum.

Potest his addi & alia ratio; ne videlicet ordinatio Dei qua decretum erat totum humanum genus ex vno propagandum & multiplicandum esse; idq; ob repræsentationem vniuersalis principij & commendationem mutuæ inter homines charitatis per occasionem peccati aliquo pacto infringeretur. Quod factum fuisset, si Christus homo aliunde, quam ex stirpe Adam nasceretur.

Si quæras quare non ipse Adam assumptus fuerit, vt sic in ipso suum vindicaretur peccatū: cùm iustitia postulet vt peccati pœna peccati sequatur authorem. Respondeo si nudam pœnam atque vltionem peccati consideres, eam deberi illi qui peccauit. Verùm quoniam pœna quam Christus sustinuit, non ad vltionem solam inflicta est, sed etiam ad satisfactionem & reconciliationem generis humani; talis requirebatur satisfactor & reconciliator, qui aliunde non esset debitor: & talis esse debebat mundator, qui ipse mundatione non indigeret.

§. 3. *In Christo peccatum nec fuisse nec esse potuisse.*

QVamuis ad hanc quæstionem, an homo ille S. Tho. 3. p. q. 15. ar. 1. Christo demonstrato, peccare potuerit, respōdens Magister non malè distinguat vtrùm de persona an de natura agatur, multo tamen rectiùs & C Catholicæ nostræ fidei conformiùs absolutè respondetur, Christum, siue hominem illum, demonstrato Christo, nec peccasse vnquam, nec peccare potuisse. Quæstio enim personam complectitur. Quam quidem constat non aliam esse quàm personam filij Dei. Quare tametsi concedi possit & verum sit quod ait Magister, animam illam si non fuisset assumpta à verbo, peccare potuisse; minimè tamen id concedi debet de Christo, siue de illo homine, si Christum demonstres.

Primum vero quòd Christus nulli vnquam peccato fuerit obnoxius, ostendimus ex parte ad distinctionem 3. huius libri. Quò pertinent hæc scripturæ loca Heb. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* & 7. *Talis decebat vt nobis esset pōtifex, sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui non habet necessitatem quotidie pro suis delictis hostias offerre.* Item Ioan 8 ipse ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & de eo post Isa. Petrus 1. ep. 2. *Qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius,* & 1. Ioan 3. *Scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Vbicunque ergo in scripturis peccatum Christo attribui videtur, vel id ad membra corporis eius cuius ipse est caput, id est, ad fideles quorum peccata in cruce tulit referendum est: velut cùm exclamat in psalmo 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum,* & psal. 68. *Delicta mea à te nō sunt abscondita.* Ita enim delicta illa interpretatur Isa. 53. dicens: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,* & rursum: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: Et ipse peccata multorum tulit.* Vel intelligendum est peccatum figurato sermone, velut cùm dicitur 2. Cor. 5. *Eum qui non nouerat peccatū, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Vbi satè priori loco peccatum propriè dictum à Christo remouet Apostolus: posteriori verò eundem per tropum peccatum vocat, quia voluntate patris factus est hostia pro peccato, quomodo Ozeę 4. de sacerdotibus scriptum est. *Peccata populi mei cōmedent,* id est hostias à populo pro peccatis offerri solitas. Similis de Christo locus est Rom. 8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* In eo quod dicit, *de peccato*, Christum intelligens, qui expiatrix peccati victima factus est. Hæc porrò cùm sit certa & Catholica de Christo doctrina, alterum quoque illud certò tenendum est, Christum nec potuisse quidem peccare. Quod his rationibus confirmatur.

Primò,

Primò quia vt paulò antè dicebamus, Christi vocabulum personam nominat, quæ non alia est quàm persona filij Dei. Si ergo ille homo qui est Christus peccaret, sequeretur Deum peccare; quod cùm sit impossibile (Non enim Deus qui est summa bonitas, velle potest iniquitatem) consequens est fieri non posse vt Christus peccet. Quæ ratio sumpta est ex personali vnione naturarum in Christo, rectéque concludit etiamsi peccare tribuatur naturæ humanæ, vt tamen est verbo coniuncta. Cùm enim actiones propriè sunt suppositorum, etiam sic sequeretur personam filij Dei, id est, Deum ipsum peccare. Nam de natura humana à verbo seiuncta & propriam personalitatem habente non dubitatur, quin vt cæteri homines, peccare possit.

Alia ratio: quia Christus ab initio conceptionis secundùm animam fuit perfecta Dei visione beatus. Quare sicut angeli & animæ beatæ peccare non possunt, propter confirmationem voluntatis in bono; ita nec Christus potuit, eóque minùs quantò cæteris perfectiùs Deo secundùm animam fruebatur.

Item, vnaquæque actio magis imputatur principali agenti quàm instrumento: Atqui humanitas in Christo fuit instrumentum diuinitatis, authore Cyrillo lib. 10. thesau. c. 7. & Damasceno: igitur omnis actio humanitatis Christi tribui debet supposito diuino. Cui cùm peccati actio imputari non possit, consequens est eam nec humanitati Christi tribui posse. Facit præterea ad hoc confirmandum plenitudo gratiæ in Christo de qua Ioan. 10. & Coloss. 1. & 2. De cuius plenitudine cæteri omnes non tantùm huius vitæ iusti homines, sed & futuræ, tanquam illius capitis membra accipiunt. Quæ proinde gratiæ superabundantia non videtur vllum secum admittere peccatum.

Denique si peccare potuit Christus, quemadmodum argumentatur Magister, potuit & damnari, quod est longè absurdissimum, quamuis Durandus concedit. His accedit authoritas Damasceni qui lib. 3. cap 13. Confitemur, inquit, Christum omnia habere, quæcunque Adam primus habuit, sola excepta peccantia; id est, peccandi possibilitate. Estque hæc post Magistrum communis scholasticorum doctrina.

Quare comprimis cauenda est vnius Durandi Nestorianam hæresim hac in parte proximè accedentis sententia. Cuius in hanc distinctionem scribentis huiusmodi verba leguntur. Nullum inconueniens secundùm rem est dicere, quòd Christus secundùm quod homo peccauerit, vel quod peccare potuit: Quod autem additur, si peccare potuit, damnari potuit, concedatur: Quia cùm damnari sonet in pœnam; non est maius inconueniens dicere Christum damnatum, quàm mortuū vel passum. Vtrumque enim conuenienter fuisset factum ex parte Dei si voluisset. Nec video quare persona diuina non possit assumere naturam hominis damnati. Ita ille, simulque rationes in contrarium à se allatas soluere conatur. Nec ab hac sententia admodum recedere videtur Scotus, negans naturam à Christo assumptam fuisse impeccabilem ex vi vnionis; propterea quod ex vi eiusdem vnionis nō erat beata; quodque habuerit liberum arbitrium vertibile ad vtrumlibet. Vnde soli beatitudini qua confirmatus fuit in bono; & quæ vnionem secundùm ipsum non necessariò consequitur, ascribere videtur impeccabilitatem Christi. Sed sanior est præter alios plærosque tum Bonauenturæ in hanc distinctionem tum Sancti Thomæ 3. quæ-

A stione 15. artic. 1. & 18 art. 4. ad 3. de hoc argumento doctrina.

Quod autem in contrarium de libertate obijci potest facilè soluitur ex his quæ superiori libro, de libero arbitrio eiusque propria ratione dicta sunt.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMTERTIAM.

B

§. 1. *Christum fuisse plenum gratia, & quo sensu.*

Plenitudinis gratiæ Christi secundùm animā cōpluta in scripturis extāt testimonia. Lucas 2. cap. puerum Iesum fuisse dicit plenum sapientia, & Ioannes 1. cap. verbum carnem factum, quod habitauit in nobis, pronunciat plenum gratia & veritate: Et ibidem baptista de plenitudine eius nos omnes accepisse testatur. Et cap. 3. de Christo loquens: *Non enim*, inquit, *ad mensuram dat Deus spiritum*, cùm de reliquo ecclesiæ corpore scriptum sit Rom. 12 *Vnicuique sicut diuisit Deus mensuram fidei*, Et Eph. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Eandem gratiæ plenitudinem indicat apostolus Eph. 1. vbi diuitias gratiæ Christi in nos redundasse dicit in omni sapientia & prudentia, eumque vocat caput corporis ecclesiæ quam de sua plenitudine in omnibus adimpleat. Et rursū Col. 1. scribit in Christo omnem plenitudinē inhabitare, & cap. 2. *In quo sunt*, inquit, *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*; Et paulò pòst, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis*. Quem locum tractans Augustinus ep. 57. ad Dardanum: Hoc interesse arbitramur, inquit, inter caput & membra cætera: quòd in quolibet quamuis præcipuo membro velut in aliquo magno propheta aut apostolo, quāuis diuinitas habitet, nō tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris: sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omnis est, quinquepartitus. In cæteris autem solus est tactus. Hæc ille. Rectè verò ad idem confirmandum adducit Magister illud Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum*. Neque enim solùm propter animam & carnem, sed etiam propter gratiam & sapientiam perfectam id dictum est: iuxta illud Eph. 4 *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Eodem pertinet septiformis gratia Spiritussancti, quam Isa. 11. in Christo futuram prænunciat. Et vnctio illa Spiritussancti, quam idē propheta cap. 61. de Christo prædicit: & ipse de se Christus agnoscit Luc 4 Quam & Dauid Psal. 44. comprobante apostolo Heb 1. de Christo præcinit dicens: *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. A qua singulari præ cæteris & eximia Spiritussancti vnctione, Christi nomen ei per excellentiam attributum est.

S. Tho. 3. q. 7. a. 9. 10. 11. & 12.

C D E F

Iam si quæras, illa gratiæ plenitudo quomodo sit accipienda. Primùm respondeo, non significari gratiam propriè immensam aut infinitam. Quāuis n. magna & copiosa admodum fuerit, eo ipso tamē quo creata est finitam esse oportuit. Omnia enim

quæ facta sunt, in mensura, numero & pondere disposuit Deus Sap. 11. Et nihil creatum simpliciter infinitum est. Sed & anima Christi cùm sit creata, certum habet capacitatis modum, ideoque gratiam infinitam capere non potuit. Deinde nec talis significatur gratiæ plenitudo, qualem scriptura interdum & alijs sanctis tribuit, vt S. Mariæ, Ioanni Baptistæ, Stephano & alijs. Quæ videlicet est gratiæ sufficientia secundù conditionem & statū cuiusq;: vel tanta quanta conueniebat excellenti alicui mébro. Fuisse ergo dicitur in Christo gratiæ plenitudo: tū quia tāta fuit vt animæ Christi capacitatem impleret, & queadmodum ait Magister; vt ei Deus gratiam pleniùs conferre nō potuerit, quòd intellige secundùm animæ eius capacitatem: aut certè secundùm ordinem sapientiæ diuinæ, vt ait S. Thomas: tū verò potissimùm iuxta scripturæ sacræ declarationem; quia gratia Christi valet, seque extendit ad omnes gratiæ effectus tanquam fons gratiarum vberrimus, & quemadmodum S. Thomas loquitur, tanquam principium quoddam vniuersale, ex quo procedit & profluit in membra ecclesiæ omnis varietas donorum Spiritussancti. Vnde ratione huius gratiæ Christus totius ecclesiæ, tanquam subiecti sibi corporis caput dicitur Eph. 1. 4. 5. & Col. 1. & 2. & alibi. Atque hoc nimirū est quod Ioannes Baptista dicit nos de eius plenitudine omnes accipere De quo & Petrus scribit 2. ep. 1. quod per eum omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent donata, adeoque maxima & pretiosa nobis promissa donata sunt, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ.

Quæstiunculas porrò illas, an possibilis sit maior gratia secundùm intensionem vel extensionem, quàm ea quæ in Christo est, &, an anima Christi vel quæcunque alia intellectualis creatura maioris gratiæ capax fieri possit; Itemque, an gratia eius plenitudinem Christo tribuit scriptura sit habitus quispiam vnus an plures, quæ à quibusdam hoc loco disputantur, velut cognitu non necessarias, prætermittimus.

§. 2. *Quando plenitudinem gratiæ Christus acceperit.*

S. Thom. vbi supr. & q. 34.

GRatiæ plenitudinem paulatim ætatis progressu atque exercitio bonorum operum Christo accessisse, & merito istius virtutum ac gratiarum perfectiùs filium Dei, Deumque appellatum Nestorius olim docuit. Vnde illa eius impia vox à patribus notata: Non inuideo Christo facto Deo: nā & ego fieri possum si volo. Alij verò quidam putauerunt, tunc quando super Christum baptizatum descendit Spiritussanctus; ætate videlicet triginta annorum simul in eum effusam gratiæ ac donorum Spiritussancti plenitudinem. Cui opinioni fauere videtur glossa ordinaria super illud Luc. 4. *Spiritus Domini super me*, Quę sic habet; Præ cæteris sanctis vnctus est Christus spirituali vnctione, quando in Iordane super baptizatum spiritus in specie columbæ descendit, & mansit cum illo.

Cæterùm vtramque hanc opinionem damnat ecclesiæ doctrina; iuxta quam confitendum est, Christum ipso conceptionis suæ momento, quando verbum carni vnitum est, Spiritusancto vnctum totius gratiæ plenitudinem accepisse. Alioqui enim A Christo ab initio spiritus, vel omnino non datus, vel ad mensuram datus fuisset, quod negat eius præcursor. Item si profecit gratia & sapientia: non ergo iam inde à puero plenus fuit sapientia, quod Lucas testatur. Et falsum erit Ieremiæ vaticinium. *Mulier circundabit virum*. Certè fatendum est Iesum ex eo tempore vnctum fuisse Spiritusancto, eximia illa vnctione præ consortibus suis; ex quo Christi nomen singulariter præ omnibus prophetis & iustis accepit. Hoc autem non dubium quin ab initio natiuitatis & conceptionis ei tribuendum sit. Vnde B angelus ad pastores Luc. 2. *Quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus*. Et Simeon responsum acceperat à Spiritusancto, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini. Erat ergo iam inde ab initio Christus, & proinde à Spiritusancto gratiarum plenitudine inunctus; quemadmodum & docet Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 6. Nos, inquit, filium Dei Christum vocatum dicimus; ea quo in sanctæ virginis vtero conceptus est, Idque probat subnotatis Gregorij Nazianzeni, Cyrilli & Athanasij testimonijs. De qua re ita quoque ab Augustino præclarè scriptum est libro 15. de trinit. capite 26. Dominus ipse Iesus Spiritumsanctum non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt ho- C mo: propterea dictus est plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est in actibus apostolorum: *Quoniam vnxit eum Deus Spiritusancto*. Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ; quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit ecclesia. Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritusancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est ecclesiam suā præfigurare dignatus est; in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritumsanctum. Sed ista mystica & inuisibili vnctione, tunc intelligendus est vnctus; quan- D do verbum Dei caro factum est; id est quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei verbo est in vtero virginis copulatā Hæc ille, addens absurdissimum esse vt credamus, Christum cùm iam triginta annorum esset, accepisse Spiritumsanctum, cùm Ioannes à quo baptizatus est, Spiritusancto repletus fuerit iam inde ab vtero matris; tametsi modo longè inferiori quā Christus. In hanc Patrum doctrinam consentiunt post Magistrum omnes Scholastici. Et iam olim Ephesina synodus inter cæteros Nestorij errores, E hunc quoque damnauit; quòd diceret Christum in virtutibus profecisse: & tandem assiduo profectu eò perductum, vt fidelis pontifex fieret.

Quod autem ex glossa ordinaria in contrarium obijciebatur, non aliam habere sensum videtur, quàm per descensum Spiritussancti in specie columbæ, spiritualem eius vnctionem fuisse designatam & declaratam; sicut voce patris super eum delapsa, declaratus est filius Dei. Nam venerabilem Bedam cui illa glossa ascribitur, nihil ab alijs patribus diuersum sentire manifestum est ex eiusdem glossa ad illud Luc. 3. *Descendit Spiritussanctus sicut co-* F *lumba in ipsum*: vbi sic ait: Dominus non primùm post baptismum Spiritusancto est vnctus, sed ideo monstratur columba vt intelligamus quòd in corpore eius, id est ecclesia baptizati præcipuè accipiunt Spiritumsanctum. Quæ verba ille ex suprà citato Augustini loco mutuatus est.

§. 3. Quo

§. 3. *Quo sensu Christus gratia & sapientia profecisse dicatur.*

S. Thom. vbi sup. & q. 12. art. 2.

NOnnullam quæstionem habet quomodo superiori doctrinę non sit contrarium, quod ait Lucas capite 2. Iesum profecisse sapiētia & ætate & gratia apud Deum & homines. Inde enim apparet, non ætatis tantùm (de qua nulla quæstio est) verũ etiam gratiæ & sapientiæ incrementum atque profectum Christo tribuendum esse. Ad hoc respondet Magister; Christum non in se, sed in alijs gratia & sapientia profecisse: dum videlicet hominibus munera gratiæ & sapientiæ suæ secundùm processum ætatis magis magisque ostendebat. Quam responsionem probat allegatis quibusdam Gregorij verbis. Quæ tamen non apud Gregorium sed apud Bedam reperiuntur hom. 11. super Lucam. Verùm huic expositioni obstare videtur primùm, quòd Lucas in eodem ordine gratiam & sapientiam ponit cum ætate, in quibus Christum profecisse dicit. Vnde sicut reuera atque in seipso profecit ætate; ita profecisse videtur & gratia & sapientia. Deinde quòd non tantùm apud homines, sed & apud Deũ profecisse dicitur. Quod certè non ita accipi potest; vt non in seipso sed in oculis Dei intelligatur profecisse: cùm idem sit coram Deo & in veritate quippiam fieri. Vnde omnino significatus videtur verus aliquis Christi in semetipso profectus.

Quocirca planior est aliorum responsio qui dicunt Christum reuera quidem in gratia & sapientia profecisse, non tamen secundùm habitum, sed secundùm actum: quia licèt habitus gratiæ & sapientiæ ab initio conceptionis animæ eius infusus, nullum acceperit incrementum, ab eo tamen habitu per accessum ætatis maiora subinde opera gratiæ & sapientiæ procedebant: maiora inquam secundùm rei veritatem; ideoque non tantùm coram hominibus, sed & apud Deum. Per hoc autem etiam fiebat, vt & ipsa habitus gratiæ & sapientiæ eius, qui reuera non crescebat, hominum tamen opinione cresceret. Atque hoc sensu non incommodè accipi possunt verba Bedæ à Magistro citata. Quem sensum indicat etiam Damascenus lib. 3. capite 22. sic inquiens de Christo: Proficere autem dicitur sapientia & ętate & gratia: Ætate quidem crescens, per incrementum autem ætatis, sapientiam quæ ipsi inerat in apertum promens. Vbi & consequentibus verbis eum Christi profectum, qui paulatim factus intelligitur per gratiæ & sapientiæ accessionem, ad hæresim reijcit Nestorianam. Non quòd illa assertio necessariò diuidat personas in Christo: consistere enim posse videtur humanæ sapientiæ profectus cum vnitate hypostatica; sed quia olim etiam hæc Nestorij sententia, tanquam scripturis aduersa, & à Catholico sensu aliena, & cum primaria eius hæresi magis consentiens damnata est. Congruit quoque cum dicta expositione; quod apud Cyrillum legitur lib. 10. thes. cap. 7. vbi de Christo sic ait: Cùm audis ipsum profecisse in sapientia & gratia, noli putare quicquam ipsi additum fuisse; quia nullius vnquam rei egere potuit. Sed quia videntibus atque audientibus eum, sapientiorem gratioremque in dies se præbebat; idcirco scribitur profecisse. Simile quid legitur, & apud Gregorium Nazianzenum oratione 8.

Sunt autem alij qui memoratum euangelij locum malũt intelligere de sapientia acquisita. Quam

A etiam secundùm habitum, putant ætatis successu auctam in Christo. Sed obstat huic intellectui, quod adiungitur de gratia. Non enim credibile est Christum secundùm aliquem habitum acquisitum in gratia profecisse; qua Deo & hominibus paulatim gratior euaderet. Et sanè rectiùs scientiæ, quæ rerũ est humanarum; quàm sapientiæ, qua res diuinæ cognoscuntur; habitus aliquis acquisitus videretur in Christo agnoscendus. Quare retinenda est superior explicatio.

Porrò maiorem præsenti quæstioni difficultatem adferunt verba Ambrosij lib. de incarnationis B dominicæ sacramento cap. 7. latè à Magistro recitata in textu: vbi supradictum scripturæ locum tractans, omnino de vero & reali sapientiæ incremento eum interpretari videtur; vtpote aduersus illos disserens, qui Christo mentem detrahebant humanam. Ad quos refellendos tali vtitur argumento: Fuit in Christo scientia ac sapientia quæ quibusdã profectuum incrementis mutaretur. Fuit igitur in eo mens rationalis, velut huius mutabilis scientiæ ac sapientiæ subiectum. Cùm diuinam sapientiam constet immutabilem esse. Quæ quidem Ambrosij ratio inefficax erit, si duntaxat hominum opinione, C aut secundũ actus inde procedentes, tantummodo scientiam illam & sapientiam auctam dicimus. Idẽ enim dici posset de ea quæ Deo propria est. Quare nequaquam huic quæstioni satisfacere videtur Magistri responsio dicentis; Christum sapientia & sensu humano profecisse secundùm Ambrosium, propterea quòd quantũ ad visum hominũ & sui sensus ostensionem, profecerit. Verùm quia pendet huius difficultatis explicatio ex ijs quæ proxima distinctione de multiplici scientia Christi dicenda nobis erunt, idcirco eam in illũ vsque locum differemus.

D

IN DISTINCTIONEM DECIMAQVARTAM.

§. 1 *Quotuplex in Christo scientia fuerit?*

S. Tho. 3 par. q. 9 ar. 10. & 11

DVplex in primis agnoscẽda est in Chri- E sto scientia secundũ duplicem naturam; altera diuina, altera humana; illa increata quam vt Deus ab ęterno habuit; ista creata, quam vt homo in tempore accepit. Neque vllo modo recipienda est eorum sententia, qui animã Christi non alia quàm ęterna Dei sapientia & sciẽtia sapientẽ atque scientem esse dicunt. Qua in opinione fuisse videtur Hugo Victorinus, qui in libello de sapientia Christi sic ait: Plenã & perfectã ac totã Dei sapientiã in anima Christi fuisse credimus; & ipsa sapientia eandẽ animã plenè ac perfectè F sapientem, non ex ipsa participãdo, sed totã possidẽdo; quàm singulariter possedit & cõprehendit ineffabiliter, & paulò pòst Hoc ipsum indubitanter affirmo, quòd aut alia sapientia in Christo nõ fuit aut si fuit, æqualis illi non fuit. Quæ opinio de vnica Christi sapientia, non parum affinis videtur errori Monothelitarum, quia vnicam eamque diuinam in Christo voluntatem confitebantur. Rectiùs igitur Magister, qui præter diuinam etiam humanam quam gratuitam vocat sapientiam & scientiam in Christo agnoscit.

Cuius doctrinæ ratio est. Primum, quia cùm anima Christi non minùs, imò multò magis quàm aliorum hominum animæ capax sit scientiæ creatæ; si eam in se nullam haberet, foret hac parte omnium animarum imperfectissima. Quod enim est in potentia ad actum aliquem, imperfectum est, donec ad actum reducatur.

Deinde, quia frustrà in Christo esset anima intellectiua siue intellectus creatus; si neque habitus neque actus scientiæ vllus ei inesset.

Et postremò, quia quædam noticia, qualis illa est qua prima principia cognoscuntur, naturaliter omnibus hominibus est ingenita; Quam proinde absurdum fuit Christo detrahere. Quare non tantùm qui voluntatem humanam Christo subtraxerunt, in sexta synodo damnati sunt, sed & illi, qui negabant esse in Christo duas scientias, vel duas sapientias, quemadmodum testatur S. Thomas 3. q. 9 art. 1. Est enim eius concilij doctrina communis, etiam ad alias Christi operationes.

His autem rationibus diligenter consideratis, satis apparet eo tandem spectare diuersam opinionem; vt prorsus in Christo meos ipsa, id est anima qua parte intellectius est, fuisse negetur, id quod olim docuerunt Apollinaristæ, simili ferè ratione permoti, qua isti humanam sapientiam Christo adimunt: quia videlicet ei perfectissimè sufficit æterna sapientia verbi. Cui rationi responsum à nobis est ad 2. distinctionem. Disputat autem ex professo contra eum errorem Ambrosius libro de incarnationis dominicæ sacramento capite 7.

Cùm igitur certum sit esse in anima Christi scientiam creatam, rationabiliter eam S. Thomas, Bonauentura & alij Scholastici trifariam diuidunt; vt alia sit cognitio beata in Dei visione consistens; alia scientia rerum congenita, alia acquisita. Quarum prima & secunda ab initio fuit in anima Christi, tertia verò cum tempore accessit.

Per primam noticiam sicut vidit Deum per essentiam; ita in Deo, siue in verbo tanquam in speculo vidit res alias: & quidem tantò perfectiùs præ cæteris beatis, quantò anima illa Deo personaliter vnita maiorem gratiæ abundantiam præ cæteris accepit.

Per alteram verò, quæ à doctoribus indita, infusa, siue congenita scientia dicitur; cognouit ab initio res in seipsis; id est per species earum intelligibiles in ipsa verbi coniunctione sibi impressas. Quod noticiæ genus etiam angelis tribuitur, tametsi non pari perfectionis gradu. De hac porrò noticia potissimùm intelliguntur ea, per quæ suprà ostendimus, sapientiæ ac scientiæ plenitudinem Christo non cum tempore accessisse, sed adfuisse ab initio; atque illud præcipuè quod est Col. 2, in Christo fuisse omnes thesauros sapiẽtiæ & scientiæ reconditos.

Tertia est acquisita siue experimentalis noticia; quæ sequitur sensum tum exteriorem tum interiorem, quorũ vsus haud dubiè in Christo fuit. Acquiritur autem lumine naturali intellectus agentis per abstractionem specierum à phantasmatibus. Quod quidem officium intellectus non est dicendum vel defuisse Christo, vel in eo ociosum fuisse. Et quamuis Bonauentura & Durandus & Scotus negent hanc scientiam in Christo habitualem esse; eò quòd animæ eius iam ante inesset habitus scientiæ earundem rerum infusus. Quod & S. Thomas in hunc locum scribens aliquando senserit, postea tamen in summa id retractat, corrigere se priorem suam sententiam habitualem agnoscit par. 3. quæst. 12. ar. 2. De hoc tertio scientiæ genere subinde meminerunt scripturæ vt Hebræor. 2. *Per omnia fratribus assimilari debuit, vt misericors fieret. In quo enim passus est & tentatus, potens est ijs qui tentantur auxiliari.* Et capit. 5. *Cùm esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Item Isa. 7. *Butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Et quæcunque scripturæ loca Christo admirationem tribuunt, huius scientiæ experimentalis suggerunt nobis significationem.

Hunc igitur in modũ accipienda est illa Ambr. sententia superiori distinctione à Magistro allata, qua Christum dicit sensu humano profecisse: nimirum per experientiam, id est, noticiam rerum à sensibus acceptam. Non quod eam noticiam ignorantia præcederet, sed quoniam quod antea sciret, id nouo cognoscendi modo; id est, experiendo per ætatis accessum disceret. Quale aliquid etiam in primo parente accidisse indicat Augustinus libr. 8. de Gen. ad lit. cap. 8.

§. 2. *Quàm latè pateat humana Christi scientia?*

CHristum eo ipso quo Deus est perfectissimè omnia scire, scientia nimirum diuina indubitatum est. Id enim communio proprietatum vtriusque naturæ vnitatem personæ necessariò consequens, certissimè conuincit. Vnde quæcunque scripturæ, vel rationes ostendunt Deum omnia scire: eædem ad Christum æquè pertinent. Hinc Apostolus Hebræor. 4. de sermone Dei, id est, filio loquens, post alia subiecit: *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Et Petrus ad Christum confidenter ait Ioan. vltim. *Domine tu omnia nosti,* & alij Discipuli Ioan. 16. *Nunc scimus quia scis omnia.* Huic autem omniscientię Christi quam habet per gratiam vnionis, olim ex fontibus Nestorij contradixerunt Agnoitæ Contra quos disputans Gregor. in registro lib 8. epist. 42. dicit: Quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? Et cętera quibus ostendit Christum vt verbum per quod creata sunt omnia, nihil omnium latere posse.

S. Thom. vbi supr.

Verùm alia quæstio est, quàm latè pateat humana Christi scientia, & vtrùm fatendum sit animam Christi vel Christum quatenus homo est, omnium in se habere noticiam. Cùm enim creatura in nullo æquari possit creatori, impossibile videtur vt anima Christi, quam creaturam esse constat, ęqualem cum Deo vel quoad perfectionem cognitionis, vel quoad multitudinem cognitorum, scientiam habeat. Hæc autem quæstio non de experimentali Christi noticia mouetur (nõ enim omnium cognoscibilium experientiam accepisse Christum certum est) sed de scientia tam beata quàm congenita.

Ad hanc igitur respondetur, primò, animam Christi quamuis longè clariùs & perfectiùs diuinam essentiam intueatur quàm vlla alia creatura; idque propter singularem & perfectissimam animæ illius cum verbo coniunctionem; non tamen ipsum verbum, vel diuinam essentiam cõprehendere. Cuius ratio est, quia infinitum nequit comprehendi à finito, omnis autem creatura finita est. Quare impossibile est vt vlla creatura quantumuis excellens

diuinam essentiam, quæ simpliciter est infinita, comprehendat.

Secundò, animam Christi in verbo cognoscere omnia, non tantùm quæcùnque secundùm quodcunque tempus aliquando existunt, id est, omnia præterita, præsentia & futura; seu dicta, seu facta, seu cogitata, seu quamcunque aliam eorum rationem habentia, verùm etiam quæcunque sunt in potentia creaturæ nunquam reducta vel reducenda ad actū; Non tamen cognoscere omnia quę sunt in potētia diuina. Prioris partis ratio est; quia valde cōgruum est animæ Christi omnem scientiam creaturæ possibilem tribuere; præsertim cùm id etiam scriptura exigere videatur. *Non enim ad mensuram Christo datus est spiritus*, inquit Ioannes capit. 3. In quo etiam spiritus scientiæ iuxta Isa. capit. 11. comprehenditur, & Apostolus Col. 2. in Christo dicit omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse. Vnde ad illud Apocal. 5. *Dignus est agnus accipere sapientiam*, glossa sapientiam interpretatur cognitionem. Et Fulgentius in quodam sermone, vt refert Magister, multis argumentis ostendit animam illam omnium rerum scientiam habere. Ratio posterioris est; quia si nosset omnia subiecta potentię diuinę, comprehenderet omnia quę Deus potest facere, atque ita comprehenderet diuinam virtutem, & per consequens diuinam essentiam: quod paulò antè ostēdimus esse impossibile. Cùm autem virtus creaturæ ad infinita se extendat, non quidem actu sed potentia; sequitur quoque scientiam Christi creatam hoc saltem pacto ad infinita extendi.

Tertiò, quæcunque cognoscit anima Christi per scientiam beatæ visionis, eadem omnia ab ea cognosci per scientiam congenitam seu infusam: sola excepta diuina essentia. Ratio propositionis est; quia cùm anima Christi ad hanc tantam scientiam habuerit potentiam, nihil prohibet imò multum rationabile est, potentiam illam in totum actum suum fuisse reductam. Atque huc fortasse magis propriè spectant illæ scripturæ quas modò ad statuendam Christi omniscientiam proferebamus. Ratio verò exceptionis est; quia diuina essentia per hanc scientiam non est cognoscibilis, sed tantùm per illam beatificam.

Patet igitur ex dictis, quatenus animæ Christi tribuenda sit omnium scientia. Ex qua doctrina perspicuum est neque quoad cognoscendi perfectionem, neque quoad multitudinem cognoscibilium parem animæ Christi cum Deo scientiam asscribi; sed tantò inferiorem quantò creatore creatura inferior est. Cui proinde non repugnat illud Apostoli 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Et: *Quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei*: etiamsi nullam eo loco exceptionem Apostolus subiungeret quam in textu vrget Magister. Rectè igitur & Cassiodorus in illud Psalm. 138 *Mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam.* Veritas, inquit, humanæ conditionis ostenditur: quia assumptus homo diuinæ substantiæ non potest æquari vel in scientia vel in alio.

§. 3. *Solutio eorum quæ ignorantiam arguere videntur in Christo.*

S. Thom. vbi sup. & q. 15. art. 3.

EX superiori doctrina rectè colligitur nullam prorsus ignorantiam secundùm quodcunque tempus animę Christi, seu Christo, vt homini asscribendam esse: quippe cùm sit ostensum ei ab initio infuisse omnem scientiam, cuius illa anima capax

A est. Ignorantia verò significat absentiam noticię cuiuscunque rei in intellectu eius noticiæ capaci. Sicut enim lapis non rectè dicitur ignorans, quia nihil scit; ita homo non rectè ignorans dicitur: quia non habet scientiam eius, cuius cognoscendi nullo modo est capax. Quod cùm ita sit respondendum nunc ad ea quæ aliquam in Christo ignorantiam conuincere videntur.

Primò objicitur locus ex euangelio Marci 13. vbi de tempore iudicij loquens Dominus ait: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius nisi pater.* Quod cùm de diuina filij sciētia, quam B cum patre communem habet non possit intelligi, videtur necessariò intelligendum de scientia eius humana.

Objiciuntur & alia scripturæ loca, vt quod dicitur in persona Christi, Psalm. 34. *Quæ ignorabam interrogabant me*, Et rursū: *Congregata sunt super me flagella & ignoraui.* Item Isa. 7. de Christo. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Et rursum, *Quia antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum.* Et capit. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem, &c.* Et 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Huc pertiC nere videntur & interrogationes illæ: *Quot panes habetis? Quis est qui me tetigit?* Et de Lazaro: *Vbi posuistis eum?* Et quod Marc. 11. in ficu sterili fructus quæsierit.

Ex patribus verò profertur locus Ambrosij in libro de incarnationis Dominicæ sacramento, cap. 7. vbi non tantùm asserit Christum reuera secundùm sapientiam & sensum humanum profecisse: quod qua ratione dictum ab eo sit, suprà exposuimus, sed & ignorantiam apertè ei tribuit. Commemorans enim locum. Isa. 8. modò à nobis citatum: Sapientiam Dei, inquit, futura & occulta non falD lunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam vtique imprudentiam, quod adhuc non didicit ignorat. Nec minùs verba Cyrilli qui libr. 9 thesauri capit. 4. dicit, Christum vt hominem dixisse se ignorare iudicij diem; idque vt conuenientia naturæ nostræ seruaret; & subiungit: Non oportet igitur propter hanc vocem ignorationem diei Verbo inurere; sed potiùs eius misericordiam admirati: quòd non recusauerit propter nos ad tantam humilitatem descendere; vt omnia nostra & ipsam etiam ignorantiam susciperet. Et paulò pòst. Cùm enim discipulis id patefacere noluisset, ratione E quadam occulta ne maiorem illis efficeret; filium etiam ignorare ait, de seipso vt homine loquens, nec sibi derogans vt Deo. Scit enim vt Deus, quod vt homo ignorat. Et iterum post pauca: Sed ignorat vt homo quod vt Deus optimè nouit. Sequuntur & alia complura in eandem sententiam.

Tale quid Hilarius quoque sensisse videtur, qui dictam Domini sententiam libr. 9. de Trinitate latè prosecutus, tandem in fine libri, cōcludit; Christum sicut secundùm carnis infirmitatem, suscepit famem, sitim, aliosque defectus; ita secundùm hoF minem profectum esse dici atque horæ illius inscientiam.

Denique Gregorius lib. 8. epist. 42. ad Eulogium contra Agnoitas disputans: Vnigenitus, inquit, factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem, & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit: quia Deus & homo factus, diem & horam iudicij non nisi per deitatis suæ potentiam nouit. Et infrà: Itaque scientiam quam ex humanitatis natura

non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis qui creaturæ sunt, habere denegauit. Sic ille.

Ad hæc obiecta breuiter ita respondemus. Negat Dominus apud Marcum filium scire diem & horam iudicij, non quòd eam vel secundùm diuinam vel etiam secundùm naturam humanam simpliciter ignoret: sed quia non sic eam didicerat à patre, vt alijs vlteriùs illam manifestare deberet. Est itaque hic sensus verborum Christi: Filius est quasi non sciens, quia non ita scit, vt alios scire faciat; sicut pater scit quia filium scire facit. Hunc sensum declarat illud apud Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*, id est, quæcunque vobis manifestanda audiui à patre. Et illud de Spiritu sancto capite 16. *quæcunque audiet loquetur*; id est quæcunque loquenda audiet. Ita è contrario nescire dicitur filius diem illum; quia non audiuit à patre, sic videlicet, vt eum alijs notum faceret. Hunc sensum partim reddunt partim insinuant Augustinus libro 1. de trinit. capite 12. & libro octoginta trium quæst. q. 60. Ambrosius libro 5. de fide ad Gratianum capite 7. & 8. Hilarius libro 9. de trinit. post medium. Item Cyrillus & Gregorius locis suprà citatis. Qui ferè omnes pro simili adferunt illud quod Gen. 22. Dominus ait ad Abraham: *Nunc cognoui quòd timeas Dominum*, id est cognoscere te feci. Neque obstat quòd sicut pater filio, ita & filius Spiritui sancto illius diei notitiam communicat. Non enim id facit filius, vt homo quomodo hîc de se loquitur Christus, sed vt Deus.

Ad alias scripturas facilis ex locorum commentarijs, & cognitis vtcunque scripturæ phrasibus, haberi potest responsio. Constat enim ignorantiæ nomen sicut & scientiæ non vno in scripturis modo accipi. Interrogationes autem non semper ignorantiæ signa esse, sed interdum ad vtilitatem & instructionem eius qui interrogatur pertinere, etiam humanis & quotidianis exemplis doceri potest. Vnde & Deus interrogat sæpenumero, vt, *Adam vbi es?* Et: *vbi est Abel frater tuus?* & infinita huiusmodi.

Quod autem ad Patrum loca attinet; Ambrosius ignorantiam non simpliciter, sed secundùm quid Christo tribuit, vt suprà ostendimus. Cùm enim doceat eum proficere secundùm quandam scientiam, nempe experimentalem, consequens est: vt iuxta hunc quoque scientiæ modum res ipsas priùs nesciat. Sed quia eas alio præcognoscit modo, dici non potest tales simpliciter ignorare.

Cyrilli verò disputatio quamuis anceps sit, vt mentem eius assequi ad plenum difficile sit; vtcunque tamen se explicare videtur per hoc quod in eo capite subinde inculcat, Christum dispensatiuè ignotasse; quia nimirum sic se gessit in humana carne tanquam multa ignoraret. Quomodo etiam loquitur Hilarius & Græci plætique, dispensationis vocabulo vtentes.

Ad Gregorij verba respondendum est, non aliud eum significare voluisse; quàm Christum quòd omnia nouerit non habere ex conditione humanæ naturæ, neque habiturum fuisse, nisi gratuitò fuisset illi naturæ infusa ab initio talis scientia. Vnde & Magister illam scientiam hac de superiori distinctione aliquoties gratuitam vocat. Nam Gregorium non hoc sensisse, quòd in Christo aliqua vel secundùm humanam naturam ignorantia fuerit, satis ipse indicat sub finem capitis: Vbi se excusat, quòd non respondeat ad hanc quæstionem: quare Christus non susceperit ignorantiam nostram, vt nos ab ignorantia liberaret; sicut mori dignatus est, vt nos liberaret à morte. Quæ quæstio locum non haberet, si Gregorius Christo secundùm hominem ignorantiam tribueret. Eius autem quæstionis explicatio pertinet ad proximam distinctionem.

De gemina Christi potentia.

Sicut de scientia dictum est, ita de potentia dicendum eam in Christo geminam esse, alteram diuinam, alteram humanam; illam æternam & increatam, hanc temporalem & creatam, atque animæ Christi tanquam subiecto inhærentem. (S. Tho. 3. par. q. 13. art. 1. & seq.)

Prior illa est ipsa Dei omnipotentia diuinæ naturæ propria ac tribus personis communis: à qua proinde Christus verè & propriè dicitur omnipotens, propter communicationem idiomatum filij Dei & filij hominis.

Hanc potentiam scriptura passim Christo tribuit, vt dum Christus Dei virtus vocatur 1. Cor. 1. & Deus fortis Isa. 9. Qui & Heb. 1. dicitur portare omnia verbo virtutis suæ. Cui eodem loco tribuitur opus creationis mundi his verbis psalmi 101 *Tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* De quo & Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ipse de seipso Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur & ego operor.* Et rursum: *Quæcunque pater facit, hæc & filius similiter facit.* Et cap. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quam potestatem ponendi animam suam reipsa ostendit, quando clamans in cruce exspirauit, ita vt centorio diceret: *Verè hic homo filius Dei erat* Marci 15. Potestatem verò sumendi eam declarauit, quando seipsum excitando à mortuis demonstratus est filius Dei Rom. 1. Quod opus suum iam antè prædixerat his verbis Ioan. 2. *Soluite templũ hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Hinc præterea laudatur in euangelio fides eorum, qui carnis eius infirmitate minimè offensi omnipotentiam eius arguerunt; vt leprosus ille, dicens: *Si vis potes me mundare.* Et contrà taxatur eorum incredulitas, qui de potentia eius aliquo modo dubitarunt; vt ille qui dicebat: *si quid potes adiuua nos.* De hac potentia Christi sic Ambrosius in oratione de Basilicis tradendis: Omnipotens est Dominus noster Iesus, Hæc est fides nostra.

Porrò posterior ista potentia, quæ Christo vt homini conuenit, etsi magna non tamen infinita est, neque ad omnia extenditur. Quare hac ratione nec Christus nec eius anima omnipotens dicetur. Potest id ostendi his rationibus.

Primò. Omnipotentia Deo propria est iuxta illud Exod. 15. *Omnipotens nomen eius.* Nulli ergo creaturæ communicari potest.

Secundò. Creatura omnis finita est, ergo & virtus eius finita est: quia rei finitæ virtus infinita esse non potest. Quod vtrumque confirmat Sapiens, cùm dicit. Omnia in numero, pondere & mensura à Deo facta esse.

Tertiò. Anima Christi seipsam creare nec potest nec potuit: quia seipsam præcedere non potuit,

A est autem & ipsa creatura, & opus quoddam: non ergo ad omne opus extendit se illius animæ potentia.

Quartò. Anima Christi sicut omnis alia creatura facta est ex nihilo. Sicut ergo seipsam ex nihilo producere non potuit, ita nec seipsam potest in esse conseruare, ne in nihilũ relabatur. Sed ad hoc opus est virtute potentiore, quæ non est nisi diuina. Ex his porrò intelligitur latiùs patere scientiam animæ Christi quàm potentiam. Quæcunque enim potest eadem & cognoscit, at non contrà. Non enim ignorat quemadmodum & ipsa & totus mundus creatus sit, quod tamen opus potentiæ eius non subiacet. B

Quòd si obijcias Christi verba Matth. vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Et Apostoli Philipp. 2. *Donauit illi nomen quod est super omne nomen*, id est, virtutem omnia creata transcendẽtem. Respondemus hæc de potentia Christi non humana sed diuina dicta esse, quemadmodum Hieronymus locum Matth. exponit. Ea autem Christo homini data dicetur propter gratiam vnionis; qua factum est, vt omnipotentia homini competeret, vereque diceretur; hic homo est omnipotens. Quod quamuis verum fuerit ab initio incarnationis, postea tamen datum vel donatum dicitur: quia demum post resurrectionem toti mundo cœpit manifestari. C

Simili sensu accipiendum quod dicit Beda homil. 3. in Lucam, ad illud: *Hic erit magnus*: potentiam quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus; quemadmodum ea verba nomine Ambrosij citata in textu rectè exponit Magister. Nam & seipsum exponit Beda, cùm addit, vt vna sit persona homo & Deus.

D Iam verò si quæras quàm latè potentia animæ Christi se extendat? breuiter respondetur, duplicem animæ Christi potentiam cõpetere, alteram naturalẽ qua producere potuit effectus animę conuenientes cuiusmodi sunt animare & gubernare corpus, humanos actus omnes disponere, illuminare per suam gratiæ & scientiæ plenitudinem reliquas omnes intellectuales creaturas. Alteram miraculosam seu supernaturalem, quam habuit quatenus erat instrumentum verbi sibi vniti. Hoc enim pacto tribuitur animæ Christi virtus instrumentalis ad efficiendas omnes immutationes seu operationes miraculosas, quæ conducere possent ad finem incarnationis ac redemptionis humanæ, id est, ad reparationem hominis lapsi. Qualia sunt quæcũque Christus nostri causa miracula operatus est, & quæcunque ab Apostolis & alijs sanctis miracula vnquam patrata sunt. E

Cæterùm ad hoc genus neque pertinet rerum creatio neque annihilatio. Quàre sicut solus Deus potest creare, ita solus creata potest in nihilum redigere, & solus ne in nihilum relabantur, conseruare: ita vt ne quidem virtus instrumentalis hæc operandi possit vlli creaturæ communicari quemadmodum habet recepta S. Thomæ doctrina. F

IN DISTINCTIONEM DECIMAMQVINTAM.

§. 1 *Christum assumpsisse defectus humanæ naturæ & quam ob causam?*

NON tantùm humanæ naturæ veritatem assumere voluit filius Dei, quẽadmodum cõtra Manichæos & Cerdonianos ostendimus ad 2. distinctionem huius libri, sed & eiusdem naturæ defectus, vitia atque imperfectiones assumere dignatus est tam corporis quàm animi. Corporis quidem; vt passibilitatem & mortalitatem, famem, sitim, fatigationem, vulnera, mortem denique ipsam. Animæ verò; vt dolorem, timorem, tristitiam, tædium & huiusmodi. De quibus plenè nobis fidem facit historia euangelica. Assumpsit autem hæc omnia non putatiuè aut apparenter tantùm, vt hæretici voluerunt; sed reipsa & non minùs verè quàm ipsam assumpsit naturam. Hinc Isaias 53. eum vocat virum dolorum, & sciẽtem infirmitatem. Et rursum de eo: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Et Psalmista in persona Christi, ait Psalm. 87. *Repleta est malis anima mea*. S. Tho. 3. pa. q. 14. a. 1. & 3.

Sunt autem quatuor præcipuæ rationes quare animi & corporis defectus assumere Christus voluerit. Prima & præcipua: vt pro peccatis humani generis patri satisfaceret, & satisfaciẽdo hominem ab æterna morte redimeret. Fit autem satisfactio vnius pro altero, dum pœnam pro alterius peccato debitam quis in se suscipit. Cùm igitur mors & mortalitas, aliæque miseriæ & defectus, tam corporis, quàm animæ, sint pœnæ ex peccato primi hominis ortæ; consequens erat, vt eas in se Christus pro generis humani redemptione susciperet: iuxta illud Isa. 53. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Et iterum; *Propter scelus populi mei percussi eum*. Itẽ 1. Cor. 15. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas*. Et 1. Petr. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Cuius liuore sanati estis*.

Secunda ratio; vt veritatem humanæ naturæ in se ostenderet. Quamuis enim hi defectus ad humanam naturam, vt primùm instituta est, non pertineant: quoniam tamen ipsa nunc non aliter hominibus nota est, nisi vt huiusmodi defectibus subiecta: videri potuisset Christus non assumpsisse humanæ naturę veritatem, sed eius phantasticam duntaxat imaginem; si eam absque iis defectibus assumpsisset. Vnde hoc argumento sæpe patres vtuntur contra Manichæos ad probandam in Christo assumptæ naturæ veritatem; velut quòd famem & sitim passus, quòd verè doluit & tristatus est, quòd vulnera & mortem pertulit. Imò & post resurrectionem per aspectum & contactum cicatricum in carne Christi, sanctus Thomas ad credendam resurrectionis veritatem inductus est.

Tertia, vt nobis in seipso humilitatis & patientiæ præberet exemplum; humilitatis quidem per ta-

lium defectuum susceptionem; patientiæ verò per eorundem tolerantiam: iuxta illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.*

Postrema, vt Christus tanquam caput membris suis non solùm in natura, verùm etiam in passionibus & infirmitatibus consormatum ijsdem comparetetor. Quam ratiooem ad Hebræos seribens semel & iterum vrget Apostolus, vt capit. 2. dum ait: *Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropiciaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari.* Et capit. 4. *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

§. 2. *Quare non omnes defectus excepto peccato Christus assumpserit.*

S. Tho. 3. par. q. 14 ar. 4. & q. 15 ar. 1. 2. & 3

CVm in humaoa natora aliud sit culpæ vicium, aliud malum pœnæ; cōstat quidem ex his quæ suprà dicta sunt, Christum non assumpsisse, imò nec assumere potuisse vicium culpæ, id est, peccatum. Quod si etiam potuisset, noo tamen assumere debuisset. Cuius ratio est; tum quia peccatum ad perficiendom opos redemptionis oostræ; id est, ad satisfaciēdum Deo pro peccatis humani generis non solùm nihil potuit conferre, sed & poterat impedire. Non enim est quispiam idoneus vt pro peccatis alienis satisfaciat, ipse peccatis obooxius. Tum quia peccaodo virtutis exempla præbere uon potuisset.

Cæterùm de alijs noonullis defectibus quæri solet quare ooo eoa Christus assumpserit; videlicet, coocupisceotiam seu peccati somitem, quem sequitur pronitas ad malum & difficultas ad bonū. Item ignotantiam & hebetudinem mentis, & particulares quosdam corporis defectus; vt motbos, lepram, mutilationem, deformitatem, aliaque huiosmodi? Ad hæc respondet Magister Christum illos tantùm defectus assumpsisse, quos ipsum assumere decuit, & nobis expediens fuit. Sed qui sint hi defectus, adhuc quæstionem habet.

Respoudendum igitur est defectus humaoę naturæ esse in duplici genere. Alij enim ita ex peccato orti sunt, vt etiam ad peccatum ducant, vel à virtute retardeot. Alij verò sunt quidem ex peccato, non tameo ducuot ad peccatum, neque remorantur à bono. In priori genere suot, fomes peccati, difficultas boni operis, ignorantia agendorum, hebetudo mentis, & si quæ sunt similia. Quæ proinde nullo modo decuit à Christo assumi, qui futurus erat minister iustitiæ, & perfectæ virtutis exemplum præbiturus. Nam quod ad aliarum rerum ignorantiam attinet, ea licèt ad peccatum non ducat; repugnat tamen plenitudioi scieotiæ Christi; de qua in superioribus. Quamquam illa oec omnino debet vocari defectus homanæ naturæ; vt rectè io textu admonet Magister: siquidem & io primo homine talis ignorantia fuisset, & est ex parte etiam in beatis.

Porrò defectua posterioria generis bifariam dioidunrur. Aut enim naturales sunt, aut personales. Naturales vocn qui in totam oaturam, id est, in vniuersum genus hominum transfusi sunt; vt fames, sitis, labor, dolor, mortalitas & similes. Personales qui oon in omnibos sed in certis tantùm personis reperiuotur; vt lepra, cæcitas, monstrositas, & varia morborum genera. Dicimus igitur Christum qui naturam humanam communiter & sine personarum distinctione venerat redempturus; assumere debuisse communes & naturales defectus noo autem personales, nisi eos quos peculiariter iniuncti à patre operis, id est, passionis in cruce tolerandæ qualitas suscipi requirebat, vt liuores & vulnera.

Quod igitur Apostolus Hebræot. 2. & 4 dicit Christum omnia nostra excepto peccato suscepisse: quod & patres generalibus verbis subinde repetunt: vt Leo epistol. 10. quę est ad Flouiaoum & sermon. 2. de natiuitate Domini. Et Damascenus libr. 1. capit. 20. id secundùm supradicta accipi debet, de omnibus defectibos qoi sunt toti hominum generi communes. Sub exceptione verò peccati etiam ea intelliguntur excipi quæ ioclinaot, vel ducunt ad peccatum.

§. 3. *Animam Christi fuisse passionibus obnoxiam.*

S. Tho. 3. par. q. 15. ar. 4. 5. 6. 7. & 9

PAssiooes animæ non omnes eiusdem generis sunt, sed aliæ quidem corporales dicuntur; vt dolores quos io corpore læso, vel malè affecto anima patitur per seosum: alię verò aoimales, euiusmodi sunt affectiooes appetitus sensitiui. Sicut ergo Christus suscepit corpus passibile, ita non est dubitandum quin & animam habuerit obnoxiam passiooibus vtriusque generis: sed innoxijs duntaxat, & solam pœnalitatem, oon etiam culpam vel culpæ causam habeotibus, quemadmodum de defectibus corporis supradictum est. Vnde Augostioos in illud Psalm. 87. *Repleta est malis anima mea*, ita scribit: An occidi anima à persecutoribus non potest, malis autem repleri potest? Quod si ita est, quærendum quibus? Non enim vicijs per quæ homini domioatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere, sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in eius passione compatitur. Et paucis ioterpositis: Cur itaque non dicamus non hominis peccatis, sed tantùm humanis malis repletam fuisse animam Christi? & quæ sequuotur; vbi has animæ passiones vocat humanæ infirmitatis affectus. Propter quos etiam Christus & in Psalmis & io Euangelio animam suam turbatam fatetur. Qua de re comoientans Ambrosius libr. 2. de fide ad Gratio. capit. 3. ait inter alia: Petrus dixit, animam meam pono pro te, Christus dicit; Anima mea turbatur, & infrà: Noo turbatur eius virtus, noo turbatur eius diuinitas, sed torbatur anima secundùm humanæ fragilitatis assumptionem. Nam qui suscepit animam, suscepit etiam animæ passiorem. De ijsdem quoque animi passionibus Augustinus libro 14. de Ciuitate capite nono contra Stoicos disputans; Ipse Domioos, inquit, in forma serui vitam agere dignatus humanam adhibuit eas, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus, &c. Manifestè idem habes in explaoatione fidei ad Damasum, Hieronymo ascripta verba sunt in Magistro.

Porrò sigillatim has animi passiones, videlicet, dolorem sensus, tristitiam, timorē, & iram in Christo fuisse breuiter ostendamus.

Dolorem sensus in eo fuisse sufficiēter conuincit læsio corporis & sensus læsionis. Quorom haud

dubiè vtrumque in Christo fuit; læsio quidem in sacri corporis eius passione; sensus autem læsionis, quia perfectissimæ Christi animæ nulla naturalis potentia defuit, aut imperfectè adfuit. Hinc propheta Christum vocat virum dolorum, & quòd verè dolores nostros ipse portauerit, testatur. De Christi dolore clarum est apud Ambrosium testimonium loco memorato & commentario in illud Luc. 22. *Pater si possibile est*: Item Leonis sermone 14. de Pass. Dom. dicentis, Christum dolores sæuissimos vsque ad mortis extrema passum esse.

Tristitiam in Christo fuisse abunde docent 4. euangelia, potissimùm circa historiam passionis eius. Ait enim ipse: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Et de eo euangelista, *Cœpit contristari & mæstus esse*. Vnde Ambrosius eiusdem libri capit. 2. de Christo loquens: Vt homo, inquit, tristitiam habuit. Suscepit enim tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem prædico. Et Hieronymus in 26. Matth. Dominus noster vt veritatem assumpti probaret hominis, verè contristatus est. Sic & Augustinus in Psalm. 93. Tristitiam sic assumpsit Christus, quomodo carnem, &c. Arguit & illud tristitiam in Christo, quòd Lazarum suscitaturus & Hierusalem ingressurus lachrymas fudisse legitur, non vtique fictas.

Timorem quoque in eo fuisse testatur euangelica historia. Cœpit enim pauere & tædere appropinquante passione, & ex timore passionis & mortis illa procedebat oratio: *Si possibile est, transeat à me calix iste*. Ad quę verba infert Ambrosius capit. 3. eiusdem libri: Timet ergo Christus, & dum Petrus non timet, Christus timet. Huc pertinent multa quæ in Psalmis ex Christi persona dicuntur, vt illud: *Timor & tremor venerunt super me*, & illud: *A timore inimici eripe animam meam*.

Denique & iram quoque seu indignationem scriptura Christo tribuit, quale est illud psalmi quod in euangelio Discipuli de Christo prophetatum intellexerũt, Ioan. 2. *Zelus domus tuæ comedit me*. Et manifestiùs de Christo testatur. Marcus 3. his verbis: *Et circumspiciens eos cum irà contristatus super cæcitate cordis eorum dicit homini, &c.* Huc etiam referunt quod infremuisse spiritu legitur.

---

§. 4. *Responsio ad ea quæ dictis aduersari videntur.*

S. Thom. ubi supr.

NVnc ad ea respondendum quæ tum ex ratione, tùm ex authoritate petita, superiori doctrinæ videntur contraria: Sunt autem hæc ferè.

Primum. Christi anima, vt suprà dictum est, ab ipso statim initio beata fuit perfectissima Dei visione, quæ proinde omnem miseriam excludit: nõ igitur fieri potuit, vt vel dolor, vel tristitia, vel vlla passio pœnalis in illa locum haberet.

Secundum. Tristitia de his est quę nobis nolentibus accidunt, quemadmodum testatur Augustinus libr. 14. de Ciuitate cap. 6. At Christo nihil accidit nolenti; vt cuius voluntas per omnia fuerit consentiens voluntati diuinæ. Non ergo in eo tristitia fuit.

Tertium. Timor eius est mali quod vel non potest vel difficulter potest à timente vitari. Quare cùm Christus omnia quę passus est mala facilè vitare potuerit, non videtur timori in eo locus fuisse.

Quartum. Isa. 42. de Christo prædictum est: *Non erit tristis neque turbulentus*, & de iusto generaliA ter dictum. Prou. 12. *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit*.

His accedunt aliquot loca patrum, videlicet, Hilarij, Hieronymi, & Augustini, quæ tristitiam, dolorem, timorem prorsus videntur à Christo eiusque anima remouere. Nam Hilarius toto ferè libr. 10. de Trinitate, prolixè disputat contra eos qui Christo metum passionis, & pœnę dolorem, & de morte tristitiam asscribunt: quos & hæreticos vocat, & de scripturis copiosè refellit. Atque inter cætera ait, quòd in Christum quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurre-B rent, aut suspensio eleuaret: afferrant quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent; vt telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans. Dicit præterea virtutem corporis Christi sine sensu pœnę, vim pœnæ in se desæuientis excepisse. Ea quoque argumenta quibus suprà ex euangelio ostendimus passiones animæ in Christo fuisse, ab aduersarijs sibi obiecta dissoluere conatur. Sũt & alia apud eundem loca quibus similiter loquitur. Scribens enim in Psalm. 68. reprehendit, quòd à plęrisque Christus quia fleuerit, arguatur infirmus. Et rursum ad illud:
C *Consolantem quæsiui & non inueni*: Consolantis, inquit, non solatium, sed fidem quærit. Et canon. 31. in Matth. ad illud: *Tristis est anima &c.* dicit Christum non de morte, sed vsque ad mortem tristem fuisse, nimirum de suis discipulis.

Hieronymus autem in Matth. 26. ad illud: *Cœpit contristari*, propassionem agnoscit quidem in Christo, sed passionem negat. Aliud est enim, inquit, contristari, & aliud incipere contristari. Contristabatur autem, non timore patiendi, qui ad huc venerat, vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat, sed propter infœlicissimum Iudam & scandalum omnium
D Apostolorum, &c. Et infrà: Si autem tristitiam animi non affectũ saluatoris erga perituros, sed passionem hæretici interpretantur; respondeant quomodo exponunt illud quod ex persona Dei per Ezechielem dicitur, *Et in omnibus istis contristabas me?* Et rursum ad illud: *Veruntamen non sicut ego volo*. Postulat autem non timore patiendi, sed misericordia prioris populi: ne ab illis bibat calicem propinatum.

Similia quædam & apud Augustinum leguntur; velut in expositione secunda Psalmi 21. vbi
E Christum negat verè timuisse passionem, qui se sciret tertia die resurrecturum: sed corporis sui, id est, ecclesię gessisse personam asserit, quando dixit: *Quare me dereliquisti?* Et: *Transeat à me calix*. Et eiusmodi. Item conc. 1. in Psal. 30. Christus, inquit, non in se, sed in nobis pauebat & dicebat: *Tristis est anima mea*, &c. Et scribens in Ps. 56. remouet omnem à Christo perturbationem: additque illud, vbi turbatum se dixit, secundùm opinionem frementium, non secundùm cedentis conscientiam ab eo dictum. Rursus in Psal. 93. Christum timuisse aut tristem fuisse negat: & in Psalm. 95. ait: Ille qui quasi territus vide-
F tur inter homines, terribilis est super omnes Deus. Indicans non verè territum fuisse. Sed & alibi passim apud patres similes sententiæ reperiuntur.

Vt his argumentis respondeatur, & dictorum sana accipiatur intelligentia: repetendum memoria quod suprà dictum est, in Christo neque peccatum fuisse, neque defectum aliquem qui ad peccatum duceret. Sciendum quoque est nihil ei potuisse accidere inuito, cùm esset omnipotens, neque ex improuiso cùm ab æterno fuerit omnium præscius. Oportet igitur sic in eo agnoscere veras animi pas-

siones

siones, vt tamen illa quæ iam antè à Christo remouimus, simul ab ijs quæ in Christo fuerunt, passionibus separemus; tametsi plærumque nostris sint passionibus coniuncta. Aliter ergo in Christo passiones eiusmodi fuerunt, aliter sunt in nobis: idque multiplici discrimine. Nam in nobis frequentissimè præter rationem, sæpiusque autem contra rationem oriuntur atque insurgunt: denique non rarò rationem in suum obiectum pertrahunt & consentientem sibi in ea affectum excitant. Quorum nihil operatæ sunt in Christo, vtpote in quo ratio perfectè dominabatur appetitui sensitiuo: ita vt nec in ipso appetitu vllus motus oriretur, nisi ex imperio vel dispositione rationis: nec ratio per eiusmodi motus vllo modo ab ijs, quæ facere ipsam conueniebat, impediretur. Tam ergo voluntaria erat in eo omnis animi passio, quàm voluntaria fuerat ipsa humanæ naturæ susceptio, sicut Augustinus docet libr 14. de Ciuitate capit. 9. & proxima distinctione pleniùs ostendetur. His præmissis ad obiectorum solutionem veniamus.

Ad primum quidem respondetur, delectationem contemplationis diuinæ qua ab initio Christi anima fruebatur, singulari quadam dispensatione, sic tenentam fuisse in mente; vt in partes inferiores animæ tam sensitiuas quàm alias, non deriuaretur: itaque nihil obstitisse, quo minùs in illas locum habere posset vel dolor sensibilis, vel quæcunque alia pœnalis affectio.

Ad secundum dicendum non pertinere id ad tristitiæ rationem, vt de ijs sit quæ nobis absolutè nolentibus accidunt, tametsi ita sæpenumero in nobis contingat; sed vt sit de ijs quæ saltem aliquo modo sunt inuoluntaria Quare licet iactura bonorum, vel amara potio si secundùm se spectentur, homini sunt inuoluntaria, sed in ordine ad finem simpliciter existunt voluntaria: ita passio & mors Christi in se spectata inuoluntaria quidem Christo erant & hac ratione tristitiam in eo generabant; voluntaria tamen illi absolutè fuerunt propter finem, id est, humani generis redemptionem.

Ad tertium respondetur, potuisse Christum virtute suæ diuinitatis omnia quæ passus est mala vitare ac depellere. Cæterùm secundùm carnis infirmitatem voluntariè assumptam eadem vitare vel non poterat vel non facilè poterat. Atque hac sola ratione timoris affectum de ijs concepit.

Ad scripturas respondendum, eas nec à Christo nec à quolibet iusto excludere omnem tristitiam, sed inordinatam tantùm; quæ, videlicet, vel præter vel contra rationis dictamen oriatur, eamque ad se pertrahat. In iustis enim passiones rationi nô dominantur. In Christo verò ne quidem existunt tales quæ rationem vel antecettant, vel oppugnent, sine quibus alios iustos esse in hac vita impossibile est. Hunc autem esse prophetæ sensum arguit illud adiunctum, *Non erit turbulentus*. Passiones enim quæ nô subduntur imperio rationis, perturbationes & ægritudines animi rectè à doctis appellatæ sunt.

Ad Hilarij verba ferè eadem est responsio. Non enim vult Hilarius Christum nec doluisse nec omnino sensisse pœnas corpori suo illatas; quod prima facie verba eius sonare videntur, sed non talem fuisse in eo sensum pœnæ qualis in nobis, tum quia in eo non fuit vlla animi passio ex necessitate quæ voluntati repugnaret; tum quia in eo mentis seu rationis rectitudinem & rationi congruentem operationem nulla ex parte turbabat aut impediebat. Atque hunc esse intellectum verborum Hilarij, satis intelligitur ex eo quòd vitiosum tantùm hominis

A infirmitatem à Christo remouere intendit disputans contra Arianos, qui ex huiusmodi passionibus velut inuoluntarijs perturbationibus arguebant in Christo impotentiam. Ex quo ostendere volebant eum nô esse vnius naturæ cum Deo patre, cum quo non esset paris potentiæ. Vnde inter cætera ait: Non enim conuenit vt pati nollet, quod pati velit; Volo sse autem eum pati docet ex alijs scripturæ locis. Et infrà pleniùs sententiam suam explicans: Omne, inquit, quod timetur, vitari necesse est dum timetur:

B & quod infirmum est simul ex infirmitate terrorem, & quicquid dolet, dolendi in se habet indemotabilem naturam, &c. Quibus verbis satis ostendit, quo sensu eas passiones à Christo remoueat; quatenus, videlicet, ijs coniuncta solet esse impotentia vitandi id quod timetur, aut terrorem, aut dolorem infert.

Quid autem ad Hieronymi & Augustini verba respôdendum sit, vtcunque à Magistro in textu explicatum est.

Cæterùm pro maiori declaratione eorum quæ ex dictis patrum obiecta sunt, vel obijci possent; pri-

C mò sciendum eos interdum non tantùm de Christo, sed & de martyribus sic loqui, quasi tormenta quibus afficiebantur ne sensu quidem perceperint: vt de Laurentio Ambros. sermone 71. & Augustinus tract. 27. in Ioan. & sermone 30. de Sanctis, Generaliter autem de Martyribus, Bernardus sermone 61. in Cantic. Cuiusmodi tamen verbis non sensum doloris ab ijs remouere voluerunt, sed tantùm significarunt; tormenta non hoc in eis effecisse, quod in alijs efficere solent; id est, quod dolor inde perceptus non ita eos affecerit, vt mentem perturbaret atque à recto statu dimoueret; sed ita constantes

D mansêrint, quasi tormenta omnino non sensissent, & ita luculentè seipsum Bernardus exponit. Cùm igitur hoc pacto locuti sint patres de martyribus, in quibus omnium plenè subiecta erat sensualitas rationi; multò côuenientiùs ad eum modum de Christo loqui potuerunt.

Secundò sciendum Christum secundùm Augustinum locis suprà citatis & alios, quando togauit vt auferretur calix passionis; nostram infirmitatem in se repræsentasse, & in persona membrorum ita orasse: non quin reuera ad Christi personam illa oratio pertinuerit, quemadmodum ad distinctio-

E nem 17. ostendemus; sed quia Christus voluntarie suscepit, quod infirmiora eius membra necessitate patiuntur: videlicet tristitiam ac timorem de præsentibus vel imminentibus malis, idque ad consolationem eorum qui talia in suis passionibus etiam pro Christo susceptis passuri essent inuiti: cùm alioqui potuisset, vtique si voluisset fortiorum membrorum suorum quales fuere Laurêtius & Vincentius & alij vtriusque sexus non pauci, in se repræsentare personam; accedendo & suscipiendo passionem cum alacritate & gaudio. Neque August. aliud voluisse planè conuincunt, tum alia eius loca, tum illud quod scribens in Psalm. 93. subijcit, & à Ma-

F gistro recitatur: Sed tristitiam sic assumpsit quomodo carnem. Fuit enim tristis sicut euangelium dicit. Si enim tristis nô fuit cum euangelium dicat, *Tristis est anima mea, &c.* nihil in scriptura sanum relinquitur; vt dicatur etiam quia corpus eius nô erat verû. Quicquid ergo de illo scriptum est, verum est & factum est, ergo & tristis fuit, sed voluntate tristitiam suscepit veram, quomodo voluntate carnem veram. Hæc ille.

Tertiò quod Hieronymus dicit Christum non fuisse contristatum timore patiendi, sed propter

scelus

scelus Iudæ & scandalum Apostolorum, & abiectionem populi Iudaici & euersionem Ierusalem, qualia & apud Hilarium leguntur nonnulla lib. 10. de Trinitate, sanam intelligentiam postulant, hanc nimirum quòd licèt neutrum sit contra volūtatem beneplaciti Christi, ac tale quod inuito eo euenturum esset. Hæc tamen posteriora vel in se vel in sua caussa, id est, in malo Iudæorum merito sint contra voluntatem signi, id est, præcepti eius, & talia quæ Deum non habeant authorem, sed ei simpliciter displiceant. Vnde de iis gaudere Christus non potuit, sicut de sua passione, nec omnino velle ea potuit.

B Postremò notandum veteres de passionibus interdum loqui more stoicorum; qui passionis nomine non quemlibet motum sensualitatis intelligebant, sed eum qui rationi dominaretur, eamque ad se pertraheret. Quam passionem perfectam vocat S. Thomas 3. q. 15. ar. 4. Hoc igitur sensu Hieronymus in 26. Matth. passionem dicit in Christo non fuisse sed propassionem solam, propassionis nomine intelligens motum sensualitatis, non se extendentem vsque ad rationem, vel commouendam, vel si commouerit peruertendam. Quod propterea addimus; quia idem Hieronymus in capit. 5. Matth. inter passionem & propassionem distinguens: Passio, inquit, reputatur in vitium; propassio licèt vitij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Quo sanè modo ne propassio quidem in Christo locum habuit, in quo nulla culpa fuit.

C

IN DISTINCTIONEM DECIMAMSEXTAM.

§. 1. *Utrùm in Christo neceßitas fuerit supradictorum defectuum?*

S. Tho. 3. p. q. 14. a. 1. & 3.

D QVONIAM satis ostensum est Christum verè suscepisse defectus humanę naturæ tam in anima quàm in corpore; quærendum nunc vtrùm in eo fuerit eorundem defectuum necessitas?

Ita enim apparet imprimis ex eo, quòd ipsa patiendi, moriendi, aliosque defectus subeundi necessitas etiam defectus quidam sit. Cùm igitur Christus iuxta Apostoli sententiam per omnia nobis similis factus sit absque peccato; oportet vt & ipsam defectuum necessitatem, quam liquet non esse peccatum, susceperit.

E Item, Christus mortalis fuit non tantùm quomodo Adam ante peccatum, vt mori posset, sed qualis & Adam post peccatum, & nos omnes per eius peccatum: ea nimirū mortalitate qua non possumus non mori; id est, qua necesse est nos aliquando mori: igitur & in Christo fuit ea mortalitas.

F Præterea defectus huiusmodi fuerunt in Christo à natura: quia cum iis natus est eosque ex matre contraxit. Quod autem tale est, non voluntati subiacet sed ad necessitatem pertinet naturalem. Vnde Augustinus lib 5. contra Iul. cap 9. Caro Christi, inquit, mortalitatē de mortalitate materni corporis traxit; quia mortale corpus eius inuenit, &c. Quibus

A accedit authoritas glossæ ordinariæ in illud Heb. 9 *Statutum est hominibus semel mori*, vbi dicitur: sicut hominibus aliis necessitate & iure naturæ statutum est semel mori; ita & Christum eodem iure semel oblatum esse.

Contrà verò fuisse in Christo pœnalitates ac defectus non patientis necessitate, sed suscipientis voluntate, multis locis testatur scriptura: *Oblatus est enim quia ipse voluit.* Isa. 53. *Tradidit semetipsum pro nobis.* Galat. 2. & Ephes. quinto. *Turbauit seipsum.* Ioan. 11. Manifestiùs autem & necessitatē moriendi exclusit & liberam potestatem ac voluntatem statuit his verbis Ioan. 10. *Pono animam meam vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Deinde frequentissimè hoc pacto de Christo loquuntur Patres, vt Hilarius passim libr. 10. de Trinitate, docens Christum voluntate suscepisse quod nos necessitate patimur, & in Psalm. 68. ita scribens: Non fuit in vnigenito Dei naturalis infirmitas, sed assumpta. Et rursum: Dolet ipse quidē extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen quæ suscepit accommodans. Et iterū: Cuncta nostræ quæ in eo fuerunt infirmitates, non naturales sunt, sed assumptæ. Idem in libr. de Synodis docet Christum & pati potuisse, nec tamen passibilem fuisse; videlicet, eam quæ in nobis est patiendi necessitatem à Christo remouens. Augustinus quoque lib. 14. de Ciuitate dei cap. 9. de animi passionibus quæ in Christo fuerunt, disputans ita concludit: Verùm ille hos motus certæ dispēsationis gratia, ita cùm voluit suscepit animo humano, sicut cùm voluit, factus est homo; & in Psalm. 56. Christus ad hoc homo quia misericors, non vt conditionis necessitate nasceretur, sed vt nos de conditione necessitatis liberaret. Item in Psalm. 87. Hos, inquit, humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ ac mortem carnis humanæ Dñs Iesus non cōditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit. Et rursum in Psal. 93. Voluntate tristitiam suscepit veram, quomodo voluntate carnem veram, & in Psal. 96. Tu conditione moreris, ille misericordia. Sic & Leo serm. 8. de quadragesima: Conditionem seruilem consilio pietatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens: quia potestate factus est humilis, potestate passibilis, &c. Denique generaliter à Damasceno dictum est libr. 3. cap. 20. Nihil coactum in Christo considerari, sed omnia voluntaria. Hæc & similia loca necessitatem defectuum tam animæ quàm corporis à Christo remouere videntur. Quod & ratio conuincit ex omnipotentia verbi Dei sumpta. Ea enim necessitatem qualiscunque defectus manifestè excludit.

Hanc apparentem rationum & authoritatum contrarietatem breuiter dissoluemus, si dicamus: fuisse quidem necessitatem defectuum in Christo, sed eam voluntariam, id est, voluntate assumptam; quemadmodum bene docet Magister. Eam enim moriendi & patiēdi necessitatem quam nos ex corruptione naturæ per peccatum viciatæ contrahimus, Christus diuina voluntate assumpsit, qua assumpsit hominem. Nam, vt ait S. Damascenus libr. 3. cap. 14. & 15. beneplacito diuinæ voluntatis carni Christi permittebatur agere & pati quæ propria, & in similitudinem carnis peccati mortiferam & corruptiuam qualitatem quæ pœna est peccati, voluit Christus qui sine peccato venerat, in carne sua diffundi. Vnde rectè ab Hugone Victorino scriptum est lib 2. de sacrament. cap. 7. Christo homini à

prin-

principio nō solùm immortalitas debebatur, quam primus habuit homo ante præuaricationem sed illa quoq; quam nunc secundus habet post resurrectionem: vt videlicet, sicut ex consortio dietatis spiritu confirmatus esset ad virturem vt peccare non posset; ita quoque ex merito virtutis carne confirmatus esset ad incorruptionem, vt mori non posset. Sed quia caro peccatrix à pœna liberari non potuit nisi caro eius qui sine peccato erat, pateretur, infirmitatem passibilitatis & mortalitatem in carne assumpta retinuit potestate, & sustinuit voluntate. Hæc ille. Ex quibus etiam intelligitur Christum si violenta morte occisus non fuisset, tandem senectute defecturum ac moriturum fuisse. Quia enim, inquit, Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis capit. 29. erat in Christo similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia: vt ad mortem videatur etiam senescendo illa caro peruenire potuisse, nisi iuuenis fuisset occisus Quæ tamen mors in carne peccati inobedientię debita redditur. In similitudine autem carnis peccati, obedientiæ voluntate suscepta est, &c. Ex his igitur patet quatenus vtrumque verum sit, quod & voluntate & necessitate Christus humanæ naturæ defectus sustinuerit: quia, videlicet, non tantùm defectus ipsos sed & necessitatem quandam ad illos in se habuit. Eam verò necessitatem non quemadmodum nos ex aliquo peccati debito contraxit, neque inuitus sustinuit, sed voluntate suscepit, volūtate retinuit, & voluntate deposuit.

Si quæras, quomodo cum hac voluntate consistat necessitas, respondeo necessitatem hîc intelligi non coactionis, quæ voluntari repugnat & qualis in Christo nulla fuit, sed naturalem: qua nimirum necesse erat corpus ex contrarijs compositum tendere ad corruptionem & tandem corrompi. Cuiusmodi necessitatem nihil prohibet voluntate assumptam esse. Est autem hæc necessitas naturæ corruptæ non institutæ. Quamuis enim primus homo secundùm corpus ex contrarijs compositus erat, eam tamen compositionem durante innocētia non poterat sequi corruptio compositi, neque omnino ad corruptionem dispositio: quia non erat ibi pugna contrariorum futura tēdens ad corruptionem corporis, quia quantum decederet per huiusmodi pugnam tantùm nutritio apponeret, quemadmodum superiori libro ad distinct. 19. ostendimus. Voluntariè igitur filius Dei assumpsit corruptionem humanæ naturæ, non quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam; & quia culpam non assumpsit, ideo nec pœnam contraxisse propriè dicendus est. Nam vt dicit sanctus Thomas 3. quæst. 14. articul. 3. in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam: vt illud contrahi dicatur quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem pœnalitatum in humana natura inter quas est ipsa patiendi necessitas, non alia est quàm culpa siue peccatum. Vnde Augustinus contra Iul. loco supracitato traxisse quidem Christum dicit, sed non contraxisse mortalitatem de mortalitate materni corporis.

---

§. 2. *Vtrùm Christus in mortali vita viator fuerit an comprehensor?*

S. Tho. 3. par. q. 15 ar. 10.

OCcasione doctrinæ Magist. qua docet Christū de omni statu hominis aliquid accepisse; videlicet immunitatem peccari de statu innocentiæ, pœnam de statu hominis lapsi; gratiæ plenitudinem de statu hominis sub gratia constituti, & non posse peccare, perfectamque Dei contemplationem de statu hominis ad gloriam euecti, quæri solet: Vtrùm Christus in hac mortali vita fuerit dicendus viator, quod pertinet ad tres priores status; an comprehensor, quod pertinet ad statum postremum.

Cui quæstioni breuiter responderem, Christum toto tēpore mortalitatis suæ fuisse simul viatorem & cōprehensorem; sed diuersa ratione quod ita declaratur. Viator quispiam dicitur, quatenus ad beatitudinem tendit; comprehensor quatenus beatitudinem iam consecutus est. Vtrumque significauit Apostolus his sententijs: *Sic currite vt comprehendatis*, 1. Corinth. 9. Et: *Sequor autem, si quo modo comprehendam*. Philipp. 3. Cùm autem perfecta hominis beatitudo consistat in anima & corpore; secundùm illud quidem quod animæ proprium & præcipuum est; id est, secundùm mentem ab initio conceptionis perfecta Dei visione beatus fuit, & proinde comprehensor; secundùm corpus verò mortalis & passibilis. Imò & secundùm animæ partem inferiorem passionibus obnoxius, & proinde hac ratione nondum comprehensor erat, sed viator: quatenus videlicet per passiones tanquam in via positus merebatur & sibi & nobis, quemadmodum ad distinct. 18. pleniùs dicetur.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMSEPTIMAM.

§. 1. *Plures in Christo fuisse voluntates.*

S. Thom. 3. par. q. 18. art. 1.

CIRCA voluntatem Christi varij olim extiterunt errores, in eo licet conspirantes: quòd vnicam ei voluntatem tribuerent; sed diuersis principijs & fundamentis nitētes. Nam Apollinaris eo ipso quo mentem seu rationalem animam in Christo negabat, etiam voluntatem humanam adimebat solam ei tribuens diuinam. Eutyches vnam compositam naturam Christo affingens consequenter vnicam voluntatem tribuere debuit. Postea verò quidam Græci etsi duas distinctas in Christo naturas iuxta Chalcedonensis concilij definitionem agnoscerent: vnicam tamen voluntatem & vnicam operationem ei propterea tribuebant: quòd dicerent humanam naturam in Christo nunquam moueri proprio motu, sed tantùm prout moueretur à diuinitate. Et ab vnitate voluntatis quam defenderunt, Monothelitę dicti sunt: quos damnauit sexta Synodus Oecumenica sub Agathone Papa: cuius in eiusdem Synodi Act. 4. lecta est & approbata epistola contra dictum errorem accuratè conscripta.

Conuincitur autem hic error certissimo argumento ex duabus naturis Christi desumpto. Cùm enim præter diuinam sit in Christo natura humana perfecta, quemadmodum distinctione secūda probatum est: ad humanæ autem naturæ perfectionem pertineat tam voluntas quàm intellectus, quæ sunt duæ facultates propriæ animæ rationali; consequens est in Christo sicut intellectum ita voluntatem creatam atque humanam cum suis operationibus agnoscendam esse. Est igitur in Christo duplex voluntas, diuina & humana, sicut & intellectus du-

plex,

plex,& secundùm vtrumque duplices operationes. Qua de re in supradicta epistola disputans Agatho pontifex: Cùm, inquit, de filio Dei & de mysterio admirādæ eius secūdū carnem dispensationis confitemur, omnia duplicia vnius eiusdemque Domini Saluatoris nostri Iesu Christi secundū euangelicam traditionē asserimus;id est,duas eius naturas prædicamus,diuinā & humanam;& vtramque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & diuinam quidam habere omnia quę diuina sunt, humanam verò omnia quæ humana,sed absque peccato &c. Quam doctrinam diligenter eiusdem cōcilij patres exposuerunt,vtentes ad eius probationē his ferè scripturis: Matth. 26. *Non sicut ego volo sed sicut tu.* Et: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Marc. 7. *Ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere.* Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me.* Et 6. *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me.* Et 7. *Non volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Et illud psal. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Sciendum autem plæraque istorum non ad voluntatem rationalem,sed ad sensitiuam referenda esse, de qua paulò post agemus, tametsi sufficienter hæc omnia probant creatam aliquam in Christo voluntatem.

Vtitur præterea synodus ad idem probandum testimonijs patrum tam Græcorum quàm Latinorum,quemadmodum in actione 4. videre licet. Præter quæ notari possunt & hæc loca; Ambrosius lib 2. de fide ad Gratianum cap. 3. Sicut Christus, inquit, susceperat voluntatem meam, ita suscepit tristitiam meam: Et lib. 10. in Lucam ad illud: *Non sicut ego volo.* Voluntatem suam ad hominem retulit, patris ad diuinitatem. Voluntas enim hominis est temporalis: voluntas diuinitatis æterna. Item Augustinus in psal. 32 concione 1: Hominem Christus gerens,inquit,ostendit priuatam quandam hominis voluntatem. Deinde citans illud, *transeat à me calix iste*, ait: Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam priuatum volens &c. Et in Psal. 93. eandem scripturam allegans dicit, Christum illis verbis ostendisse hominis voluntatem. Similis est locus lib. 3 contra Maximinū c. 19 Beda quoque lib. 4 in Marcum tractans eadem Christi verba,non tam suis quàm Augustini verbis humanam Christi voluntatem quam temporaliter sumpsit ex virgine ibi significatam dicit: sicut & alibi: *Nō veni facere voluntatem meam*. Quo loco & illud: *Caro autem infirma*: ad humanam Christi voluntatem accommodat, quemadmodum & glossa ordinaria in Marc. 14. imò ecclesia in officio diuino feriæ 5. cœnæ domini respon. 1. Cæterùm præ alijs solidè & expressè hoc argumentum tractauit Damascenus lib. 3. orthod fidei cap. 14. & in l. de hæresibus hær. Monothelitarum, ac rursum in libro de ea re peculiariter composito, cui titulus; de duabus Christi voluntatibus & actionibus. Quibus locis aliquot rationes colligit quibus probet humanam in Christo voluntatem. quarum hæ sunt præcipuæ.

Prima. Voluntas naturam sequitur, non personam;alioqui enim in Deo tres essent voluntates, sicut tres hypostases: igitur cùm duę sint in Christo naturæ,sunt & duæ voluntates.

Secunda, Homo secundùm voluntatem factus est ad imaginem Dei;Christus autem assumpsit hominem quatenus imago Dei est:assumpsit ergo voluntatem humanam.

Tertia. Obedientia est voluntatis subiectæ atque inferioris: atqui Christus fuit patri obediens vsque ad mortem: habuit ergo voluntatem diuina minorem,id est,creatam.

Quarta. Adam propria voluntate peccando tam in se eo quàm in posteris voluntatem infecit. Si ergo Christus voluntatem humanam non assumpsit; ergo nec nostra in eo voluntas sanata est. Quod enim inassumptibile est,incurabile est.

Postrema. Christus meruit & sibi & nobis: at meritum non est nisi secundùm voluntatem creatam;fuit ergo in eo creata voluntas.

Remouet deinque Damascenus eorum obiectionem,qui ex duabus voluntatibus vnam in Christo compositam voluntatem imaginantur, Eutychetis errorem secuti: qui compositam naturam Christo tribuebat. Eamque doctrinam quæ absurda sequantur, docet, quemadmodum apud ipsum authorem videre licet.

§. 2. *Voluntatem sensualem in Christo fuisse.*

IN Christo secundùm humanam naturā duplex agnoscenda est voluntas, altera rationalis quæ est homini propria, respondens intellectui: altera sensualis quæ & sensualitas dicitur,& omni animali communis est,respondens sensui. Et quamuis solus appetitus rationalis propriè vocetur voluntas, interdum tamen etiam sensitiuo appetitui voluntatis nomen tribuatur. Quò pertinere videtur, quod Ioan. 1. & Eph. 2. voluntas carnis nominatur. Et Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 2. præter voluntatem rationalem etiam sensualem agnoscit ita scribens: Sensualis voluntas quam & carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motum, qui de corporis sensibus nascitur: qualis est in animis paruulorum, qui licèt nullo iudicio rationis vtantur,ostendunt tamen aliquid se velle, cùm sentiendo & ea quibus delectantur, amant, & ea quibus offenduntur, oderunt &c. & Philosophus lib. 3. Eth. c. 2. spontaneum seu voluntarium ad plura extendi docet quàm electionem. Est enim, inquit, cum pueris & animalibus cæteris nobis commune. S. Tho. par. 3. ar. 2.

Hanc autem voluntatem, id est sensualitatem in Christo fuisse rursum ostēditur argumēto sumpto ex perfectione humanæ in Christo naturæ. Cùm enim humana natura includat naturam animalis, vt species genus, & ad animalis perfectionem pertineat sensus & sensui respondens appetitus: fatendum est sicut sensum ita & appetitum sensitiuum in Christo fuisse. Nec minus absurdum esse sensualitatem à Christo remouere, quàm ipsam facultatem.

Idem ex scriptura sufficienter ostenditur. Nam vt superiori capite dicebamus, plæraque scripturæ testimonia quibus humana voluntas in Christo probatur,non tam de rationali quàm sensuali volūtate videntur accipienda. Sed & illæ scripturæ quæ Christo dolorem, tristitiam, timorem ascribunt, cū hæ passiones sint partis sensitiuæ satis conuincunt sensualem voluntatem in Christo fuisse. Quam doctrinam post Magistrum in texto & Hugonem Victorinum in libello de volūtatibus Christi constanter retinent & tradunt omnes Scholastici.

§. 3. *Nullam fuisse in Christo voluntatum contrarietatem.*

S.Tho. 3. q. 16. a. 5. & 6.

CVm in vniuersum triplex sit in Christo voluntas, vt iam ostendimus; nempe diuina, rationalis, & sensualis; fatendum est secundùm fidem Catholicam inter has tres voluntates nullam in Christo contrarietatem seu pugnam fuisse. Quod enim ad diuinam & rationalem in Christo voluntatem attinet, non modò nulla inter eas pugna fuit, sed altera alteri, id est, rationalis diuinæ, semper & per omnia fuit conformis: ita vt nihil vellet aut valle posset Christus voluntate rationali, quatenus rationali, id est, quatenus mouebatur ex iudicio & delibaratione rationis: nisi quod absolutè beneplacitum esset voluntati diuinæ. Quod verò ad sensualem voluntatem attinet, non erat quidem ea semper conformis voluntati rationali, & proinde nec voluntati diuinæ. Mouebatur enim suo proprio ac naturali motu, prosequens ea quæ sensibus commoda, & refugians ea quæ sensibus essent molesta: cùm diuina & rationalis voluntas sæpenumero in diuersa tenderet ac simpliciter diuersa vellet.

Neque tamen ob id contrariæ inter se erant hę voluntates in Christo, rationalis, inquã, & sensualis: quia sic vtraque ferebatur suo motu vt nec sensualitas motum rationalis voluntatis aliquo modo aut impediret aut retardarat, quemadmodũ accidit in alijs hominibus etiam iustis: nec contrà, voluntas rationalis motum sensualitatis impediret aut reprimerat, nisi quantum vellet imperio suo. Volebat enim Christus voluntate diuina & rationali, vt sensualitas in ipso secundùm ordinem naturæ suę moueretur, eidemque sensualitati nihilominus plenè & perfectè dominabatur: vt nec rationis motum quoquo modo turbaret, nec ipsa moueretur nisi quantum ratio permitteret. Nulla igitur in Christo pugna fuit inter appetitum inferiorem & superiorem cuiusmodi in nobis est ea viciata origina: qua fit, vt caro concupiscat aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, vt non quæcunque volumus, faciamus, Gal. 5. Qua item fit vt homo sit & sibi & Deo contrarius iuxta illud Iob: *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?*

Quod autem de sensuali voluntate dictum est, idem & de naturali voluntate dictum intelligatur. Est autem naturalis voluntas non re sed ratione diuersa à voluntate rationali, quatenus videlicet non per modum naturæ mouetur; velut dum naturaliter refugit ea quæ sunt naturę contraria & secundùm se mala, vt mortem, cruciatus, & huiusmodi.

Ad dictorum intelligentiam adhiberi potest similitudo de sphęra prima cęlesti & orbibus inferioribus, qui quamuis motu suo tendant in oppositum, non tamen primi mobilis motũ impediunt aut retardant, sed potiùs ipsorum motus temperantur motu primo. Qua similitudine ad simile propositum vtitur philosophus lib 3. de anima.

Certior autem eiusdem doctrinæ declaratio ex ipsa Christi oratione, qua instante passione patrem precatus est, accipitur. In ea enim & multiplex Christi voluntas continetur, & quòd nõ sit alia alij contraria ostenditur. Dum enim ait: *Transeat à me calix iste*, Et iterum; *Non sicut ego volo*, humanam expressit voluntatem, non rationalem, sed sensualem vel certè naturalem. Hæc enim vtraque mortem & passionem tanquam quiddam secundùm se malum ac naturæ contrarium & formidabile refugiebat. Addens autem: *Sed sicut tu vis*, diuinam monstrat voluntatem, quam habebat ipse cum patre communem. In ea verò tota sententia qua dicit: *Non sicut ego volo sed sicut tu*, vel vt alius habet euangelista: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*; continetur voluntas rationalis, diuinæ voluntati per omnia consentiens. Quamuis ergo sensualis voluntas naturaliter moueretur ad fugam passionis & mortis; quia tamen & in eo erat rationi perfectè subiecta, patet ibi nullam fuisse contrarietatẽ. Nam & ipsa ratio licèt non hoc vellet quòd volebat sensualitas: volebat tamen sensualitatem hoc velle. sicut Dominus licèt non agat ea quæ seruus, sed interdum cõtraria, volt tamen seruum illa agere. Quod dum fit excluditur voluntatis inter Dominum & seruum contrarietas, & statuitur consensus.

Porrò quod initio dicebamus hanc doctrinam ad fidem Catholicam pertinere, ostendũt hæc verba Agathonis papæ in epistola ad 6. synodum act. 6. Prædicamus in Christo duas voluntates nõ contrarias, iuxta quod impij asserunt hæretici, sed sequentem eius humanam voluntatem, & non resistentẽ, sed potiùs subiectam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati. Notandum autem totam Agathonis epistolã susceptã esse à dicta synodo actione 8.

Quæret aliquis quomodo dicat Lucas Christũ In agonia factum seu positũ prolixius orasse, si nulla fuit in eo voluntatum concertatio? Ad quod respõdere possumus; in Christo hactenus tantum agoniam fuisse, quia quod ratio volebat, sensualitas fugiebat: atque ita inter res volitas nempe mori & nõ mori, pati & non pati erat repugnantia, quæ tamen non sufficeret ad ipsarum voluntatum contrarietatem, vt ex supradictis clarum est. Rectiùs tamen respondeatur agoniam illum; id est certamen fuisse non inter voluntates ipsas, sed inter sensualitatẽ & mortem, quam natura velut malum & sibi contrariũ timendo refugit. Cuiusmodi pugna conspicitur etiã in pueris alijsque animalibus rationalem voluntatẽ vel saltem eius vsum non habentibus. Hæc autẽ pugna reuera aliud nõ est, quã timor mali imminẽtis; quemadmodum ex Damasceno probat S. Thomas 3. q. 18. ar. 6. ad 3.

§. 4. *Omnem Christi orationem exauditam esse.*

S.Tho. 3. par. q. 21. ar. 2. 3. & 4.

CHristus, cui secundùm humanam naturã conueniebat orare, in omni sua oratione à voluntate rationali procedẽte; id est ea qua absolutè aliquid petebat, exauditus est: tum quia illa voluntas per omnia erat conformis voluntati diuinæ: tũ quia petebat tam piè, sanctè & perseueranter, vt in omnibus dignus esset exaudiri. Vnde apostolus Heb. 5. dicit eum exauditum pro sua reuerentia, id est dignitate qua oportebat talem filium à patre quippiã petẽtem nunquã pati repulsam. Quòd autẽ semper exauditus sit à patre, primùm Martha testatur Ioan. 11. dicens ad eum: *Scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*: Deinde Dominus ipse confirmat ad patrem ita loquens: *Ego autem sciebam, quia semper me audis*. Et psalmista de eo Psal. 20 *Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorũ eius nõ fraudasti eũ*, vbi in Hebræo subiungitur sela. id est semper, quò fortè respexit Christus dicens patri, *semper me audis*. Et quamuis in alio psalmo dicat ad patrẽ: *Clamabo & non exaudies*, ibidem tamen cum gratiarum actione dicit, *quoniam non spreuit neque despexit deprecationẽ pauperis: Nec auertit faciem suam à me, & cùm clamarem ad eum exaudiuit me.*

Vnde

Vnde intelligi datur, non exauditam fuisse quidem illam eius orationem quæ exprimeret voluntatem sensualem seu naturale desiderium, quo mortem & passionem horrebat; exauditam tamen eam esse quæ procedebat à voluntate rationali & deliberata: quæ propriè & absolutè oratio vocatur. Quæ autem hæc fuerit, ex verbis orationis ante passionem ad patrem factæ cognosci potest. Quod enim ait: *Transeat à me calix iste*, vox erat infirmæ carnis, qua declarabatur desiderium vitæ & horror mortis. Dicens autem: *Non mea sed tua voluntas fiat*, simpliciter & secundùm iudicium rationis orabat erga se impleri æternum patris decretum. Quod cùm fuerit impletum tum in passione ipsius, tum in glorificatione facta per mortem & resurrectionem: patet rationalem Christi voluntatem, & ex ea profectam orationem impletam fuisse. Testatur id Apostolus Hebræor. 5. vbi de hac ipsa oratione loquens: *Qui*, inquit, *in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est*; exauditus est, inquam, non vt mortem non patiendo euaderet, sed vt mortem resurgendo vinceret. Hoc enim rationalis in Christo voluntas orabat, & ad hoc sensualis eius voluntas assurgere non poterat.

Quòd autem verba illa Christi ad patrem, *fiat volũtas tua*, non tantũ significent spontaneã submissionẽ voluntatis humanæ respectu voluntatis diuinæ, sed etiam contineant orationem petentis: vt patris voluntas impleretur, manifestũ est ex Matthæo vbi sic legitur: *Iterum secundò abijt & orauit dicens. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. In quibus verbis cùm orasse eum testetur euangelista, non alia tamen oratio inuenitur quàm illa, *fiat voluntas tua*. Neque obstat conditio adiuncta, *si non potest hic calix*, &c. Cùm enim conditionem illam sciret Christus propter æternum patris decretum subsistere atque immutabilem esse; nõ poterat ea reddere suspensam aut inabsolutã orantis voluntatem, sicut altera illa, cùm dicerat: *Si possibile est, transeat à me calix iste*. Quod Lucas ita exponit: *Si vis transfer calicem istum à me*. Quæ conditio cùm non substiterit (volebat enim pater filiũ mori pro salute humani generis) efficit quò minùs sententia cui annectitur, absolutam orantis voluntatem contineat. Absoluta ergo oratio Christi erat, vt fieret voluntas patris; non absoluta autem oratio imò nec oratio quidem propriè dicta, sed tantùm desiderij naturalis significatio, vt transiret ab eo calix. Illud etiam notandum quòd euangelista tantùm primo loco sic Christum dicat orasse; vt si fieri posset, calix ab eo auferretur, secundò autem & tertiò simpliciter petijsse vt voluntas patris impleretur.

Iam verò ex oratione Christi ad hunc modum exposita poterit vtcunque intelligi quod in textu mouet Magister nec planè dissoluit; quo sensu ab Ambrosio dictum sit lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 3. Christum in hac sua oratione cùm diceret; *si possibile est*: de potentia patris dubitasse humano affectu. Vult enim Magister hoc ratione dictũ esse, non quia ipse dubitauerit, sed quia modum gessit dubitantis, & hominibus dubitare videbatur. Rectiùs autem dicemus dubitationem Ambrosio esse non iudicium anceps rationis de veritate rei, sed indifferentiam quandam partis sensitiuæ ad sequendũ affectum naturæ inclinantem, vel rationem imperantem. Huiusmodi n. dubitatio citra absurditatẽ in Christo ponitur, tanquam significata illis verbis *si possibile est*. Vnde diximus ea rationis parte designari suspensam & inabsolutam orantis voluntatem.

Quod postremo loco ex Hilario proponit Magister & prorsus inexplicatum relinquit; nempe quo sensu ab eo dictum sit lib. 10. de trinit. Christum non sibi sed suis orasse potest hoc pacto explicari: Christum secundùm formam quidem orationis pro se orasse; id est, desiderium suum naturale patri proposuisse, quando dixit, *Transeat à me calix*. At secundùm intentionem orantis nõ orasse pro se: quia non voluit absolute ijs verbis aliquid pro se impetrare, sed orasse pro nobis, id est ad vtilitatem nostram, eamque triplicem; primò vt probaret se verã naturam humanam suscepisse cum omnibus affectibus naturalibus: secundò vt per hoc ostenderet homini aliquando licere, secundùm naturalem affectum velle aliquid quod Deus non vult: quomodo Petro dictum est: *Cùm senueris alius ducet te quò tu non vis*, nimirum secundùm affectum naturalem: Quibus verbis et significabatur qua morte glorificaturus esset Deum Ioan. vlt. Tertiò vt doceret hominem debere semper sensualem & proprium affectũ subiicere voluntati diuinæ, quemadmodum pulchrè exemplo Christi docet Augustinus in Psal. 32. con. 1.

Vna restat obiectio de Christi oratione, qua pro crucifixoribus suis patrem rogauit dicens: *Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*. Quos tamen non est verisimile omnes accepisse peccati sui veniam. Ad hanc obiectionem respondet Bonauentura in hanc distinctionem scribens, eam Christi orationem non profectam à voluntate rationali, sed ab ea quam vocat voluntatem pietatis; quam dicit in Christo non semper fuisse conformem voluntati diuinæ: atque huiusmodi petitionem magis ordinatam fuisse ad nostram instructionem, quam ad orationis impetrandum effectum. Cuiusmodi etiam voluntate dicit Christum omnium Iudæorum salutem desiderasse. Verùm magis conformis est scripturæ sacræ responsio S. Thomæ 3. q. 21. art. 4. dicentis: Christum non pro omnibus orasse crucifixoribus suis, sed pro his solùm qui erant prædestinati. Ita enim ipse Christus loquitur Ioan. 17. *Non pro mundo rogo sed pro his quos dedisti mihi de mundo*. Quòd autẽ ex illius peccati authoribus aliqui veniam sint adepti, patet Act. 2. vbi scriptura testátur eos oratione Petri compunctos pœnitẽtiam egisse & baptizatos in remissionem peccatorum. Vnde Augustinus tract. 31. in Ioan. de hac Christi precatione loquens: Videbat, inquit, quosdam suos inter multos alienos: Illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam. Suos autem, intelligit Augustinus prædestinatos, iuxta illud: *Nouit Dominus qui sunt eius*. 2. Timoth. 2. Hunc sensum confirmat quod Christus suæ crucis virtutem adhuc in cruce pendens ostendere voluit, non tantùm præsente conuersione latronis, cui paradisum promittebat, sed etiam certa spe conuersionis crucifigentium & illudentium ei, pro quibus orabat.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMOCTAVAM.

§. 1. Christus quando & quomodo meruerit.

S.Tho. 3. par. q. 19. CHristus quia non tantùm comprehensor sed & viator fuit ab initio conceptionis vsque ad mortem, vti dictum est ad distinctionem 16. hinc toto eo tempore & mereri potuit & reuera meruit. Ex quo enim in vtero virginis verbum caro factum est, meritum eius incepit, quod & in morte eius consummatum est, quemadmodum rectè in textu docet Magister, cui consentiunt omnes Scholastici.

Ad intelligendum antè quomodo & per quid meruerit, primò sciendum est: quòd sicut in Christo duplex fuit voluntas iuxta doctrinam superioris distinctionis: ita & fuit duplex operatio, iuxta definitionem 6. synodi; diuina scilicet & humana; diuina quidem increata, quæ à Dei essentia non est diuersa; humana verò creata à potentijs vel habitibus iisdem creatis procedens. Meruit ergo Christus non per diuinam operationem, secundùm quam meriti capax non fuit, nihilo magis quàm pater aut Spiritus sanctus, sed per humanam, quatenus nimirum adhuc in via constitutus eam exercebat. Verùm quia non tantùm actus, sed & habitus Deo grati sunt & laude ac præmio digni, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 30. lib. 2. videndum est vtro modo Christus ab initio meruerit: vtrùm tantùm per gratiam habitualem qua ab initio plenus fuit; an verò per actus liberi arbitrij ab habitu gratiæ procedentes.

Certè Magister solum habituale meritum Christo ab initio conceptionis tribuere videtur, cum dicit eum ex quo homo factus est, meruisse per charitatem, iustitiam & alias virtutes in quarum plenitudine fuit secundùm hominem conditus. Quod & repetens dicit eum à conceptione meruisse per gratiam virtutum, perque obedientiam & voluntatem perfectam: quippe qui obediens perfectè & bonus extiterit secundùm hominem ex quo fuit homo. Contrà verò meruisse Christum iam inde ab initio per actualem voluntatis vsum, communis est Scholasticorum doctrina: Quam & variè probant.

Primò, quia Christus ab initio conceptionis vir appellatur, iuxta illud Hierem. 31. *Mulier circundabit virum.* Et patres eum ab initio dicunt perfectū hominem fuisse, vt Augustinus libro 13. de trinit. cap. cap. 9. & 10. & Gregorius lib. 9 registri cap. 61. Vir autē fuit & homo perfectus, non ætate aut robore corporis, sed vigore & perfectione animi. Summa est autem vltima animi perfectio non in potentia vel habitu: sed in operatione ad quam potentia & habitus ordinantur. Fuit ergo in Christo ab initio operatio voluntatis & intellectus, in qua consistit vsus liberi arbitrij.

Item, sanctificatio Christi ab initio perfectissima fuit; vt quæ sanctificationis omnium aliorum

A causa esset. Cùm igitur sit perfectior sanctificatio secundùm actum quàm secundùm habitum; consequitur Christum in instanti conceptionis sanctificatum fuisse secundùm actum, nempe secundùm proptium motum liberi arbitrij.

Præterea Christus ab instanti conceptionis secundū animam beatus fuit actuali contemplatione diuinitatis. Sicut ergo ab initio anima eius per gloriam habuit actum gloriosum, ita per gratiam habuit actum virtuosum, & proinde meritorium. Est igitur tam authoritati quàm rationi consentaneū, quod docent Scholastici Christum meruisse ab initio non modò per habitum; in quo potiùs

B attenditur dignitas quàm ratio meriti ad præmium, vt alibi ostensum est: verùm etiam per actum liberi arbitrij, secundùm quem propriè quis mereri dicitur. Neque verò id negat Magister tametsi non apertè asserat. Significasse autem id videtur, cùm dicit Christum à conceptione sua meruisse per obedientiam & voluntatem perfectam. Aliquem enim obedientiæ actum eumque perfectè voluntarium ijs verbis videtur innuere: cuiusmodi etiam ipsa conceptio seu incarnatio, quæ vt præsens; & passio, quæ vt futura voluntati Christi perfectè placebat.

C Porrò cùm gratiæ tantam plenitudinem anima Christi ab initio acceperit, qua maior illi dari non potuit, & proinde nec charitas, nec vlla virtus alia, eo potuerit augeri, consequens est eum nec in merito proficere potuisse. Vnde illud Gregorij hom. 6. in Ezech. Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quo potuisset proficere. Ex quo rectè infert Magister, Christum non plus meruisse per crucis patibulum, quàm à conceptione meruit per gratiam virtutum. Quamuis enim profecerit quantum ad numerum meritorum; prout

D successu temporis opera alia alijs & quidem maiora accedebant, non tamen proficiebat quantum ad virtutem meriti. Æqualitas enim gratiæ æqualitatem meriti omnibus eius operibus conciliabat.

§. 2. *Quid sibi meruerit Christus.*

E FVerunt tempore Magistri, vt ex initio distinctionis apparet, qui dicerent Christum nihil sibi, sed membris tantùm suis, id est, nobis meruisse. Quorum errorem instaurauit hoc seculo Caluinus: Quoties, inquit, scriptura meminit mortis Christi, in nobis præmium statuit, nec de alio loquitur, quàm quod ad nos redit. 3.Tho. 3. q. 19. ar. 3. & q. 49. ar. 6.

Verùm contra istos ex authoritate scripturæ & consentiente patrum doctrina tenendum est; Christum etsi principaliter causa salutis humanæ incarnatus, passus & mortuus fuerit; ipse verò

F tantæ esset dignitatis cui omne bonum etiam sine merito deberetur: voluisse tamen etiam sibi quædam bona mereri; atque ita quæ vno modo ipsi debebantur etiam alio modo sibi debita facere. Ea autem bona sunt non quæ in ipsa incarnatione ei collata fuerunt, vt scientiæ & gratiæ plenitudo, & contemplatio deitatis. Nullum enim ante hæc meritum præcesserat, sed quæ ad bona postea accesserūt, tum ante mortem, tum potissimùm post mortem. Nam & eum honorem & laudem quam ei multi detulerunt adhuc in mortali corpore agēti

ipse virtute & benefactis suis merebatur. Sed maiora sunt quæ accepit post mortem; videlicet animę & corporis passibilitatem, itemque corporis immortalitatem & gloriam, suique nominis exaltationem ac diuinitatis manifestationem per vniuersum orbem, hisque alia similia, quemadmodum hæc testantur scripturæ: Luc. 24. *Oportuit Christũ pati & ita intrare in gloriam suam*. Phil. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum & donauit dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium & infernorũ. & omnis lingua confiteatur*, &c. Heb. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem, &c.* Idem sonant prophetarum oracula, vt Dauidis psal. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Et 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Et Isa. 49. Qui cùm ex persona Christi dixisset: *In vacuum laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi*, respondetur ei: *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*. Et cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, Et rursum: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur*.

De hac re expressa est Augustini sentẽtia tract. 104. in illud Ioan. cap. 17. *Pater clarifica filium tuũ* Vt Christus, inquit, resurrectione clarificaretur, priùs humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Similis est apud eundem locus lib. 2. contra Maximinum cap. 5. & lib. 3. cap. 2. Item author commentarij in Paulum apud Ambrosium, enarrans locum Phil. 2. inde ostendi dicit, quid & quantum mereatur humilitas. Et Hilarius lib. 9. de trin. Ob meritum obedientiæ dictum est; *Donauit illi nomen*, &c. Videre licet & alios in eundem apostoli locum commentatores, qui omnes tam Græci quàm Latini vno ore eum locutum intelligunt de causa meritoria; id est ea propter quam aliquid tanquam præmium seu merces rependitur: vt planè futilis sit Caluini interpretatio, qua sententiam apostoli eludere conatur, dicens dictionem, *propter quod*, non causam sed consequentiam denotare, qua significetur quippiam post aliud datum vel acceptum.

E

§. 4. *Quæ bona Christus nobis meruerit.*

[S. Tho 3. q. 19. a. 9 & q. 48 art. 1.] Porrò quid nobis Christus meruerit ex scriptura & doctrina Catholica manifestũ est. Meruit enim nobis omnia ea bona, quæ per eius gratiam nobis donantur; nempe primam boni cupiditatem seu primam gratiam, fidem, pœnitentiam, peccatorum remissionem, omne genus virtutum & bonorum operum, inque ijs perseuerantiam, beatam resurrectionem, & vitam æternam; & in vniuersum F omnia tam corporis quàm animi bona, quæ exspectamus in futuro seculo. Probant meritũ omnia ea scripturę loca quæ ostendunt omnia salutaria bona nobis à Christo prouenire. De qua re abunde dictum libro superiori, cùm de gratia Christi ageretur distinctione 26.

Vt autem intelligamus qua ratione merita Christi nobis prosint, notandum in Christo fuisse gratiam non tantùm, vt in homine singulari; sed vt in capite totius ecclesiæ, constituente cum suis

A membris mysticè vnam personam. Nam, vt ait Gregorius initio explanationis, 5. psalmi pœnitentialis, Christus cũ tota sua ecclesia siue quæ adhuc versatur in terris, siue quæ cum eo iam regnat in cœlis, vna persona est. Sicut ergo in humano corpore capitis actiones reliquis membris suo modo communicantur & prosunt; ita in corpore mystico meritum Christi capitis ad reliquos vt membra se extẽdit. Item sicut peccatum Adæ nõ tantùm personale fuit, sed carnali propagatione cõmune factum omnibus quotquot ex eo nascuntur; ita bonæ actiones Christi non personales tantùm fuerunt, sed spirituali
B generatione communicantur omnibus qui ex eo renascuntur. Quam analogiam exponit apostolus Rom. 5 dicens: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*, &c. Et post apostolum Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis capite 9. transposita comparatione in hunc modum. Sicut Christus in quo omnes viuificabuntur, præterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus prębuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: sic & Adam in quo omnes moriuntur, præterquam
C quòd eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiã tabe carnalis concupiscentiæ tabificat in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omnino nec aliunde apostolus dixit: *Per vnum hominem*, &c.

Est & hoc notandum quòd sicuti peccato Adæ toti sumus in deterius mutati, nimirum secundùm corpus & animam, vt est can. 1. Arausi. concilij: ita Christi merito toti reformamur in melius tam corpore quàm animo. Sicut enim animæ per gratiam renouatio: ita corporis ad gloriam resusci-
D tatio Christi meritis est solidè tribuenda. Omnia igitur bona ad æternam salutem pertinentia nobis proueniunt ex merito, non nostro sed Christi. Quod enim ad nos attinet, gratis iustificamur, & gratia Dei vita æterna, quemadmodum docet apostolus. Sed vt nobis hæc gratis darentur, Christus apud Deum sua passione meruit. Meruit autem non vt Deus, sed vt homo. Non enim mereri est proprietas operationis diuinę, sed humanæ; vt initio dicebamus. Et tamen hic meritorũ Christi thesaurus immensus & inexhaustus est, propter conditionem personæ operantis; id est filij Dei cu-
E ius est dignitas infinita, ita vt merita Christi sufficere possint non tantùm saluandis omnibus omnino hominibus ab initio mundi vsque ad finem, verùm etiam omnibus vbicunque & quandocunque viuentibus: si vel mundi essent infiniti, vel generationes hominum infinitè durarent. Sed de hac re infrà pleniùs cùm de Christi satisfactione agemus.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMNONAM.

§. 1. *Christum plenè satisfecisse pro peccato hominis.*

S.Tho. 3. par. q.48 a.1.& 2.

QVod ait Magister sub finem superioris distinctionis, Christum nobis meruisse per mortis ac passionis tolerantiam, quod per præcedentia non meruerat; scilicet aditum paradisi & redemptionem à peccato &c. non ita intelligendum quasi noui meriti Christus aliquid acquisiuerit temporis progressu, cùm suprà dictum sit, Christum in merito non profecisse: sed quod meritum illud primum seorsim ac per se ad humani generis redemptionem non fuerit à patre acceptatum, sicut nec à filio oblatum. Poterant quidem prima Christi merita citra passionem sufficere ad reparationem & redemptionem hominis, nisi secundùm suæ sapientiæ & iustitiæ leges plenissimam quoque exegisset Deus satisfactionem, & copiosam redemptionem; vt mors cuius reatum homo peccando incurrerat, morte expiaretur filij Dei. Nam etsi virtutum obsequijs & meritorum dignitate, possint æquari debita aliena, vel etiam superari, quemadmodum in Christo accidit; id tamen non nihil habet indulgentiæ quòd actor seu creditor in illam debiti commutationem consentire velit. Quocirca prioribus meritis etiam ignominiosæ mortis supplicium & acerbitatem ita exigente iustitia Dei adijcere voluit, quò sic diuinæ iusticiæ plenissimè satisfieret.

Quæ res vt intelligatur, sciendum satisfactionem non aliud esse, quàm debiti solutionem; quamquam satisfactionis nomē latiùs quandoque patet, vt etiam is satisfacere dicatur, qui vel se vel alium quacunque ratione debitis apud creditorem liberat. Exigit autem aliquando creditor quantum secundùm iusticiæ rigorem debitum est; aliquando autem contentus est accipere quantum satis est misericordiæ. Vbi quidem sola prior illa perfecta est & proprij nominis satisfactio; posterior verò non ex iusta rerum æstimatione, sed ex creditoris indulgētia inter satisfactiones cumputatur.

Porrò cùm varia sint debita, de eo solo hîc sermo est, quod nascitur ex delicto seu diuinæ legis transgressione & offensa vocatur. Cuiusmodi debitum est tum quod peccando contraxit, & in omnes generatione transfudit primus parens; tū quòd quisque peccando sibi ad illud adiecit. Quoniam igitur per peccatum factus est homo mortis æternæ debitor, exigebat iusticia Dei, vt vel homo in æternum periret, atque ipsemet pœnam suam luēdo pro se satisfaceret: aut potiùs satis pateretur vel aliquid æquiualens ab alio pro eo solueretur. Nam, vt ait Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. ad naturalem iusticiæ ordinem pertinet, vt aut peccata nō fiant, aut impunita esse non valeant: Et libro 3. de libero arbitrio cap. 15. fieri posse negat, vt sit in vniuerso dedecus culpæ sine decore vindictæ. Verùm si homo pro se satisfaceret nunquam liberaretur à morte æterna. Non enim aliter pro se satisfacere poterat, quàm ipsam quā meruerat æternā mortem

A sustinendo. Vt igitur & homo ab æterna morte liberaretur, & diuinę iusticiæ fieret satis; placuit diuinæ bonitati per mortem vnigeniti, filij Dei humanum genus à debito mortis æternę liberari.

Qua in re non tantùm sufficiens sed & superabundās est satisfactio pro peccatis humani generis: Christus enim filius Dei ex charitate & obedientia patiens mortem crucis, nō æquale tantùm sed quiddam longè maius exhibuit Deo, quàm exigeret recompensatio totius offensæ humani generis: tum propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur, tum propter dignitatem vitæ suæ quam in satis-

B factionem ponebat, quæ erat vita filij Dei. Quamuis igitur nec acerbitas pœnæ quam pertulit Christus; tanta fuit, quanta omnium damnatorum tormenta, nec æternitati pœnarum possit spacium temporis quo passus est Christus, vlla ratione comparari, vtrumque tamen horum abunde suppleuit personæ patientis dignitas: quæ vt suprà diximus, cùm esset infinita contulit inæstimabilem dignitatem & valorem operi eius, id est passioni. Sufficientiam satisfactionis Christi hæ indicant scripturæ Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* Isa. 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatē omniū nostrū.* 1. Pet. 2. *Qui peccata nostra ipse*

C *pertulit in corpore suo super lignum.* Superabundātiam verò indicat Ioannes 1. ep. 2. his verbis; *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, Et psalmista copiosam vocans Christi redemptionem.

§. 2. *Plenam fuisse redemptionem humanæ naturæ per Christum.*

S.Tho 3. q.48 ar. 4. & q. 49 ar. 1. 2.&c.

D PAssio Christi non tantùm habet rationem satisfactionis, sed & redemptionis; quemadmodum sæpe testatur scriptura, vt 1. Tim. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis.* 1 Cor. 6. *Empti estis precio magno.* & 7. *Qui liber vocatus est, seruus est Christi, precio empti estis.* 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* 1. Pet. 1 *Non corruptibilibus auro vel*

E *argento redempti estis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi.* Huc pertinent & illa in psalmis: *Redemptionem misit Dominus populo suo:* &, *Copiosa apud Deum redemptio*, & illud prophetæ, *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Est autem redimere quempiam captiuum aut seruum ab eo qui in potestate illum habet, precio liberare; aut rem quācunq; alienatam occupatamue, precio recipare.

Porrò triplicem sustinebat homo seruitutem, primam peccati, alteram diaboli, tertiam mortis ac miseriæ De prima scriptum est Rom. 6. *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iusticiæ* Et Ioan. 8. *Om-*

F *nis qui facit peccatum seruus est peccati.* Cuius rationem reddit apostolus Petrus 2. ep. 2. Cùm enim quosdam libertatem promittentes vocasset seruos corruptionis, id est, peccati, subiungit: *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Eadem ratione etiam in diaboli potestatem ac seruitutem redactus est homo, quia nimirum eius suggestioni peccando consentiens ab eo superatus est. Vnde 2. Tim. 2. quidam à diabolo captiui teneri dicuntur. Tertiam patiebatur homo seruitutem mortis ac miseriæ, cui iusto Dei iudicio subiectus erat propter

peccatum, iuxta illam factam sibi comminationem: A
In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris. Mortis nomine & reliquæ miseriæ cõprehendũtur. Miseriã autẽ intellige tam æternam, quàm tẽporalem. Vnde apost. Rom. 5. *Vnius delicto mors regnauit per vnũ.* & 6 *Stipendia peccati mors*; & c. 8. eã corruptionis seruitutem vocat, eiq; dicit propter hominis peccatum omnem creaturam subiectam ingemiscere & Heb. 2. de hac seruitute sic ait: *Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, id est, *diabolum*; *& liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.*

Ab hac ergo triplici seruitute redemit homi- B
nem Christus sua passione. Ea enim cùm fuerit sufficiens & superabundans satisfactio pro offensa generis humani, vt suprà ostendimus; cõsequenter precij quoque rationem habuit, qua liberaretur homo ab obligatione qua sub triplici seruitutis genere tenebatur.

Satisfactio enim cuiuslibet pro se vel pro alio precium quoddam est, quo se vel alium redimit ab eo cui quacunque ratione obstrictus erat: vsque adeo vt & homo seipsum à peccatis redimere dicatur voluntaria pro ijs satisfactione, iuxta illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.*

Precium autem seu λύτρον à Christo persolu- C
tum modò passio vocatur, nimirum ipsum satisfactionis opus quo redemptus est homo, Vnde Augustinus Epistola 171. Passio Domini precium est orbis terrarum. Modò sanguis Christi, vt 1. Pet. 1. Quod & significat forma consecrationis calicis. Modò anima, id est, vita Christi, vt Matth. 20. Ioan. 15. & 1. Ioan. 3. Modò ipse Christus, velut quoties vel Christus seipsum, vel pater filium dedisse dicitur pro redemptione humani generis, vt 1. Tim. 2. Ioan. 3. & Rom. 8. Quæ tamen omnia in idem recidunt. Quia enim Christus patri satis- D
fecit per mortem suam, hinc & seipsum & animam, id est vitam suam & sanguinẽ cuius effusione mortuus est, dedisse dicitur in precium redemptionis humanæ.

Dicet aliquis nulla opus fuisse redemptione, tum quia nunquam ne peccando quidem subtrahi potuit homo potestati Dei; tum quia diabolus hominem fraude seduxerat; ideoque iniustè possidebat: à quo proinde non precio redimendus, sed vi eripiendus erat. Ad quod respondendum hominem peccando non quidem subtractum esse E
potestati Dei, sed tamen incurrisse seruitutem quãdam qua desineret esse seruus Dei quantum ad subiectionem volũtatis. A qua seruitute eum redimi oportuit; vt liberatus à peccato & diabolo, seruus iusticiæ & seruus Dei fieret. Et quãuis diabolus quantũ in ipso erat, iniustè hominẽ, vtpote fraude deceptum sub seruitute teneret; iustum tamen erat hominem qui volens diabolo consenserat, eam seruitutem pati, Deo id permittente quantum ad culpam: & ordinante quantum ad pœnam, vt ait S. Thomas 3. q. 48. art. 4. Vnde & precium non dia- F
bolo, qui in hac causa velut tortor est, sed Deo vt actori & iusto iudici persoluendum fuit.

§. 3. *An redemptio Christi ad omnes homines pertineat.*

QVædam scripturæ loca Christi redemptionem ad omnes omnino homines extendere viden- S. Thom. vbi supr.
tur, vt 2. Cor. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est Christus* & 1. Tim. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, & manifestiùs, 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Sic & Augustinus in psal. 129. Sanguis innocens fusus deleuit omnia peccata nocentium, precium datum redemit omnes captiuos. Aliæ verò scripturæ non pro omnibus, sed pro multis etiam cum exclusione aliorum Christum mortuum asserunt, vt Matth. 26. & Mar. 14. & canon missæ in verbis consecrationis calicis testatur; sanguinem Christi fusum pro multis, & Matth. 20. filius hominis venisse dicitur daturus animam suam in redemptionem pro multis. & Heb 9. *semel oblatus est ad multorum exhauriienda peccata.* Item Ioan. 12. dicitur Iesus moriturus vt filios Dei dispersus congregaret in vnum; filios Dei solos intelligens electos, qui & ouium nomine significantur: pro quibus dicit Christus se ponere animam suam. Quod autem alios à redemptione excludat inde manifestum; quia eos excludit ab oratione sua Ioan. 17. dicens ad patrem: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi quia tui sunt.* Al æ deniq; scripturæ vtrumque nobis indicant vt Isa. 53. & Rom. 5. vbi modò omnes, modò plurimi, modò multi nominantur per Christum redimendi.

Hanc apparentẽ repugnantiam tollit breuis distinctio, qua dicendum est Christum omnes redimisse sufficienter, non omnes efficienter. Omnes si precij valorem & magnitudinem spectes, non omnes si respicias ad effectum redemptionis. Vnde Prosper ad 1. obiecti. Vinc. respondens huic articulo: Quòd Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus sic ait: Contra vulnus originalis peccati verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei. Quod ergo ad magnitudinem & potentiã precij & quod ad vnã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam rectè omnes dicantur redempti; & tamen non omnes à captiuitate sint eruti: redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras; & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Et paulò pòst: Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit; sed si non bibitur non medetur. Hæc ille, quibus scribit similia ad capitula Gallorum resp. 9. & sententia 9. Tale est & illud Chrysostomi hom. 16. in ep. ad Heb. Pro omnibus, inquit, mortuus est Christus nimirum quantum in ipso est. Sufficiebat enim mors illius ad medendum omnium mortalium perditioni. Non autem omnium peccata abstulit, propterea quòd noluerunt Sic ille. Quod ipsum tamen ne quis erret, sano sensu est accipiendum.

A

§. 4. Satisfactioni & redemptioni Christi non derogare nostras satisfactiones.

S. Thom. ubi supr. & sup. q. 12. & seq.

QVamuis plenissima fuerit satisfactio & redemptio Christi, non tamen quicquam ei derogatur per nostra opera; quibus & satisfacere pro peccatis nostris & peccata nostra, recte scriptura ipsi redimere dicimur. Quin potiùs illa per hæc plurimum illustratur. Non enim ita pro nobis passus est Christus, vt nos ociosi & nihil agentes salutem per eius passionem consequeremur: sed vt et compatiendo & pro peccatis nostris ipsi quoque iuxta modulum infirmitatis nostræ satisfaciendo, Christo conformes efficeremur, certissimam inde arrham habentes; *quòd si compatimur & conglorificabimur*, Roman. 8. Vnde Leo serm. 9 de quadragesima dicit, à sanctis Apostolis in diebus passionem Christi præcedentibus maiora ordinata esse ieiunia; vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus sicut apostolus ait: *Si compatimur & conglorificabimur*; & addit, *Certa atque secura est, expectatio promissæ beatitudinis; vbi est participatio dominicæ passionis*, & Ambrosius lib. 5. in Luc. 6. Quid enim te pro salute tua agere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat, &c.

Neque verò hæc nostra cooperatio talis est, quæ adminiculum præbet operi Christi: quasi vt deliret non aliter sufficiat eius passio ad omnimodam nostram redemptionem. Nam & apostolus 1. Cor. 3. Dei cooperatorem se vocat propter ministerium prædicationis; qua tamen nullum Deo tanquam infirmo & insufficienti præbebat adminiculum. Sed cooperatio hæc nostra ita Christi operationi coniungitur; vt illa quidem per se sufficere queat: hæc autem ab illa necessariò dependeat & non nisi per illam valeat. Vnde Tridentini concilij patres sess. 14. cap. 8 Neque verò, inquiunt, ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus; vt non sit per Christum Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis nostra gloriatio in Christo est: in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus; facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Hæc ibi. Duplici ergo nomine non tantùm non obscuratur, sed & illustratur per nostras satisfactiones satisfactio Christi: quia opera nostra & quòd bona sunt Deoque grata, & quòd satisfaciendi vim habeant, non aliunde quàm ex merito passionis & satisfactionis Christi accipiunt. Quæ res sine dubio commendat gloriam passionis Christi vt quæ non tantùm valeat ad delenda nostra peccata, sed & in nobis eas actiones operetur, per quas ipsi peccata nostra redimere, proque ijs satisfacere possumus.

Denique tantum abest, vt nostram satisfactionem excludat plenitudo satisfactionis Christi; vt dicere non dubitaret Cyprianus lib 4. ep. 4. Si pro nobis ac pro delictis nostris Christus laborat & vigilat & precatur; quantò nos magis insistere precibus, & orare, & primò ipsum rogare: tum deinde per ipsum Deo patri satisfacere debemus? Hæc ille. Sed plenior huius rei explicatio ad controuersiam de sacramento pœnitentiæ pertinet.

§. 5. Christi passionem habere rationem sacrificij.

S. Thom. 3 par. q. 48. ar. 3.

DE Christi passione ac morte tanquam de sacrificio, quo pro reconciliatione humani generis Deo patri seipsum Christus obtulit, frequenter & palam loquuntur scripturæ tam veteris quàm noui testamenti: vt Isa. 53. *Oblatus est quia ipse voluit*

B Eph. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* & 2. Cor. 5. *Dum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; id est, hostiam pro peccato, vt multi exponunt. Et tota ferè epistola ad Hebræos de Christi sacrificio in cruce oblato disserit.

Est autem sacrificium generaliter quidem omne opus quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo; relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus. Tale verò est omne opus quo Deo placetur & seruitur: quem-

C admodum docet & explicat Augustinus lib. 10. de ciuit. cap. 6. Propriè verò & specialiter oblatio rei externa in agnitionem diuinæ maiestatis summique dominij; certo ritu cum ipsius rei immutatione facta. Quanquam non tantùm offerentis actio, sed & res ipsa quæ tali modo offertur, sacrificium dicitur Cùm igitur ad eum modum Christus semetipsum obtulerit patri in cruce, patet passionem mortis Christi, quatenus eam ad Dei honorem voluntariè sustinuit simul & operatus est, habere veram & propriam rationem sacrificij; ipsumque Christum quatenus ita oblatus est, fuisse verum sacrifi-

D cium, idque Deo acceptissimum propter ineffabilem charitatem, qua seipsum tradidit in mortem, ad reconciliandum patri genus humanum. Vnde apostolus Rom. 6. dicit nos Deo reconciliatos per mortem filij eius. Tantum enim bonum fuit voluntaria Christi passio; vt propter illud bonum in natura humana inuentum, Deus placatus sit super offensa generis humani.

Huius porrò sacrificij, quemadmodum eiusdem lib. cap. 20 scribit Augustinus, multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum; cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquam

E multis verbis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur.

Cùm autem in omni sacrificio quatuor considerentur, vt ait Augustinus lib 4. de trinit. cap. 14 nempe cui, à quo, quid & pro quibus offeratur, hæc omnia in vno Christo inueniuntur. Christus enim vnũ cum illo manet cui offerebat, vnum in se fecit eos pro quibus offerebat vnus ipse erat qui offerebat & quod offerebat. Non ergo in hac oblatione tantummodo idem est & sacerdos & sacrificium, sed & idem cui facta est oblatio, & pro quo facta est: quia caput pro membris cum quibus vnum corpus constituit, seipsum obtulit.

F Iam verò ex dictis accipi facile potest solutio eius obiectionis, quam tempore Bernardi contra mysterium hoc redemptionis humanæ mouebat hæreticus quidam Petrus Abaelardus; dicens absurdum esse vt credatur Deus pater placatus & reconciliatus generi humano per mortem filij sui: cum tam ingenti maleficio ac sacrilegio, quo filius Dei occidebatur, debuerit magis prouocari ad iram, iuxta illud Ecclesiastici 34 *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Dicendum est enim placatum esse Deum

patrem

A patrem morte filij sui; non quatenus iniustè à Iudæis Christo fuit illata; cùm hac ratione haud dubiè iram diuinam grauiter prouocarit: sed quatenus à Christo voluntariè, obedienter & ex charitate tolerata est. Quæ Christi patientis charitas maior fuit ac multò magis placuit Deo, quàm displicuit iniquitas occidentium. Ideoque passio Christi magis valuit ad reconciliandum Deo totum genus humanum, quàm facinus Iudæorum ad prouocandam eius iram. In hunc sensum latè & doctè respondet Bernardus ep. 190. scripta ad Innocentium papam contra errorem Petri Abailard. Item S. Thomas 3. q. 48. ar. 3. ad 1.

B Plura de sacrificio videre licet apud Augustinum lib. 10. de ciuit. cap. 4. 5. & 6. 19 & 20. & lib. 4. de trinit. c. 13. & 14. Quomodo autem huic vnico & singulari, vt Augustinus vocat & per se ad reconciliandum hominem sufficientissimo sacrificio crucis Christi, rectè subiungatur quotidianum missæ sacrificium, propriam ea res tractationem requirit, quæ non est huius loci. Id dicetur ad distinctionem 12. lib. 4.

C §. 6. *Christus quomodo solus redemptor & mediator noster.*

S.Tho.3. pa.q.48. ar.5.

REdemptoris nomen ita Christo proprium esse docet Magister, vt tamen quodam sensu etiam patri & spirituisancto tribuatur. Vnde in psalmis toti trinitati cantatur: *Redemisti me domine Deus veritatis.* Et in cantico Zachariæ: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* & psal. 129. *Ipse redimet Israel ex omnibus, &c.* & Isa. 63. *Tu Domine pater noster, redemptor noster.* D Sed hoc, inquit, Magister propter vsum potestatis, non propter exhibitionem humilitatis & obedientiæ: quo modo solus Christus redemptor noster est. Non enim pater aut spiritussanctus, sed Christus patiendo persoluit precium redemptionis nostræ. Hic enim passio requiritur in redimente, quatenus hæc redẽptio simul est satisfactio pœnalis; eò quòd fit pro culpa.

Cæterùm nomen mediatoris simpliciter soli Christo tribuitur, non patri neque Spirituisancto. *Vnus enim mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, E ait apostolus 1. Timoth. 2. Mediatorem vocans qui quasi in medio arbiter est constitutus ad pacem componendam; id est, ad reconciliandum hominem Deo, quemadmodum explicat Augustinus scribens in Psal. 103. conc. 4. & tract. 110. in Ioan. 1. Mediator enim vnius nõ est teste apostolo Gal. 3. sed semper inter duos medius intelligitur, vt nomen ipsum sonat. Quia ergo Christus per proprium sanguinẽ, id est propria virtute ac merito nos Deo recõciliauit; quod neque alia fecit in trinitate persona, neque alius homo facere potuit: hinc omnino asserendum est Christum solum esse primarium nostræ salutis F mediatorem. Quamuis enim sancti pro nobis apud Deum suis orationibus & meritis intercedentes, tactè quoque & ipsi mediatores aliquo sensu vocentur; quomodo eos subinde patres appellãt, quomodo & Moyses Deuterom. 5. se sequestrum & & medium fuisse dicit inter Dominum & filios Israel: longè tamen alia atque inferiori ratione hoc eis nomen tribuitur. Christus enim per seipsum patri placet, nulli alteri mediatori innixus. At nemo sanctorum alius, siue in hoc sæculo siue in futuro, placere patri potest nisi per Christum. Et pro Christo quidem nemo: Christus autem pro omnibus interpellat. Vnde meritò solus ipse plena & perfecta ratione mediator agnoscitur inter Deum & homines. Hoc sensu beatus Augustinus, lib. 2. cõtra epist. Parm. cap. 8. reprehendit Parmenianum, quòd episcopum poneret mediatorẽ inter populum & Deũ. Quis, inquit, hoc ferat bonorum atque fidelium Christianorum? Omnes enim Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus; hic vnus verusque mediator est: cuius typus quoniam præfigurabatur in sacerdote veteris testamenti, nullus B illic inuenitur orasse pro sacerdote. Et paulò pòst: Nec Paulus mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat vt pro se orent inuicem omnia membra corporis Christi: quoniam pro inuicem sollicita sunt membra. Et iterum. Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius; ac sic multi mediatores essent. Nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat: *Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Similis est locus conc. 2. in psal. 36. & lib. 9. de ciuitate c. 15. Remouet ergo Augustinus ab episcopis & alijs quibuscunq; hominibus proprium vnici illius mediatoris officium; quod est ita inter Deum & huma- C num genus intercedere & mediare, vt per semetipsum pro peccatis eius Deum placet, ac legis obseruationem iusticiamque illi promereatur.

Cæterùm si mediatorẽ generaliter intelligas eum, qui caussam alicuius quocunq; modo apud quempiam agit, vt eum illi reconciliet, vel ab illo aliquid ei impetret seu oratione seu merito: nihil prohibet hoc pacto hominum apud Deum plures mediatores ac intercessores dici, non modò in cælis sed in terris agentes. Hoc enim nomine sanctos pro nobis orantes, appellare non dubitarunt veteres, Grego- D rius Naz. in apologetico, & in epistula ad Simplicianum, Hieronymus in 2. Mach. Chrysostomus hom. 5. de verbis Isa. & lib. 6. de sacerdotio, Cyrillus lib. 12. thesau. cap. 10. Gregorius papa l. 1. epist. 24. & Bernardus serm vlt. de assumptione B. Mariæ. Ipse verò Augustinus de cura pro mortuis c. 4. & vlt. sanctos martyres vocat patronos nostros, & ser. 99. de diuersis, Stephanũ dicit factum apud Deum pro inimicis aduocatum. Sed huius rei plenior tractatio alterius est loci.

Hic si quæratur, vtrùm sancti sicut mediatores E ita & redemptores dici possint? negatiuè respondendum; tum quia patres non ita locutos legimus; tum quia nec ratio erat sic loquendi. Quamuis enim eorum afflictiones nobis applicatæ valeant ad mitigandas vel tollendas pœnas temporales peccatis nostris debitas; non tamen ad auferenda ipsa peccata, vel ad soluendum pœnam æternam: quorum vtrumque fit tantummodo per mortem Christi; & proinde non simpliciter hominem redimunt; sed præsupposita redemptione per Christum facta; soluũt eum à pœna restante: sicut & homo seipsum soluere ac redimere dicitur secundùm scripturam. F Qui tamen modus nequaquam sufficit, vt quis vel suus vel alterius redemptor absoluiè dici possit, quia pœna temporalis pro qua precium soluitur est aliquid perexiguum, & quasi nihil comparatione totius seruitutis cui homo obnoxius est, & à qua precio sanguinis Christi liberatur. Hinc Augustinus tract. 84. in Ioan. Etsi, inquit, fratres pro fratribus moriamur; tamẽ in fraternorũ peccatorũ remissionẽ nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis. Neq; in hoc quid imitaremur, sed quid gratularemur contulit nobis. Imitari quis morien-

tem potuit, nemo autem potuit redimentem. Et Leo serm. 12. de passione Domini. Quamuis in conspectu Domini, multorũ sanctorum pretiosa mors fuerit; nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cùm inter filios hominum solus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, &c. Quam sententiam totidem verbis repetit epistola 83. cap. 2. nisi quòd hoc postremo loco propitiationis vocabulum mutat in redemptionem. A

B

§. 7. *Christus secundùm quam naturam sit mediator.*

Thom. 1 supr. SIcut redemptor ita & mediator noster Christus est secundùm naturam humanam non secundùm diuinam; quemadmodum rectè in textu docet Magister, & ex ijs quæ proximo capite diximus satis intelligitur. Ratio autem manifesta est; quia Christus in quantum Deus, patri æqualis est: quare hac ratione non mediator est, sed extremorum alterum. Non minus enim Deo filio, quàm Deo patri: imò toti trinitati oportuit hominem reconciliari. Medius ergo est inter Deum & hominem Christus secundùm naturam assumptam: in qua Deo quidem inferior quatenus homo, homine autem superior fuit, quatenus expers peccati ea fecit & passus est, per quæ posset humanum genus peccato obnoxium Deo reconciliare. C

Vnde Augustinus lib. de peccato originali cap. 28. ait: Per hoc prodest Christus quod est mediator ad vitam. Non autem per hoc mediator est, quod æqualis est patri. Per hoc enim quantum patet, tantum & ipse distat à nobis. Et quomodo erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est? Ideo apostolus non ait: *Vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus*, sed *homo Christus Iesus*. Per hoc ergo mediator per quod homo: inferior patre per quod nobis propinquior; superior nobis per quod patri propinquior. Quod apertiùs ita dicitur. Inferior patre, quia in forma serui, superior nobis quia sine labe peccati. & lib. 10. conf. c. 41. Mediator inter Deũ & homines oportebat vt haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus: ne in vtroq; hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroq; Deo similis, longè esset ab hominibus; atque ita mediator nõ esset. Et ca. proximo: Mediator ille Dei & hominum homo Christus Iesus, inter mortales peccatores & immortalem iustum apparuit: mortalis cum hominibus iustus, cum Deo. Et infrà. In quantum enim homo, in tantum mediator; in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo. Similia sunt loca lib. 9 de ciuit. c. 15. lib. 1. de consensu euang. ea. vlt & in expositione epistolæ ad Gal. cap. 3. Vrget autem August. duo scripturæ loca 1. Tim. 2. & Gal. 3 Quorum prior nominat Christo homini tribuit esse mediatorem: posterior autem asserens mediatorem vnius non esse, Deum autem vnum esse; intelligendum relinquit, Christum non posse esse mediatorem quatenus Deus est; sicut nec esse posset si esset homo peccator: cùm mediator quæratur inter Deum & hominem peccatorem. D E F

IN DISTINCTIONEM VICESIMAM.

§. 1. *An aliter quàm morte Christi liberari potuerit genus humanum?*

QVæri solet vtrùm passio & mors, vel ipsa etiam incarnatio filij Dei fuerit ita necessaria ad liberandum humanum genus à captiuitate peccati & mortis; vt alio modo liberari non potuerit? Ad quod absoluta responsio est etiam aliũ modum reparationis humanæ fuisse Deo possibilem. Cuius certissima ratio est Dei omnipotentia; quæ cùm sit infinita ad hunc vnum modum liberationis non est limitata, sed alijs infinitis modis id efficere potuit. Qua de re disserens Augustinus lib. de agone Christiano cap. 11. Sunt, inquit, stulti qui dicunt; non poterat sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem & nasceretur ex fœmina & à peccatoribus tanta pateretur? Quibus dicimus; poterat omnino, sed si aliter faceret, stultitiæ vestræ similiter displiceret. Idem lib. 13. de trinit. cap. 10. Eos, inquit, qui dicunt, Itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines à miseria mortalitatis huius; vt vnigenitum filium hominem fieri vellet, mortalemque factum mortem perpeti? Parum est sic refellere, vt istum modum asseramus bonum & diuinæ congruum dignitati; verùm etiam vt ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent. Quod & prosequitur cap. 13. & 14. In eandem sententiam scribit Leo serm. 2. de natiuitate Domini dicens, Misericordiam Dei eùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegisse: qua ad destruendum opus diaboli non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ. Et serm. 14. de passione Domini: Omnipotentia, inquit, filij Dei quæ per eandem essentiam æqualis est patri, potuisset humanum genus à potestate diaboli solo imperio suæ voluntatis eruere. Apertæ quoque de hac re sententiæ sunt Gregorij lib. 20. moral. cap. 26. & Cyrilli lib. 8. contra Iul. sub finem. Denique Bernardus epistola 190. respondens ad impias obiectiones Petri Abailardi: Ratio, inquit, huius facti fuit dignatio facientis. Quis enim negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, iustificationis, liberationis? Verùm hoc non præiudicat huius, quem è multis elegit, efficaciæ. Hæc ille. 1. Thom. 3 par. q. 46. ar. 1

Quòd autem & scriptura & patres interdum docent, hominem aliter quàm per Christi mortem salutem consequi nõ posse; id veritatem habet præsupposita æterna Dei ordinatione & decreto, quo constituit vnicum hunc modum salutis & liberationis humani generis; videlicet per mortem filij sui. Hinc ait Petrus in Actis, non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Sic Augustinus tract. 37. in Ioan. Si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Et Gregorius lib. 3. moral. cap. 11. Si Christus inde

vitam

A bitam mortem non suspiceret, nunquam nos à debita morte liberaret. Et in psal. 4. procemio. Nullus hominum in cælum ascenderet, nisi filius Dei pro salute nostra carnem sumpsisset. Et glossa Hebr. 2. Nisi Christus moreretur; homo non redimeretur. Denique ita intelligendum quod ait Leo serm. 8. de quadragesima. Non aliter in humana natura sanari poterant originalis vulnera vetustatis; nisi de vtero virginis carnem sibi assumente Dei verbo in vna eademque persona simul & caro nasceretur & verbum, & serm. 14. de passione Domini: nemo posset laqueis mortalitatis absolui, nisi ille in quo solo innocens erat natura omnium sineret se interfici manibus impiorum.

B

§. 2. *Quare per Christi mortem Deus voluerit reparari genus humanum.*

S. Tho. 3. par. q. 1. art. 2. & q. 46. ar. 3. & seq.

PRoxima quæstio est cùm aliter quàm per incarnationem & mortem filij Dei & quidem solo nutu diuinæ voluntatis potuerit reparari genus humanum, quare Deus potissimùm hunc reparationis modum elegerit? Ad quam respondetur quamuis rationes operum diuinorum ad plenum à nobis C peruestigari nequeant; attamen huius diuini cosilij multiplicem ex scripturis & patribus rationem adferri posse; vt meritò dictum sit ab Augustino lib. 13. de trinit. cap. 10. sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum non fuisse.

Primò, vt fides hominis confirmaretur per hoc, quod ipse Dei filius in assumpta carne veritatem nobis annunciarat, ipso dicente Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Vnde Augustinus lib. 11. de ciuit. D cap. 2. ait: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas, Dei filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem.

Secundò, vt per hoc spes & fiducia hominis in Deum erigeretur. Nam, vt idem Augustinus ait lib. 13. de trinit. cap. 10. Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium ab immortalitatis desperatione liberandas; quam vt demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantùmque diligeret, &c. Hanc fiduciam clarè exprimunt illa apostoli verba, Rom. 8. E *Qui proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.*

Tertiò vt per illud ineffabile beneficium amoris Dei erga hominem vicissim excitaretur amor hominis in Deum. Ostendunt hoc sequētia apostoli verba: *Quis nos separabit à charitate Dei.* & infrà: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos;* id est, interprete commentario Ambrosiano; in tantis malis infractu animo perduramus amore Christi, qui nobis tanta bona impendit. Vnde & 1. Ioan. 4. *Nos diligamus Deum quoniam Deus prior di-* F *lexit nos.* Et rursum: *Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Vtitur hoc argumento ad excitandam dilectionem Augustinus lib. de catechisandis rudibus lib. 4.

Quartò vt in homine Christo exhiberetur homini visibilis forma vitæ agendæ, iuxta illud 1. Per. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Quam rationem vrget Augustinus in serm. quodam de natiuitate Domini, & Damascenus lib. 4. cap. 4.

Postremò vt alias rationes omittamus, quæ generaliter ad totū incarnationis mysterium accommodantur vna hæc & præcipua est ratio, quare Deus per mortem filij sui voluerit liberare genus humanum, vt nimirum hoc modo satisfieret iusticiæ Dei, id est, vt per satisfactionem eamque perfectam & plenam repararetur offensa hominis in Deum. Vnde in hoc opere redemptionis humanæ per mortem filij Dei mirabiliter iuxta psalmistā obuiauerunt sibi misericordia & veritas Dei; misericordia quidem, quia quantum ad hominem attinet, nihil habuit quod pro sua redemptione impenderet. Vnde hac consideratione, planè gratuita est hominis liberatio testante propheta: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* & apostolus: *Non ex operibus iusticiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Veritas autem, id est, iusticia; quia ne peccatum hominis inultum remaneret, Deus filium suum hominem factum in mortem tradidit, per quam tāquam plenissimam satisfactionem nos redemit sibique reconciliauit. Qua de re doctè disserit Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 13. & 14. ex quo loco sūpta sunt quæ de hoc argumēto leguntur apud Magistrum. Item Leo serm. 1. & 2. de natiuitate Domini, & in aliquot sermonibus de passione Domini. Damascenus lib. 4. cap. 4. & Bernardus epistola 190.

§. 3. *An purus homo; vel angelus potuerit redimere genus humanum?*

S. Thom. vbi supr.

ETsi liberari ac reparari multis modis potuerit genus humanum, vt suprà probatum est, redimi tamen, id est, iusti precij persolutione seu condigna satisfactione liberari aliter non potuit, quàm per eum qui non tantùm homo, sed etiam Deus esset. Idque significatum est illis Augustini verbis quibus ait lib. 13. de trinit. cap. 10. Licet Deo non defuerit alius modus possibilis, quo nos liberaret, sanandæ tamen miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum non fuisse, nec esse oportuisse. Cuius ratio est: quia magis congruabat iusticia quàm potentia liberari hominem è potestate diaboli; quemadmodum superiori capite ex eodem Augustino & aliunde ostendimus. Postulabat autem iusticia certum liberationis modum, id est, redemptionem: qua nimirum iusto precio persoluto reciperetur is, qui sub aliena potestate captiuus tenebatur. Atqui iustum precium persoluere pro totius humani generis redemptione non potuit vel homo vel angelus, qui tantum creatura esset. Nam quod ad hominem attinet, cùm per vnum in omnes lege propagationis intrasset peccatum & per peccatum mors; & proinde essent omnes homines natura serui peccati & filij iræ: fieri non potuit vt ex humano genere quisquam offerret aliquid Deo gratum; quo vel suam redimeret seruitutem: multoque minùs tale quippiam, quo exactè satisfaceret iusticiæ Dei pro redemptione totius generis. Deinde vt fingamus purum aliquem hominem peccati expertem, & omni virtutum genere ornatum à Deo conditum extra massam perditionis existere: non tamē tantæ dignitatis apud Deum esse posset: vt passio eius fieret iustum & condignum precium ad satisfaciendum pro omnibus peccatis totius mūdi: quemadmodum docet S. Thomas 3. q. 1. art. 2. & q. 46. art. 1. & post eum alij plærique. Estque idem iudicium de angelo. Quamuis igitur si absolutè loqui volumus, per angelum vel hominem purū potuisset

recooeiliate sibi Deus humanum genus:non tamen illius seu angeli seu hominis fuisset cōdigoa satisfactio: quæ nimirum exigit, vt æquale, vel amplius reddatur ei qui læsus est, quàm fuerat offensa peccantis.

His accedit quod quantumcumque Deo precium offerre posset purus homo, vel angelus: totum id non à seipso sed à Deo acciperet, à quo est omoe bonum creatoræ. Vnde non tam iusticiæ satis facientis, quàm liberalitati ac misericordiæ donantis id per quod satisfieri posset, niteretus eiusmodi sedemptio: & proinde non fieret secuodùm rigorem iusticię At Christus cùm esset non tantùm homo, sed & Deus·primùm quidem à seipso habuit totum illud vnde Deo pro offense hnmani generis satisfacete posset: Deinde & tale preciū offerte potuit, quod esset valoris infiniti. Quoniem enim eius passio, mors & aliæ actiones fuerunt diuinæ personæ actiones in bumana natura, tantum valuerunt quātum persona ageus. Vnde idem intelligitur dum precium mundi nunc passio Christi, nunc sanguis eius, nunc ipse Christus dicitur, qui est filius Dei. Et sicut pater nihil habet cerius filio; ita nibil maius æstimat precio & redemptione per filij sui sengninem facta. Vnde consequitur Christum exactè setisfecisse secundùm rigorem iusticiæ: ite vt ipse ad hoc non indigeret vlla gratia prærogante, sicut egeret homo, qui nibil offerte potest quod non habeat à Deo. Licèt autem propter hanc ipsam personæ dignitatem etiam minima quælibet passio filij Dei sufficere potuisset pro iusto precio redemptionis mundi (neqne enim tam quid & quaotum pateretur, qnàm quis & quante charitate pateretur, spectabat pater) voluit tamen Christus per passionem & mortem crucis copiosam nobis exhibere redemptiooem: vt nos tanto amoris beneficio deuinctos vicissim ad maiorem sui amorem teaccenderet. Oportuit autem eum, per quem redemptio fieret, etiam hominem aut certè creaturam esse: quia nisi creator creatura fieret, passionem vel pœnam subire non posset; id quod necessarium est ad satisfactionem quæ fit pro delicto.

Neque verò cootraria videri debet ijs quæ diximus, senteutia Bernardi epistola 190. qua non tantum liberationis & iostificationis, sed & redemptionis elium modum Deo possibilem fuisse dicit. Aut enim loquitur de redemptione, quæ fit per satisfactionem non omnino pleaam & exactam; aut modum iotelligit redemptionis diuersum ab eo qui factus est per mortem filij Dei. Nam vt modò dicebamus, ad redemptionem etiam perfectam sufficiebat qualiscunque passio seu pœna personæ diuinę, etiam citra mortem aut sangoinem. De toto hoc argumento redemptionis humanæ per Christi mortem; vtrùm & aliter præstari potuerit, videat studiosus Anselmum lib. 1. cur Deus homo, cap. 22. & saquentibus.

---

§. 4. Traditio Christi in mortem, bona fuerit an mala?

hom. tr. 9. DE traditione Christi in passionem & mortem, à quibus & quomodo facta sit, non vno modo scriptora loquitur. Primum enim à Iuda discipulo eum proditū & traditum esse Iudæis quatuor euangelia manifestè ostendunt: qui & traditor ob id peculiari nomine dictus est. Traditus est & à Iudæis in manus gentium Pilati, & ministrorum

A eius; iuxta quod ipse prædixerat: *& tradent eum gentibus*: Vicissim quoque à Pilato voluntati Iudæorū traditum esse apud quatuor euangelistas legitur. Nec id modò sed & pater filium, & ipse filius seipsum in mortem tradidit. Sic enim de patre loquitur apost. Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quòd autē & seipsum tradiderit Christus multis locis testatus scriptura vt Isa. 53. Gal. 2. Eph. 5. & 1. Pet. 2.

Cùm igitur Christi in mortem traditio tam diuersis, & sibi mutuò contratijs autboribus tribuator; B meritò quæritur, vtrùm bona an mala fuerit; Neque enim à patre & filio malū opus procedere potuit; néque rursum dici potest bonā fuisse Iudæ & Iudæorum itéque Pilati actionē qua Christū in mortem tradiderunt.

Ad quod respondeodum est nihil obstare, quò minùs vna eademq; actio diuersimodè iudicetur in ratione boni & mali; quatenus à diuersa radice procedit, quemadmodum hanc quæstionem tractans S. Thomas 3. q. 47. art. 3. doctè explicat, & in hanc distinctionem q. 5 Neque enim nouum est C vnum idemque opus externum à diuersis authoribus proficisci; ac proinde fieri diuersa intentione & voluntate, vt eleemosynam, puuitionem vel aliquid huiusmodi, dum aliud spectat qui iubet, aliud qui exequitur, aliud qui patitur. Dicitur ergo pater filium tradidisse, tum quia ab æterno ordinauit & voluit filium pati pro salute bumani generis, iuxta illud Act. 2. *Definito consilio & præscientia Dei traditum, &c.* tum quia filio inspirauit voluntatem patiendi; tum qnia non eripuit eum è manibus crucifigentium, sed eorum crudelitati & potestati illum exposuit, & permisit, volens eo pacto in D filio suo poniri peccarum humeni generis. Quod significat illa vox Christi: *Deus meus vt quid dereliquisti me*, quemadmodum interpretetur Augustinus epistola 120. ca. 6. & 10. Quod & illis apost. verbis quibus dicit patrem proprio filio non pepercisse &c. significatum est. Tradidit autem semetipsum Christus, vel quatenus Deus eadem voluntate & actione qua pater. Sūt enim trinitatis opera indiuisa; vel quatenus homo voluntate & charitate à patre inspirata, qua & persequentibus se obtulit, & passionem mortemque patienter tulit: quæ quidem voluntas respectu æterni decreti patris, etiam obedi- E entiæ rationem bebuit. Vnde dicitur, *Factus obediens patri vsque ad mortem.* Manifestum est igitur quod & pater filium, & filius seipsum ex charitate in mortem tradiderit. Porrò Iudas ex copiditate, Iudæi ex inuidia, Pilatus ex timore præfecturæ amittendæ; qui mundanus timor erat; ideoq; prauus, Christum tradideruot: & ideirco tradendo peccauetunt.

De hac re differens Augustinos io psal. 93. sic ait: Si traditio Christi, & non tradentis animus considerandus est; hoc fecit Iudas quod fecit Deus peter, de quo scriptum est: qnia *filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hoc fecit F Iudas, quod fecit ipse Dominus Christus; de quo scriptum est: *Qui seipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*: Et iterum: *Christus*, inquit, *dilexit ecclesiam suam, & seipsum tradidit pro ea*, & tamen gratias agimus Deo patri, qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omoibus tradidit illum; gratias agimus ipsi filio, qui seipsum tradidit pro nobis, & in eo voluntatem patris impleuit; & detestamur Indam, de cuius facto tantum nobis beneficium præstitit Deus. Non enim ille pro nobis tradidit Christum, sed pro

argen-

argento quo vendidit eum: quamuis traditio Christi sit nostra redemptio, & Christi venditio sit nostra redemptio. Hæc ille, adducens insuper quo rem declaret exemplum de martyribus, & eorum persecutoribus. Similis est apud eundem locus tract. 7 in 1. epist. Ioannis. facta est, inquit, traditio à patre, facta est à filio, facta est à Iuda. Vna res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit pater & filius in charitate, fecit autem hoc Iudas in proditione. Et tandem concludit. Diuersa ergo intentio diuersa facta fecit Cùm sit vna res, ex diuersis eam intentionibus si metiamur, vnum amandū, alterum damnandum, vnum glorificandum, alterum detestandum inuenimus. Ita Augustinus. Vide & alium locum in psal. 65. & Leonem serm. 1. de epiphania Domini.

Quod si quæras, vtrùm Christi passio bona an mala simpliciter dicenda sit? Respondeo simpliciter bonam esse. Ratio est: quia passio per se magis consideratur vt suscipitur in patiente, quàm vt procedit vel infertur ab agente. Quamuis ergo mala fuerit quatenus mala Iudæorum voluntate infligebatur: bonam tamen, imò optimam fuisse constat, quatenus optima voluntate à Christo suscipiebatur.

IN

DISTINCTIONEM VICESIMAMPRIMAM.

§. 1. *In Christi morte nec animam nec carnem fuisse separatam à verbo.*

S. Tho. 3. p. q. 50. a. 2. & 3.

CVm mors separatio sit animæ à corpore, manifestum est in Christi morte separatam fuisse animam eius à carne. Minimè tamen putandum est, vel animam vel carnem à diuinitate siue à verbo fuisse separatam; sed confitendum tam carnem quàm animam morte Domini ab inuicem separatas & propriam hypostasim non habentes, substitisse in persona filij Dei, non minùs quàm ante mortem: vt quemadmodum prius humana in Christo natura non per se subsistebat, sed in persona verbi; ita post mortem partes humanæ naturæ, non aliam in qua subsisterent, haberent hypostasim, quàm eandem verbi personam. Ita nos docet symbolum fidei nostræ, quo confitemur Dei filium sepultum esse & ad inferos descendisse. Quorum alterum propter carnem, alterum propter animam eius dicitur. Cùm igitur ea quæ sunt humanæ naturæ, vel partium eius, non dicantur de filio Dei nisi ratione vnionis; consequens est etiam in morte verbum mansisse coniunctum partibus ab inuicem separatis.

Addunt huiusmodi rationem Scholastici: quia quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absq; culpa reuocatur, iuxta illud Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio*. Quare cum gratia vnionis sit omnium gratiarum maxima, & impiū sit Christo culpam asscribere; nunquam debuit vnio illa verbi cum carne & anima Christi semel facta dissolui.

Extat de hac re perspicua Augustini doctrina tract. 47. in Ioan. vbi docet ex quo verbum caro factum est, corpus quidem ab anima separatum per mortem Christi hominis: animam verò & carnem à verbo nunquam separatam, sed inseparabiliter ei coniunctam permansisse. Id ipsum confirmat ex eodem loco sumpta glossa ordinaria in illud Ioan. 10. *Nemo tollit eam à me*. Huc & illa pertinet Augustini sententia in libro de vnitate Trinitatis ad Optatum cap. 14. Sic in sepulchro carnem suam commoriendo Christus nō deseruit, sicut in vtero Virginis connascendo formauit. Videtur hoc & illis Ambrosij verbis significatum, quibus ait lib. de incarnationis dominicæ sacramēto cap. 5. quod Christus moriens emisit spiritum, non amisit, id est, non à se dimisit, manente nimirum vnione verbi cum spiritu. His accedit Damasceni authoritas qui libro 3. capite 27. de Christo loquens: Quamquam, inquit, mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore: non tamen diuinitas ab vtroque separata remansit, ab anima inquam, & corpore: & neque sic vna hypostasis in duas dissecta est hypostases. Nam & tunc corpus & anima secundùm idem à principio in verbi hypostasi habebāt existentiam, & ipsis in morte ab inuicem separatis, vnumquodque eorum mansit, vnam verbi habens hypostasim. Quare vna verbi hypostasis, & verbi & animæ & corporis fuit hypostasis. Nunquam enim neque anima, neque corpus propriam habuere hypostasim, præter eam quæ verbi est hypostasis. Vna enim semper verbi hypostasis, & nunquam duæ. Quare vna semper Christi hypostasis. Quo fit vt etsi localiter anima à corpore separabatur, hypostaticè tamen per verbum vniebatur. Hæc Damascenus.

---

§ 2. *Responsio ad quædam in contrarium argumenta.*

QVædam superiori doctrinæ in speciem contraria breuiter dissoluenda sunt: cuiusmodi illud in primis est quod Dominus ait Ioan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam* Non enim ponit eam vt homo. Ponendo enim desijt esse homo: Ponit ergo & iterum sumit vt Deus. S. Thom. vbi sup.

Item vox illa Domini in cruce, *Deus meus quare me dereliquisti?* Quam exponens Ambrosius libro 10. in Lucam, dicit ijs verbis contineri euidentem manifestationem Dei contestantis secessionem diuinitatis & corporis: Ac deinde clamauit, inquit, homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat nisi vita discederet: quia vita diuinitas est.

Obiicitur & Athanasij quidam anathematismus in libro de beatitudine filij Dei ad Theophylum: Quo maledictum pronunciat eum, qui totum hominem quem assumpsit filius Dei, denuo assumptum tertia die à mortuis resurrexisse non confitetur.

Denique cùm dictum sit ad 2. distinctionem, diuinitatem carni vnitam fuisse mediante anima & spiritu: consequens videtur facta animæ à carne separatione etiam diuinitatem à carne separatam esse, siquidem sublato medio, tolui extrema necesse est.

Harum obiectionum primam soluit Augu. tract. 47. in Ioan. eam quæ obijcitur sententiā exponens. Respōdet n. Christū posuisse animam suam ratione partis: quia nimirum caro ipsa quæ humanæ naturæ

pars erat, animam posuit: iterumque eam assumpsit: non quidem potestate sua: quæ videlicet carni propria esset, sed potestate verbi inhabitantis carnem.

Ad secundum respondendum Christum à Deo in passione & morte derelictum, non solutione vnionis personalis. Alioqui enim oporteret eam solutionem factam esse ante mortem. Nam viuens adhuc Christus se derelictum clamat: sed hoc sensu, quia passionibus & iniurijs inimicorum vsque ad mortem à Deo erat expositus: vt derelinquere non aliud sit, quàm ab impugnantibus & persequētibus non protegere. In quem sensum rectè quoq; Ambrosij verba accipiuntur. Athanasius contra eos disputans, qui Christi resurrectionem & corporis eius gloriam negabant, non nouam aliquam humanæ naturæ assumptionem confitendam docet, sed tantùm significat iterata per resurrectionem vnione corporis & animæ, totam humanam naturam quæ morte fuerat dissoluta, redintegratam esse in Christo.

Postremi argumenti solutio petenda est ex ijs quæ circa finem 2. distinctionis dicta sunt. Est enim anima inter carnem & diuinitatem medium congruentiæ, non medium necessitatis, vt loquuntur. Quare nihil vetat, vt tali medio remoto maneat extremorum vnio.

Si quæras quare ratione illius vnionis, qua seorsim & cum carne & cum anima diuinitas Christi mansit vnita, non fuerit verum animam esse Deū & carnem seu corpus esse Deum: cùm id exigere videatur idiomatum communio consequens vnionem? Respondemus sicut propter vnionem verbi cum natura humana, non dicitur Deus humana natura, sed homo: id est habens humanam naturam; ita propter vnionem eiusdem cum anima & corpore, quæ sunt humanæ naturæ partes essentiales, nō dicitur Deus anima & corpus, sed habens animam & corpus; vel vt ita loquamur, animatus & corporatus. Sic tamen vt hæ voces non significent eum qui anima vel corpore constet, sed qui animę vel corpori hypostaticè sit vnitus.

§. 3. *Verè rectèq́; dici filium Dei passum & mortuum.*

S. Tho. 3 p. q. 46. & seq.

SI memoria repetamus quæ circa distinctionem 5. & 6. dicta sunt de vnione duarum naturarum in Christo facta in persona filij Dei: non dubitabimus quin verè proprieque dicatur filius Dei crucifixus, passus & mortuus. Postulat enim hoc idiomatum vtriusque naturæ communio. Cùm enim hominem illum ex Virgine natum, crucem, passionem & mortem subijsse credamus: consequenter lege communionis idiomatum, hæc eadem de filio Dei, de verbo, de Deo credere & confiteri debemus; quantumcunque id absurdè sonet in auribus infidelium. Nam vt ait apostolus 1. Cor. 1. *Verbum crucis pereuntibus quidem stulticia est, ijs autem qui salui sunt, id est nobis Dei virtus est.* Et iterum: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stulticiam.* Et quæ sequuntur. Habet hoc imprimis symbolum fidei nostræ, nempe vnicū Dei filium passum sub Pōtio Pilato, crucifixum & mortuum. Testatur apostolus 1. Cor. 2. de principibus huius seculi, *Quoniam si cognouissent nunquam Dominū gloriæ crucifixissent.* Hinc & illa celebrata Dionysij vox: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dis-*

A *soluetur.* Neque opus est ad eam rem prolixa probatione: cùm hęc sit communis omnium ecclesiæ patrum, imò omnium fidelium fides & confessio, iam olim contra Nestorium in Ephesina synodo confirmata can. 12. his verbis: Si quis non confitetur Dei verbum passum carne & crucifixum carne & mortem carne gustasse, anathema sit. Cuius doctrinæ latior explicatio continetur can. 13. Et in quodam eiusdem concilij sermone dicitur: mors Christi tanquam facta mors Dei, destruxisse mortem: quoniam Deus & homo erat qui patiebatur. Vnde & Iudæos non solùm vt homicidas, sed vt
B Deicidas iusta vindicta consecuta est. Non enim purum hominem occiderunt, vt in eodem sermone dicitur, sed Deo intulerunt præsumptiones, id est, manus temerarias. Patet ergo non verè tantùm, sed & rectè, imò rectissimè vnumquemque fidelium confiteri & grato animo recolere, Deum Dei filium pro se mortuum. Nam vt ait dilectus ille discipulus 1. epist. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Vnde præclarè à Bonauentura hanc quæstionem tractāte scriptum est: Nullum verbū maioris dignationis resonare posse in auribus cordis humani, quā quod vnigenitus Dei filius mortuus fuerit pro nobis de-
C bitoribus mortis: Et ideo, inquit, non tantùm est hoc credendum & asserendum tanquam verum, sed etiam frequentissimè recolendum.

Cæterùm quod Magister in textu dicit; sanè dici posse quod mortuus est Deus, & non mortuus, passus est Dei filius & non passus, passa est tertia persona & non passa, crucifixum est verbum & non crucifixum: id tanquam falsum & manifestam continens contradictionem à nonnullis reijcitur, & selectis erroribus annumeratur; tametsi nos illa attributa negatiua cum subintellecta determina-
D tione naturæ benignè interpretari possumus. Subdit enim ipse, sed secundùm alteram naturam passus est, secundùm alteram impassibilis. Et eandem profectò interpretationem adhibere oportet verbis Ambrosij, ab eodem citatis; quibus ait libro de incarnationis dominicæ sacramento capite 5. Idem ergo patiebatur & non patiebatur &c. In talibus enim affirmatio & simpliciter & secundùm naturam intelligitur humanam: negatio verò non simpliciter, sed tantùm accipitur secundùm naturam diuinam. Quod autem ex sermone quo-
E dam de fide recta, qui est inter sermones Augustini de tempore 129. citat Magister: Si quis dixerit filium Dei Deum passum fuisse, & si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sentiebat filius Dei Deus, eum anathema esse: quamuis similiter intelligi possit dictum secundùm naturam diuinā, probabiliter tamen respondetur eum sermonem non esse Augustini, & fortasse nec scriptoris Catholici. Nam & illud quod priorem sententiā proximè præcedit. Si quis dixerit hominem Iesum Christum à filio Dei assumptum non fuisse, anathe-
F ma sit, ad sensum Nestorij non parum accedit.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMSECVNDAM.

§. 1. *Christùm in triduo mortis non fuisse hominem.*

S. Tho. 3. par. q. 50 ar. 4.

OPinio Magistri est hac distinctione, Christum in triduo mortis fuisse hominem secundùm proprietatē sermonis: quod & Hugo Victorinus opinatus fuit, quemadmodum patet ex lib. eius 2. de sacramentis parte 1. cap. 11. & in quæstionibus super Rom. 1. Idem postea docuit Ioannes VVicleff, vt videre est apud Thomam VValdensem lib. 1. de sacramentis art. 3. capite 44. Quanquam non eodem fundamento nituntur ad id opinandum Magister & Hugo. Magister enim propterea putat Christum verè hominem permansisse in morte: quia etiam tunc habuit animam humanam & corpus; existimat enim ad hoc vt quippiam sit homo, sufficere si ambas hominis partes essentiales habeat, siue coniunctas inter se, siue non coniunctas: modò vniantur in aliquo tertio. Vnde Magister hoc peculiariter de Christo sentit, non de alijs hominibus post mortem. Hugonis verò fundamentum Platonicū est: videlicet animam rationalem esse hominem proprio sermone. Quo dato consequitur non solùm Christum, sed & alios omnes post mortem verè homines esse; cum animæ nō moriantur.

Verùm vterque falso nititur fundamento. Ille quidem; quia vt quippiam sit homo, non sufficit si anima humana & corpus vnita sint eidem tertio vnione hypostatica: nisi & ambo hæc inter se vnita sint vnione naturali constituente humanā naturam. Nam & si anima redeat ad corpus eo modo regendum, quo gubernant angeli assumpta corpora; non constituetur homo ob defectum naturalis illius vnionis. Hic verò, quia etsi synecdochicè interdum anima dicatur homo, à parte præstantiori, quomodo apostolus 2. Cor. 4 hominē distinguit in eum qui foris est, & eum qui intus: quo modo etiam à philosopho dictum est l. 9. Eth. cap. 4. quod vnusquisque homo est suus intellectus: propriè tamen id dici non potest, cùm homo significet compositum ex anima rationali & corpore naturaliter vnitis. Vnde Augustinus libro 19. de ciuit. cap 3. commendat Varronis sententiam, quod hominem nec animam solam, nec solum corpus, sed animam & corpus esse dixerit. Meritò igitur & Magistri & Hugonis opinio tanquam erronea à Scholis reiicitur: adeo vt S. Thomas 3. q. 50. art. 4 dicat esse errorem contra fidem in verbis huius opinionis, tametsi dicti authores sensum erroris in fide non habuerint.

Ratio autem hæc est, quia articulus est fidei Christum verè fuisse mortuū: & proinde fidei contraria est omnis illa assertio, qua tollitur veritas mortis Christi. Tollitur autē illa hac assertione qua dicitur, quòd Christus ex quo cepit esse homo, nūquam desierit esse homo. Pertinet enim ad veritatē mortis hominis vel animalis: vt per mortē desinat esse homo vel animal, separatione videlicet animæ, quæ cōplebat rationem hominis vel animalis. Quocirca non iam simpliciter homo dicitur, sed homo

A mortuus, quæ est determinatio alienans, suumque determinatū interimens. Alia ratio est: quia remoto superiori, remouetur inferius: Atque viuere & sentire superiora sunt ad hominem, quæ tridui illius tempore Christo, vtpore verè mortuo non competebant. Quare nec hominem esse verè ei tribui poterat. Alias insuper rationes videre est in Magistro qui eas frustrà soluere conatur.

Quod verò idem Magister obiicit ex libro de fide ad Petrum cap. 2. vbi hæc leguntur verba: In sepulchro idem Deus homo factus iacuit, & ab inferis idem Deus homo factus tertia die resurrexit: **B** Nihil eius sententiam adiuuat. Nō enim id propriè, sed per synecdochen dictum author ipse explicat. Sequitur enim: Sed in sepulchro secundùm solam carnem idem Deus iacuit, & in infernum secundū solam animam descendit. Quomodo & Augustinus interdum seipsum exponit, vt in epistola 57. & 99. Itemque in tract. 47 & 78 in Ioan. Quorum priore loco rem à simili declarat. Ita enim Christum secundùm assumptam naturam & in sepulchro, & in inferno fuisse dicit triduo mortis; sicut Paulum nunc & Romæ esse dicimus & in cælo, sed illud secundùm corpus hoc secundùm animam.

C Ad id denique quod de perpetuo Christi sacerdotio obiicitur ex psal. 109. & Heb. 7. ex quo sequi videtur quòd qui nunquam desijt esse sacerdos, nūquam desierit esse homo; cùm sacerdotale munus ei secundùm naturam competat humanam, respondendum est: æternum dici Christi sacerdotium, tum quia nullum aliud ei successit, tū quia effectus eius sempiternus est, tum quia modicum tempus pro nihilo reputatur, vel vt S. Thomas respondet quia in anima etiam separata permanet ordinis sacerdotalis character.

D

§. 2. *Christum secundùm animam descendisse ad inferos.*

S. Tho. 3. p. q. 52. art. 1. & 2.

CErta est & perpetua ecclesiæ fides, Christum post separationem animæ à corpore, secundū corpus quidem sepulturæ traditum, secundùm animam verò descendisse ad inferos. Et de priori quidē ex quatuor euangelijs notissimo nulla nobis est cōtrouersia cum hæreticis. De posteriori verò quæstionem mouerunt hæreticorum quidam. Primùm enim non defuerunt, qui articulū illum; *descendit ad inferos*, planè è symbolo tollerent: propterea quòd **E** in posterioribus symbolis Nicæno, Constantinopolitano & alijs quibusdā nulla sit eius mentio. Qua de re Ruffinus in expositione symboli apostolorū, falsò ascripta Cypriano, ita scriptum reliquit: Sciēdū sanè est, quod in ecclesiæ Romanæ symbolo nō habetur additum, *descendit ad inferna*. Sed neque in Orientis ecclesijs habetur hic sermo. Vis tamē verbi eadem videtur esse in eo quòd sepultus dicitur. Quæ Ruffini verba dedisse videtur occasionē Caluino, vt in primis suis catechismis, descensum Christi ad inferos interpretaretur: depositionem corpo-**F**ris eius in sepulchrum. Sed cùm hanc interpretationem videret nulla probabilitate defendi posse, propter manifestam battologiam, qua idem ineptissimè in breuissimo symbolo repeterertur, alijs verbis obscurioribus; si descensus ad inferos, non aliud quàm sepulchrum significaret: correxit eam postea in suis Institutionibus, sed alia deteriori interpretatione; qua docet descensum illū in ipsa cruce peractū esse, in eo, quod Christus in cruce pēdens implicitus fuerit doloribus ijs quos pati maledictu, & ira Dei, & cuiusmodi patiūtur damnati in desperatione positi.

Alius quidam recentior absurditatem dictarum interpretationum vitare volens, descensum Christi ad inferos interpretatur mortem eius manifestatã malis spiritibus: vt quē catenis sæpe audierát promissum mortalibus, eum iam exhibitum scirent. Nonnulli verò inter quos Durandus, Christum ad inferos descendisse interpretantur, non quòd anima eius realem suam præsentiam inferis exhibuerit, sed propter effectum quem anima Christi in ijs qui apud inferos erant, habuerit.

Quamuis autem peculiaribus argumentis opiniones istæ singulæ facilè conuelli possint, sufficerit tamen huic loco omnes eas simul euertere vna assertione & confirmatione fidei Catholicæ; quia credimus Christum verè secundùm animam ad inferos descendisse. Ita enim in Psalmo scriptum est: *Non derelinques animam meam in inferno*. Quod ne aliorsum quis torqueat, Petrus Act. 2. de Christo interpretatur: Idemque apostolus 1. epist. 3. testatur Christum spiritu, id est, secundùm animam, his qui in carcere erant prædicasse: eodem nimirum spiritu quem moriens in manus patris commendauerat. Paulus quoque Eph. 4. Christum scribit descēdisse in inferiores partes terræ. Eodem referunt Patres verba Zach. 9. ita ad Christum loquentis. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Et passim Dauid in persona Christi animam suam & ad inferos descendisse, & inde reductam esse confitetur. Et apud Ecclesiasticum illustris est locus cap. 24. vbi Sapientia Desfic loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino*: Illos nimirum de quibus à Domino dicitur in euangelio: *Multi prophetæ & iusti cupierunt videre & audire, quæ vos videtis & auditis.* Matth. 13. Propter hos enim, inquit Irenæus libro 4. aduersus hæreses cap 39. descendit Christus ad inferiora terræ, sicut Ieremias ait, *Rememoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum qui prædormierunt in terra defossionis, & descendit ad eos, vti euangelizaret eis salutare suum & saluaret eos.*

Vt autem totius ecclesiæ consensum super hoc fidei articulo cognoscamus, aliquot præcipua patrum loca citabimus, quibus eam fidem confirmãt. Ignatius in epistola ad Trallianos de Christo loquens: Descendit, inquit ad inferos solus, ascendit verò cum multitudine. Irenæus præter locum modò citatum lib. 5. cap. 31. Tribus diebus, ait, conuersatus est vbi erant mortui &c. Item Origenes hom. 15. in gen. & in Rom. 5. cuius verba, vt & aliorum breuitatis studio omittimus. Eusebius Cæsariensis libro 4. euang. demonstr. capite 12. & libro 10. sub finem. Athanasius in symbolo, & in serm. de passione & cruce & alibi subinde. Basilius in psal. 42. 48. & 115. Gregorius Nyssenus oratione 1. de resurrectione Domini. Nazianzenus oratione 2. in pascha. Epiphanius hæresi 46. 69. & 77. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 4. ad baptizatos, & catechesi 14. Cyrillus Alexandrinus libro 12 in Ioannem capite 36. & libro de recta fide ad Theodosium circa medium. Damascenus libro 3. de orthod fid. cap. 29. & in oratione de suffragijs viuorum pro mortuis. Theophylactus in cap. 27. Matth. Atque hi omnes quos enumerauimus, Græci authores sunt. Porrò inter Latinos non minor est testium vel numerus vel authoritas. Sunt autem isti. Tertullianus libro de anima titulo de inferis capite 32. Cyprianus libro 2. contra Iudæos capite 24. Et apud eundem author sermonis de vnctione chrismatis, & alterius de resurrectione Christi, quem authorem nos cum Iacobo Pamelio Saluianum esse putamus. Lactantius lib. 4. institui. diu. capite 19. & in carmine de resurrectione dominica. Hilarius libro 4. de trinit. in fine. Item in psal. 53. 54. & 118. Ambrosius lib. 4. de fide ad Grat capite 1. Prudentius in apotheosi post medium & hymno 9. Hieronymus in capite 13. Osee. In 4 Eph. In 3 Danielis, & libro 2. contra Iouinianum. Augustinus libro 17. de ciuit. capite 11. & libro 20. capite 15. Item in expos. Psal. 85. & tract 47. 78. & 111. in Ioannem, & libro 3. de symbolo capite 7. & epist. 57. ad Dardanum. Copiosè verò & ex professo de hac re disputat in epistola 99 ad Euodium. Præter hos idem docent Leo serm. 1. de resurrectione, & in epistola 79. Gregorius libro 4. moral. capite 27. & libro 29. capite 7. & libro 6. epistolarum epist. 15. Bernardus serm. 4. de omnibus sanctis & quicunque postea scriptores Ecclesiastici secuti sunt.

Accedit his conciliorum authoritas. Nam Ephesini concilij patres confitentur Christum tertia die resurgentem spoliasse infernum. Concilium autem Toletanum 4. can. 1. exponens illud symboli, *Descendit ad inferos*, testatur eius articuli confessionem ad fidem Catholicam pertinere. Idemque clarè asserit Augustinus epistola 99. his verbis: Quis nisi infidelium negauerit fuisse apud inferos Christũ? Et paulò pòst: Teneamus firmissimè quod fides habet fundatissima authoritate firmata: quia Christus apud inferos fuit &c. Sic & Fulgentius libro de fide ad Petrum capite 2. inter regulas fidei ponit: Dei filium secundùm animam in infernum descendisse. Cuius eadem doctrina est in epistola ad Ferrandum Diaconum, & lib. 3. ad Thrasimundum regem capite 34 Denique Gregorius in epist. 15. lib. 6. Vera fides, inquit, per Ecclesiam Catholicam docet, quia descendens ad inferos Dominus &c. Illud postremò notandum patres ferè omnes hactenus enumeratos non simpliciter asserere Christi ad inferos descensum; sed animam eius illuc descēdisse. Qua illorum constanti assertione satis refellitur error eorum: qui Christi descensum ad inferos tantùm secundùm effectus quosdam vel diuinitatis vel animæ eius interpretantur.

Ad id quod ex Ruffino obiiciebatur, primùm respondetur; Ruffini non magnam esse in ecclesia authoritatē: vt qui Origenis dogmata occultè fuerit sectatus, & perniciosis contētionibus aduersus sanctũ Hieronymũ susceptis ecclesiam turbauerit. Vnde & scripta eius à Gelasi o papa in c. sancta Romana ecclesia, cum apocryphis reiiciuntur. Quamquã idem Ruffinus eodem in lib. descensũ Christi ad inferos nõ negat: neq; in dubiũ vocare vult, sed de sensu articuli tantũ loqui videtur. Nã postea sic ait inter cætera: Quòd in inferno Christus secundũ animam descēderit, euidenter in psalmis prænunciatum est &c.

Quod autem in symbolo Niceno & alijs nõnullis hic articulus dicitur non haberi: (Non enim de symbolo apostolico loquitur Ruffinus) nullius ponderis est argumentũ. Nam nec sepulturæ Christi mentio est in symbolo Niceno, quemadmodũ nec in symbolo Athanasij. Nec rea & hunc articulum è symbolo que tamen propte-cendi sunt patres illi. Non enim lo fidei sustulisse dicomnia fidei capita suis symbolis ijs propositũ fuit præcipua duntaxat, vel illa de s complecti; sed vel temporis erat ab hæreticis con quibus excitata tunc trouersia.

Ea porrò sententia, quæ descensum Christi ad inferos manifestationem mortis eius apud inferos factam

factam exponit: planè futilis est & facilè refellitur, Si enim eo sensu descendit ad inferos Christus, quomodo ergo ab inferis reductus dicetur, iuxta illud psal. *Reduxisti ex inferno animam meam*, cùm noticia mortis eius non repente post illud triduũ fuerit malignis spiritibus ablata, sed relicta sit vsque ad hodiernum diem. Vnde nec dictum est: *Non derelinques mei noticiam in inferno*, sed, *animam meam*. Deinde iuxta hanc interpretationem oporteret eadem ratione, imò multò magis fateri; Christum mox vt expirauit, ascendisse ad superos: quia mors eius statim longè certiùs innotuit supernis spiritibus quàm infernis. Illud autem nemo concesserit, ipso etiam symbolo reclamante: in quo ascensio Christi in cælum, non morti eius coniungitur sed resurrectioni postponitur; vtpote quadragesimo die post resurrectionem facta. Ex quo ascẽsionis Christi articulo certius adhuc argumentum sumitur, veri intellectus articuli de eius ad inferos descensione; cùm prorsus similiter illa duo in symb. ponantur. Si enim indubitatè credendum est eum ascendisse in cælum secundùm naturã assumptam; & non sine magna absurditate fingeretur illius articuli alius sensus; itidem credendum secundũ eandem naturam eum descendisse in inferoum; hoc solo discrimine, quòd hîc synecdochicum sensum res ipsa postulet, cùm sit manifestum nemine contradicente, eum in triduo mortis non habuisse animam corpori coniunctam: ideoque non nisi ad animam descensum illum referri posse, corpore in sepulchro quiescente.

---

§. 3 Quæ fuerint causæ descensus Christi ad inferos.

a. Tho. 3. p. q. 52. ar. 5. 6. & 7.

DEscendit ad inferos anima Christi, non vt impios inde eriperet siue actualibus peccatis, siue soli originali culpæ obnoxios, sed vt iustos inde educeret. Quod enim ad malos attinet, certissimum est ecclesiæ dogma, in inferno damnatorum nullam esse redemptionem; quemadmodum sub finem quarti sententiarum contra Origenistas pleniùs explicatur. Vnde sanctus Augustinus hæresi 79. eorum sententiam, qui dixerunt Christo ad inferos descendente credidisse incredulos, & omnes inde fuisse liberatos, inter hæreses enumerat. Est autem hoc iustorum ab impijs discrimen insinuatum illis Sapientiæ verbis apud Ecclesiasticum capite 24. *Inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Significatum est & illis verbis, Ozee 13 *Ero mors tua mors, o inferne* videlicet, vt glossa interpretando addit, electis educendo, reprobos ibidem relinquendo. Et Gregorius l. 12 Moral. cap 8. eam scripturam tractans; Quia, inquit, ex inferno partem abstulit partemq; reliquit, non occidit funditus sed memordit infernum. Idem homil. 22 in euangelia: Neque enim, inquit, infideles quosque, & pro suis criminibus æternis supplicijs deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit, sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit. Deinde citatis Ozee verbis eadem quæ suprà verba subijcit.

Porrò Christum ideo ad infernum descendisse vt iustorum animas educeret, omnium est Patrum doctrina. Scribit enim Tertullianus libr. de anima capite 32. Christum descendisse in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret. Et Irenæus lib. 5. contra hæreses cap.

A 39. Propter Prophetas, inquit, & iustos descendit Christus in inferiora terræ. Sic Origenes in Rom. 5. Intelligimus Christum idcirco in infernum descendisse, vt eos inibi non tam præuaricationis crimine, quàm morientis conditione habebantur, absolueret. Eadem est doctrina Gregorij Nazianzeni oratione 2 in pascha: vbi ostendit Christum ad inferos descendentem non omnes sine exceptione suo aduentu saluos fecisse, sed credentes duntaxat. Eadem & Epiphanij hæresi 46 & 69. & aliorum quos suprà citauimus sententia est. Inter quos Augustinus lib. 20 de Ciuitate capite 15. dicit non ab-B surdè credi antiquos sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed tamen apud inferos fuisse; donec eos inde sanguis Christi & ad ea loca descensus erueret. Quid autem Christus suo descensu iustis contulerit & à quo malo eos liberauerit ex professo disputat S. Augustinus epistola 99. & post eum disputant in hunc locum scholastici & sanctus Thomas 3. quæst. 52. Cùm enim ex reatu originalis peccati adhuc essent animæ iustorum à visione gloriæ Dei exclusæ; Christus ad eas descendens virtute passionis suæ ab eo reatu ipsas absoluit: vt Deum C per essentiam videre possent. Vnde in sermone 2. de resurrectione apud Augustinum legitur, Christũ ad inferos descendentem omnes iustos, qui originali peccato astricti tenebantur absoluisse. Et Sanctus Gregorius libro quarto moralium capite 27. dicit Sanctus illos in locis inferni quiescentes ab ingressu regni, reatu primæ culpæ fuisse prohibitos. Et Rupertus libro primo de diuin. offic. capite decimoquinto dicit peccatum originale fuisse medium parietem obstantem, &c. Neque aliam, vel pœnam, vel dolorem intelligere oportet à quo soluerit eos suo descensu Christus, iuxta illud: D Act. 2 *solutis doloribus inferni*, quàm dolorem de dilatione speratæ gloriæ, quando iam ad terminum vitæ peruenerant: ideoq; præmium iustitiæ nisi reatus ille obstitisset, percipere debebant. Soluta est autem illa pœna quando Christus statim aduentu suo, non tantùm animæ suæ sanctissimæ præsentiã sanctis illis animabus exhibuit; verùm etiam ad diuinitatis contemplationem admisit, licèt in cælum qui propriè locus beatorum est, non antè quàm Christus illuc ascenderet, fuerint admissi.

E

§. 4. An ex purgatorio omnes vel aliqui liberati?

S. Tho. 3. par. q. 52. ar. 8.

CÆterùm opinantur quidam ad inferos descẽdentem Christum etiam eos liberasse qui erant in pœnis purgatorijs: donando videlicet ijs aduentu suo lætissimo primas easque plenas indulgentias, tanquam indulgentiarum, quarum erat largissimus vsus in ecclesia futurus, primitias quasdam. Ita sentit Ambrosius Catharinus super illud Eph. 4. *Descendit in inferiores partes terræ*. & Dominicus F Soto, qui illud etiam ex Augustino & Damasceno confirmare conatur. Quod fanè non improbabiliter ab illis dici videtur: propter ea quæ apud Augustinum epist 99. de doloribus per aduentũ Christi ad inferos solutis disseruntur, tametsi S. Thomas diuersum sentit 3 q. 52. art. 8.

Confirmatur & hoc argumento illorum sententia, quod patres de iustorum liberatione ab inferis per Christum facta loquentes, nusquã piorum aliquos excipiant, sed solos impios: de quorum salute penitus est desperatum, interdum

A verò etiam vniuersaliter de pijs & iustis loquantur. Nam Origenes hom. 15. in gen verba illa Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*, non latroni soli dicta esse affirmat, sed & omnibus sanctis qui ad inferna descenderant: Et Augustinus, in psal. 85. testatur, Dominum ad infernum venisse, vt erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas. Similes sunt vniuersales sententiæ apud Athanasiũ serm. de pass. & cruce, & Damascenum in tract. de suffragijs viuorum pro mortuis. Manifestè verò ita sentire videtur Augustinus lib. 12. de gen. ad lit. 33. sic inquiens: Et Christi quidem animam venisse vsque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur: vt B eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iusticia indicabat, non immeritò creditur. Deinde subiecta probatione ex eo quod dicitur Act. 2. *soluti is doloribus inferni* adiungit. Neque enim Abraham, vel ille pauper in sinu eius hoc est in secreto quietis eius, in doloribus erat: inter quorum requiem & illa inferni tormenta legimus magnum chaos firmatum. Hæc ille, putans vtique dolores inferni, quos illuc descendens soluit Christus, non omnium fuisse iustorum, sed eorum tantùm qui adhuc pro peccatis suis apud infera loca cruciabantur. Quos non alios intelligere fas est, C quàm qui tenebantur pœnis purgatorijs. Non dissimilis est apud Augustinum locus libro 17. de ciuit. capite 11. vbi Christum dicit ad inferna descendisse propter quorundam soluẽda peccatorum vincula.

---

§. 5. *An Christus homo sit vbique?*

1. Thom. 3. vbi sup. ad 3.

QVemadmodum ad 12 distinctionem diximus Christum, siue hunc hominem, Christo demonstrato, semper fuisse; ita fatendum est eum vbique esse. Vtriusque enim ratio eadem est, nempe vnitas personæ in duabus naturis, & inde consequens idiomatum vtriusque naturæ communicatio. Non tantùm ergo fatendum est, Christum vbique esse; imò & Christum hominem esse vbique: modo id non reduplicatiuè accipiatur. Non enim Christus homo vbique est secundùm humanam naturam, quemadmodum indoctè opinatus est nostro sæculo Ioannes Brentius cum alijs nonnullis sed E secundùm diuinam. Humanæ enim naturæ suus determinatus competit locus: Quare nec dicendũ est animam vel corpus Christi esse vbique, sed loco determinato pro modo creaturæ. Non enim anima, vel corpus de supposito dicuntur: cùm sint humanę naturæ partes. Ideoque nec totius suppositi idiomata participant.

At neque fatendum est, quòd Christus sit vbique homo; quemadmodum nec illud, Christũ semper fuisse hominem. Significant enim huiusmodi propositiones rem attributo significatam: videlicet humanam naturam competere subiecto secundùm F determinationem copulæ, videlicet vbique & semper: quod manifestè falsum est. Tradit hanc doctrinam Augustinus in epistola 57. ad Dardanum, & lib. 1. de trinit. cap. 13 & l. 3. contra Maximinũ cap. 20. Eodemque pertinet quod idem author libro de vnitate trinitatis ad Optatum cap. 14. & lib. 3. de symbolo cap. 7. scribit, quòd Christus vbique totus, vbique perfectus sit, & fuerit, totus in inferno, totus in cælo, totus in vtero virginis, totus in cruce. Dicitur enim totus vbique esse, non propter vtramque naturam vel alterius naturæ vtramque partem, sed

A propter hypostasim. Totus ergo vbique, quia tota, i. perfecta persona vbique. Nã genus masculinũ ad personam, neutrum verò ad naturam refertur, quẽadmodum lib. 1. dictum est, & Ioannes Damascenus testatur his verbis lib. 3. cap. 7. Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus &c. Cuius rationem addens ait: Totum enim naturæ est repræsentatiuũ, totus autem hypostaseos; sicut aliud quidem est naturæ, alius verò hypostaseos. Quomodo autem secundùm naturam humanam pluribus in locis simul esse Christum possibile sit, quemadmodum in sanctissimo Eucharistiæ sacramento B eum realiter pluribus in locis præsentem esse docet & confitetur ecclesia; id alterius est loci pertractare.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMTERTIAM.

C §. 1. *Quæ dicantur virtutes Theologicæ.*

S. Tho. 1. 2. q. 62. ar. 1. & seq.

CVm fuerit in Christo virtutum & gratiarum plenitudo, vt ostensum est distinctione 13. quærit hîc Magister de virtutibus Theologicis: vtrùm fatendum sit eas in Christo fuisse? Atque hanc sumit occasionem de ijs virtutibus alijsque nonnullis fusiùs disserendi, quæstionis propositæ solutionem differens in distin- D ctionem 26 Vt igitur ordinem Magistri sequamur, de Theologicis virtutibus deinceps agendum.

Dicuntur autem virtutes Theologicæ, quæ propriè circa Deum, vt bonum beatificum supernaturale versantur: & quibus propriè Deus, vt huiusmodi bonum colitur, tres nimirum illæ; fides, spes, charitas. Quę passim nobis in scripturis vtriusque testamenti commendantur. Nominatim verò & ordine suo positæ sunt ab apostolo 1. Cor. 13. & ab Ecclesiastico capite 2. Sunt hæ virtutes velut principia quædam supernaturalia, quibus homo E dirigitur atque ordinatur ad assequendam beatitudinem, qua Deo tandem perfecta fruitione, quę in visione eius consistit, coniungatur: sicut principijs naturalibus ordinatur vnaquæque res in finem suum naturalem. Vnde Petrus 2. epist 1. per hæc tanquam maxima & preciosa Dei dona nos dicit effici diuinæ consortes naturæ. Quòd quãuis ad omne virtutis genus extendi possit, peculiariter tamen ad eas pertinet, quę Deum secundùm prædictam considerationem habent pro obiecto: cùm inter obiectum & potentiã in ipsum tendentẽ quędam existat similitudo & conformitas: propter F quam conuenienter à Petro dictum est, homines per virtutes quibus in Deum tenditur, Deo similes ac diuinitatis fieri consortes. Quod autem in his tribus virtutibus propriè consistat Dei cultus, docet Augustinus Ench. 3. & 6. vbi quærenti quonam modo sit colendus Deus: breuiter atque summatim respondendum dicit, fide, spe & charitate, idemque approbat lib. 2. retract cap. 63.

Si quæras quare vocẽtur Theologicæ seu diuinæ virtutes? multiplex ratio reddi potest. Prima: quia, dictũ est, circa Deum tanquã propriũ obiectum versantur.

stantur. Secũda, quia hominẽ quodãmodo in Deum trãsformãt ac diuinum reddunt. Tertia, quia à solo Deo nobis infunduntur; vnde & infusæ virtutes vocantur. Fit autem illud tam in baptismo paruulorum quàm in iustificatione adultorum, quemadmodum docent concilij Tridentini patres sess. 6. cap. 7. Quarta, quia sola diuina reuelatione in sacra scriptura nobis hæ virtutes traduntur, cùm sint apud philosophos de moribus disputantes prorsus incognitæ. Postrema, quia circa eas potissimùm Theologica doctrina versatur, & in earum obiectis explicandis ferè tota occupatur.

§. 2. *Quid sit fides.*

S.Tho.2.2.q.4.a.1. Fides quæ virtutum Theologicarum prima est ordine generationis, à Magistro definitur, virtus qua creduntur quæ non videntur, quæ definitio sumpta est ex enchiridio Augustini cap. 9. & lib. 2. quæst. euang. cap. 29. & alijs apud eundem locis. Monet autem Augustinus de his tantùm, quæ credere ad religionem pertinet, fidem esse Christianam: cùm sint plurima quæ si Christianus ignoret, nullum patiatur fidei detrimentum; vt sunt causæ & effectus rerum naturalium, vel historiæ rerum gestarum, aliaque huiusmodi quæ religionem minimè attingunt. Quanquam non ideo incompleta est fidei definitio à Magistro data. Nam talium, quæ modò diximus, assensus, non alicuius virtutis actus est, aut certè non virtutis Theologicæ. Sicut enim quicquid virtute Theologica diligitur, charitate diligitur; ita quicquid virtute Theologica creditur, fide creditur, & de spe similiter.

Porrò Basilius in libro de vera fide ita fidem definit. Fides est, inquit, assentiens approbatio sine vlla hæsitatione de eorum veritate quæ diuino munere sunt proposita. Alij fidem definiunt, certam cognitionem præsentis vitæ actiones iuxta pietatis regulam dirigendi, contemplatione præmiorum quę hominem beatum faciunt. Rursum alij planiùs hoc pacto: Fides est virtus à Deo infusa, cuius lumine illustratus animus humanus firmiter assentitur ijs omnibus quæ Deus reuelauit, & hominibus per suam ecclesiam credenda proposuit, siue sint, siue non sint sacris literis expressa. Quæ non tam definitio quàm descriptio fidei videri potest. Pendet autem tam huius quàm præcedentium definitionum intellectus & explicatio plenior ex ijs quæ deinceps dicenda sunt. Illud interim ex dictis definitionibus liquet, fidei nomine quatenus est virtus Theologica, non fiduciam salutis & iustitiæ per Christum acceptæ vel accipiendę, sed nudum assensum earum rerum, quæ diuinitus reuelantur, significari.

§. 3. *Fidei definitio apud Apostolum quomodo intelligenda.*

S.Thom. vbi supr. Alia indicatur fidei definitio ab Apostolo Heb. 11. his verbis, *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ verba etsi fortasse non tam ad assignandam fidei definitionem, quàm ad indicandam aliquam eius proprietatem ab apostolo scripta videri queant; rectè tamen à Doctoribus pro definitione vsurpantur. Primùm autem dicitur hac definitione fides esse

A *substantia*, Græcè ὑπόστασις, id est, substantia seu existentia rerum sperandarum seu speratarum, seu potiùs earum quæ sperantur (nam Græcum participium ἐλπιζομένων præsentis temporis est, sicut & quod sequitur non apparentiũ, Græcè οὐ βλεπομένων) quia assensus fidei est adeo certus & firmus, vt eas res quæ à nobis sperantur, etsi adhuc futuræ sint & in exspectatione positæ, perinde tamen atque si præsentes essent, iamque in rerum natura subsisterent, nobis exhibeat. Efficit enim vt nihilo magis de futuris atque à sensu remotis mysterijs dubitemus, quàm si vel oculis conspecta vel ratione comprehensa essent, imò multò magis certiusque sint nobis persuasa, quàm quæ vel sensu vel ratione per-
B suadentur. Vocatur ergo fides substantia seu hypostasis ab effectu; quia rerum speratarum hypostasin seu subsistentiam in nobis gignit atque efficit quodammodo. Alij fidem rerum speratarum substantiam hoc sensu dictam volunt; quia basis quædam & fundamentum est cui sperata salus ita innititur, vt sine ea haberi nõ possit iuxta illud eiusdem apostoli: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Verùm prior expositio magis placet veteribus interpretibus, præsertim Græcis ac nominatim Chrysostomo, magisque videtur esse ex mente apostoli; tum
C quia postea de Moyse in commendationem fidei eius dicitur, *Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit;* tum quia tota disputatio apostoli vsque ad finem capitis hunc sensum potissimè spectat, illudque maximè quod proximè sequitur, *argumentum non apparentium*, siue vt Græcè est, eorum quæ non videntur. Dicitur enim fides argumentum, seu vt apud Augustinum alioque veteres Latinos sæpenumero legitur conuictio, Græcè ἔλεγχος, id est, ostensio & demonstratio rerum non apparentium: quia eas tametsi ineuidentes & nondum apparentes, tam cer-
D tò tamen oculis mentis nostræ repræsentat, quàm si vel corporeis oculis aspicerentur, vel demonstratiuè à nobis cognoscerentur.

Cæterùm quoniam fides non tantùm bonorum est quæ sperantur, sed & malorum quæ metuuntur; neque tantùm futurorum, sed & præteritorum & quorundam etiam præsentium, id est, in præsens existentium; hinc satis perspicitur hanc fidei notionem ab apostolo positam, priore sui parte, non omne genus eorum quæ sub fidem cadunt, complecti; sed ea tantũ quæ præcipua sunt & quæ
E finis rationem habent, nempe bona futura, id est, æternam beatitudinem.

Ad id verò quod quærit Magister vltimo §. an fidei descriptio spei conueniat, iuxta superiorem explicationem, negatiuè respondendum. Non enim spei officium est hominem certum efficere de bonis futuris perinde atque si iam existerent; sed ea certitudine supposita atque ex fide accepta, eadem illa bona sibi atque à se possidenda certò exspectare, quemadmodum postea suo loco declarabitur.

F

§. 4. *Quid, propter quid & quomodo credendum.*

Ad suprapositas definitiones ipsamque fidei naturam pleniùs intelligendam, tria hæc diligenter consideranda sunt. Quid, propter quid, & quomodo credendum sit. S.Thom. 2.2.q.1.a.1.& q.4.ar.1.

Quid sit credendum partim ex sacris literis, partim ex traditione ecclesiastica peti debet. Scri-

pturam habemus certò librorum numero & canone comprehensam. Ecclesiasticam traditionem nobis manifestant vel concors patrum doctrina, vel ecclesiæ definitio.

Propter quid credendum sit, docet Apostolus 1. Thess. 2. *Cùm accepissetis*, inquit, *à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbū Dei.* Et hac præcipuè cogitatione munire se debet animus Christianus aduersus omnem carnis cogitationem, quę vel contraria suggerit, vel religionis veritatem in dubium vocat, hac inquam, quòd Dei voces sunt, quæcunque fides loquitur. Atque hoc est quod scholastici docent formale fidei obiectum esse veritatem primam, seu veritatem diuinam. Quibus verbis significatum volunt, Dei authoritatem vnicā esse rationem propter quam credimus.

Hinc porrò petenda est & huius solutio quæstionis, vtrùm credendo in doctrina & authoritate scripturæ & ecclesiæ nobis acquiescendum sit, an verò ad altiorem veritatis confirmationem sit transcendum? hoc est, an propterea credere debemus quia ecclesia sic docet & scriptura sic habet, an quia Deus ita loquitur? Neque enim scriptura aut ecclesiæ definitio hoc loco ita à Deo separanda est, tanquam aliunde quàm à Deo veritas scripturæ aut ecclesiæ suá habeat certitudinē & soliditatē. Sicut enim credere aliquid propter personæ cuiuspiā authoritatē, & credere propter eiusdem verba, sunt eadē: ita hoc loco credere quippiā propter authoritatē Dei, & idem credere propter ecclesiæ vel scripturæ verba, tanquā Dei voces, pro ijsdem habenda sunt; iuxta illud: *Qui vos audit me audit*, Multifariam enim multísque modis loquitur Deus hominibus; olim quidem patribus per prophetas, quibus reuelatione velut interna locutione voluntatē suam patefaciebat; qui proinde neque scripturis neque definitionibus ecclesiæ ad credendum opus habebant. Postea verò nobis per sacram scripturam & voces ecclesiæ. Ad quam tanquam externam locutionem nos in omni quæstione religionis confugere vult, & admonet omnibus ijs sententijs quibus scripturæ, vel ecclesiæ authoritas tanquam diuina commendatur.

Iam verò quod ad credendi modum attinet, sciendum est, fidem partim intellectus esse, partim voluntatis. Intellectus quidem tanquam subiecti ac propriæ potentiæ. Ipsum namque credere seu assentiri actus est cognitiuæ partis. Hac igitur parte postulat fides in assentiendo firmitatem, quæ omnem prorsus hæsitationem excludat, vt ex supradictis manifestum est. Si enim credendum est propter authoritatem Dei, qui est summa & prima atque immutabilis veritas, nulla sanè vel minima dubitatio relinqui debet de his quæ fide suscipiuntur, quantumuis sensui vel rationi videantur contraria. Vnde fides Abrahæ commendatur Rom. 4. quòd contra spem in spe credidit promissis Dei, non hæsitans diffidentia, nec considerans corpus emortuum, &c. sed plenissimè, id est, certissimè sciens; quia quæcunque promisit Deus, possit facere atque adeo facturus sit. Quanuis autem hæc assentiendi firmitas sit ad fidem necessaria, per quam ab opinione, coniectura, suspicione & omni fluctuante atque instabili assensu discernatur: non in sola tamē fide reperitur, & proinde nec certa est & indubitata Christianæ fidei nota. Nam & in hæresi alijsque erroribus, atque etiam in assensu veritatis naturalis reperiri potest & reperitur interdum quemadmodum multorum hæreticorum pertinacia &

A demonstrationum certitudo satis probat.

Porrò ad voluntatem fides pertinet, quatenus ab ea dependet tanquam imperante vel consentiente principio. Cùm enim humanæ menti proprium sit ratione discutere & examinare; sitne rebus propositis assentiendum an non. Ea verò quæ ad religionem pertinent, talia ferè sunt quæ rationis examen non admittant, vtpote iudicio humanæ sapientiæ vt plurimum improbabilia, quemadmodum 1. Cor. 1. docet Apostolus; profectò vel nunquam vel rarò intellectus noster rebus eiusmo-

B di acquiesceret, nisi voluntatis imperio & inclinatione in assensum duceretur, & vt Apostolus loquitur 2. Cor. 10. in captiuitatem redigeretur in obsequium seu obedientiam Christi. Necessaria est igitur intellectui in credendo hæc benigna voluntatis inclinatio, tum vt ad eas rationes se conuertat quæ fidem gignant nutriantque; vel saltem ostendant quod creditur non esse absurdum, neque à ratione alienum, tum vt eas reijciat quæ assensum impedire aut remorari possent. Vnde de Abraham dicitur quod non considerauit corpus suum emortuum,

C &c. Est igitur assensus fidei ea consequenti etiam voluntatis actus, nimirum à voluntate imperatus, seu quoad eius initium, seu quoad continuationem. Atque hinc exoritur fidei meritum, cùm oporteat meritum omne ea voluntate ducere originem.

---

§. 5. *An in dæmonibus sit fides?*

HVic quæstioni qua quæritur, habeantne fidem dæmones? occasionem præbent Magistri ver- *S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2.*

D ba in fine 3. §. quibus dicit fidem cum dilectione coniunctam esse Christiani, eam verò quæ sine dilectione est, esse dæmonis. Nam teste Iacobo, Dæmones quoque credunt & contremiscunt. Sumpta sunt autem verba ex Augustino serm. 1. de vigilia pentec, & de verbis Domini serm 61. Apud eundem similes sententiæ leguntur lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7. homil. 17. inter quinquaginta, & tract. 6. 29. & 83. in Ioan. Nec raro apud alios patres similia reperies.

Ad huius quæstionis explicationem conducūt quę proximo capite diximus; scilicet quare & quo-

E modo credendum sit. Est enim ad veram seu Christianam fidem necessaria quædam voluntatis propensio, qua intellectus ducatur ad assentiendū eius verbis, in cuius authoritate animus credentis acquiescit. Habet enim hoc proprium actus fidei, vt ex quadam humili reuerentia erga Deum, intellectus cedat eius authoritati, suscipiatque firmiter atque obedienter ea quæ dicuntur; etiamsi ratione minùs ea perspiciat, quemadmodum docet Basilius in illud Psal. 115. *Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.* Humilitas, inquit, ad fidem requiritur, qua homo se modestè substernat diuinæ veritati, ne sensum suum diuinarum rerum

F mensuram constituat; & quæ credit cuncta sua cogitatione & ingenio metiri velit: vt tantum credat quantum ratiocinatione sua assequi potest. Hæc ille.

Si quis ergo vel sola naturalis ingenij sagacitate, vel argumentorum ac rationum pondere, vel sensus aut etiam signorum tantùm euidentia conuictus, assentiatur ijs quæ diuinitus sunt reuelata, non pertinebit ille assensus ad fidem Christianam. Cùm igitur dæmones subtilitate suæ naturæ & perspicacitate ingenij videant dogmata religionis no-

tiæ non repugnare veritati sibi naturaliter cognitæ, videantque eadem confirmari miraculis naturæ facultatem ipsis probè perspectam excedentibus; experiantur denique virtute Christianæ doctrinæ plurimos è suo regno & potestate eripi: atque his similibusque argumentis adducti & conuicti coganrur fateri verissimam esse religionis Christianæ doctrinam: cùm nulla sit alioqui in ijs erga veritatem diuinam spontaneæ voluntatis submissio atque obedientia; non potest illorum de rebus diuinis assensus propriè fides appellari, sed certa quædam cognitio per experientiam, & rerum vel signorum euidentiam extorta. Ita docet Augustinus lib. 9. de ciuit. cap. 21. vbi tractans illud Marc. 1. *Quid nobis & tibi est Iesu Nazarene*, dicit filium Dei innotuisse dæmonibus, non per fidem qua corda mundantur, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ; quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potiùs quàm infirmitati hominum possent esse perspicua. Quamuis ergo dæmones firmitatem assensus in multis religionis articulis nobiscum habeant communem; quē assensum patres Iacobum Apostolum secuti sæpè fidei nomine generaliter expresserunt: quia tamen assensus ille neque principaliter innititur veritati primæ, sed rationi creatæ, neque coniunctam habet voluntatis inclinationem, sed rebellionem potiùs, qua cuperent falsum esse quod verum fateri coguntur; hinc fidei Theologicę nomine censeri non potest.

His accedit quòd fides etiam informis donum Dei est, vt infrà ostendemus, in dæmonibus autem gratuita Dei dona nullum vsum habent. Nam neque propter ipsos, quorum desperata est salus, neque propter homines, quibus cum dæmonibus interdicta est omnis societas, fidem illis infusam esse dici potest. Frustrà ergo ijs ex toto genere collatum esset hoc donum.

§. 6. *Quomodo differant Deo, Deum & in Deum credere.*

S. Tho. 2. 2. q. 2. a. 2.

MAgister Augustinum secutus distinguit inter hęc tria, credere Deo, credere Deũ & credere in Deum: quod credere Deo sit credere vera esse quæ Deus loquitur: Credere Deum sit credere quod ipse sit Deus. Quorum vtrumque malis etiam commune est. Credere autem in Deum sit credendo amare Deum. Atque hoc solis bonis conuenire vult. Ait enim Augustinus tractat. 29. in Ioan. Non continuò qui credit Deo, credit in Deum: Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Et de apostolis ipsis possumus dicere: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum, & subiungit. Quid est ergo credere in Deum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire & eius membris incorporari. Deinde fidem qua in Deum creditur, pleniùs exponens dicit eam non qualemcunque fidem esse, sed quæ per dilectionem operatur. Similia sunt apud Augustinum in expositione psal. 77. & serm. 6. de verbis Domini & in psal. 130. Hoc est, credere in Christum, diligere Christum. Et infrà: Omnes ergo qui sic credunt tanquam lapides sunt viui, &c.

Verùm hæc Augustini inter hæc tria distinctio nonnullam habere videtur difficultatem. Si enim credere in Deum sit credendo amare, erit ergo idem actus fidei & charitatis; quod est absurdum: cùm diuersorum habituum diuersi sint actus. Deinde si solus ille credit in Deum qui Deum amat, eiusque membris incorporatur, falsa igitur est fidei professio, qua mali Christiani symbolum suum recitantes dicunt se credere in Deum. Denique distinctionem hanc manifestè euertere videtur scriptura Ioan. 12. qua dicitur, quòd ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur: Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

Sed respondendum rectè ab Augustino hæc tria distincta esse. Quod quidem de duobus prioribus est manifestum: Quòd autem & ab ijs diuersum sit, credere in Deum: ex ipso etiam symbolo fidei nostræ perspicuè ostenditur: In quo confitemur nos credere in Deum patrem, filium, & spiritum sanctum, non autem in aliud quicquam: Nam de alijs subiungitur: Credo sanctam ecclesiam Catholicam, &c. Non in ecclesiam. Quare necesse est diuersum quiddam significari per id, quod est credere Deum, & credere in Deum: Id autem ab Augustino rectè per dilectionem declaratum est; qua nimirum voluntas fidem imperans intellectui, in Deum tanquam finem mouetur. Id quod etiam in malis Christianis locum habet. Cùm enim vera sit in eis fides, voluntatem habent ex nonnulla obedientia & humilitate propensam in id quod credunt: licèt concupiscentia superante non instituant suas actiones secundùm id quod credunt. Atque hanc piam voluntatis propensionem in ea quæ creduntur, Augustinus generaliter dilectionem appellauit: quia est initium quoddam ad charitatem, quę filios Dei constituit. Vnde addit in psal. 130. non quomodo dæmones credebant, &c. Neque sentit Augustinus eundem esse fidei & dilectionis actum, sed alterum alteri esse coniunctum in his qui fidem habent Christianam.

§. 7. *Fidem consistere sine charitate.*

S. Thom. 1. 2. q. 65. a. 4. & 2. 2. q. 4.

FIdei non necessariò coniunctam esse charitatem præsupponit in textu Magister, indicans eam fidei distinctionem quæ apud doctores Scholasticos celeberrima est: videlicet in fidem formatam & informem: illam charitate perfectam, hanc defectu charitatis imperfectam, vtramque tamen veram & propriè dictam fidem. Sed quia huic doctrinæ vehementer obsistitur à sectis horum temporum alijs dicentibus fidem & charitatem esse rem eandem, alijs asserentibus fidem tam non posse esse sine charitate, quàm ignem sine calore; operæpretium hîc fuerit, paucis Catholicum dogma è scriptura & patribus demonstrare.

Clarum imprimis est de fide quorundam illud Ioan. 12. *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur.* Et vt certiùs cognoscas charitatem eos non habuisse, sequitur. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Nec nimis clarum illud apostoli 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Idem Rom. 1. quosdam grauiter reprehendit quòd veritatem Dei detineant in iniusticia. Quod etsi non videatur dictum de fide proprij nominis; ratio tamen eadem est tam veritatis naturaliter cognitæ, quàm diuinitus reuelatæ: dummodo vtraque sit de rebus diuinis, quam Dei veritatem vocat apo-

stolus

A stolus. Æquè enim vtraque potest in iniusticia detineri. Nam de fidelibus vtique loquebatur idem apóstolus 1. Cor. 6. quando dicebat, neque adulteros neque ebriosos neque rapaces, &c. regnum possessuros. Vnde & alibi non quamcunque fidem tanquam ad salutem sufficientem commendat, sed eam quæ per charitatem operatur Gal. 5. eo sermone significans esse fidem aliquam, sed quæ non prosit, sine charitate. Apertissimè verò docet id Iacobus apostolus cap. 2. *Quid proderit*, inquit, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?* Et quæ

B sequuntur, vsque ad capitis finem; quibus ostenditur fidem sine charitate, quæ bonorum operum mater est, existere quidem sed mortuam, id est, ociosam atque inutilem. Non enim ita mortuam sine operibus intelligit fidem quasi non sit: quomodo hominem mortuum dicimus, qui desijt esse homo, sed hactenus mortuam: quia motum & operationem non habet; quomodo corpus mortuum dicitur, quod existit quidem sed vita carens. Nam eam comparationem ipse apostolus adhibuit. *Sicut enim*, in

C quit, *corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est*. Sicut ergo illud mortuum sed verum, ita & ista mortua sed tamen vera. Sunt & aliæ scripturæ non paucæ, quæ præter fidem opera, id est, charitatem & mandatorum Dei obseruationem requirunt vt Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c.* Ioan. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis*. Rom. 2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Porro inter patres argumentum hoc ex professo tractauit Augustinus lib. de fide & operibus: quo ferè toto docet, neminem ita sibi debere de fide blandiri, vt per eam sine charitatis operibus speret

D salutem. Idem latè docet q. 1. in quæstionibus à Dulcitio propositis. Rursum serm. 3. & 11. de verbis Domini, & lib. 3. contra duas ep. Pel. cap. 5. Et passim alibi similia repetit. & lib. de hæresibus hæresi 54. inter Eunomij hæreses hanc refert sententiam; nihil obesse mala opera, modò fides teneatur. Quod planè idem hodie à sectarijs docetur contendentibus fidei connexam esse charitatem etiam absque studio bonorum operum. Et ne plura commemoremus, fuit hæc semper totius ecclesię doctrina, fidem esse, at non prodesse posse absque

E charitate. Ad quod probandum præter prædicta scripturę testimonia, etiam duabus euangelicis parabolis vtuntur; altera de decem virginibus, quarũ eas quæ receptis lampadibus non sumpserunt oleũ secum, interpretantur fideles charitatis ac bonorũ operum expertes, de quo vide Augustinum serm. 23 de verbis Domini, & Gregorium hom. 12. in euangelia: altera de homine in conuiuium nuptiarum ingresso, sed non vestito veste nuptiali: quam vestem non aliam quàm charitatem interpretãtur. Cùm alioqui homo ille sine fide in conuiuium regis, id est in ecclesiam Christi ingredi non potuerit.

F Denique hoc agit omnis Ecclesiastica disciplina, per leges, terrores & exhortationes, erga malos ecclesiæ filios: vt qui bene credunt, bene viuant, & fidem iam tenentes etiam charitatem teneãt. Vnde quæconque probant intra ecclesiam non bonos tantùm, sed & malos contineri, eadem ferè ostendunt fidem haberi posse sine charitate. Sunt enim propemodum eadem; malus intra ecclesiam, & fidelis charitate vacuus.

Vt autem & ratione res declaretur; manifestum est quòd non affectus sequitur intellectũ; vt quod

A cognouerimus bonum & diligendum esse, quomodo & quantum oportet diligamus. Quemadmodum enim in moralibus, ita & in his quæ ad salutem æternam pertinent, sæpe locum habet illud poetæ: *Video meliora proboque, deteriora sequor*. Quod & apostolus Rom. 2. contra Iudæum disputãs verbis non multum diuersis ita pleniùs expressit. *Nosti voluntatem Dei & probas vtiliora instructus per legem &c. Qui ergo alium doces, teipsum non doces?* &c. Cuius rei exemplum accipi potest ab ægrotis & ab ipsis medicis: qui quæ salutaria sunt, probè

B nouerunt quidem, sed vehementi delectatione abstracti, non rarò ea quæ saluti contraria sunt, appetunt, & in cibum sumunt. Est enim fides instar legis & scientiæ, quæ monstrat quid bonum quidque sectandum sit, non tamen præstat vt bonum cognitum sicut oportet, sectemur.

Cæterùm ne de hoc dogmate vllus dubitandi locus relinqueretur Tridentini concilij Patres ita statuerunt can. 18. sess. 6. Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non

C sit viua: aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit. Similia sunt in cap. 6. 7. & 15. doctrinæ eiusdem sessionis.

---

§. 8. *Eandem fidem modò informem modò formatam esse.*

QVæstionem hanc, vtrùm eadem numero fides prius informis postea charitate formetur: an verò informi qualitate abiecta simul cum charitate succedat habitus fidei formatæ? Breuiter expedit Magister, dicens; Quamuis vtrumlibet absque periculo responderi possit, sibi tamen videri; quòd qualitas prior remaneat, & accessu charitatis virtus fiat. Quam Magistri responsionem concorditer sequuntur & rationibus confirmant Scholastici. Sunt autem huiusmodi ferè rationes. *S. Thom. 2.2. q. 4. art. 4.*

D (margin letter beside "succedat habitus fidei formatæ")

Prima. Alia Dei dona gratuita, velut donum prophetiæ, linguarum, miraculorum eadem numero nunc coniuncta sunt charitati, nunc ab ea separata, ergo & fides.

Secunda. In habitu fidei præcedente charitatem, nihil est quod charitati repugnet. Nam

E informitas ad eius rationem non pertinet: nihil ergo prohibet quò minùs eadem fides permaneat adueniente charitate.

Tertia. Charitas non expellit habitus virtutum acquisitos, sed perficit; multò igitur magis fidem præexistentem non expellit sed perficit: cùm maior sit congruentia charitatis cũ fide tanquam virtute infusa, quàm cum acquisitis virtutibus.

Quarta. Peccatum mortale etsi tollat formam fidei, id est, charitatem, non continuò tamen tollit ipsam fidem. Nam alioqui semper faceret hominem infidelem: ergo & charitas licèt tollat fidei

F informitatem, non tamen ipsam fidem, sed in eam potiùs custodit, informat & perficit. Quòd si charitas adueniens priorem fidem excludit necessariò vt aliam introducat; ergo & recedens eandem fidem secum auferret; atque ita hominem infidelem relinquet. Nam quod putauerunt quidam Deum gratuita bonitate reddere homini peccanti fidem informem, ne prorsus pereat, absurdè dicitur. Neque enim aliquod Dei donum homini propter peccatum mortale infunditur, & quidem in ipso actu peccati ac velut lege ordinaria. Sed ne

que

A quæ illud aliqua probabilitate nititur, quod alij dixerunt, adueniente charitate non quidem expelli habitum fidei informis, sed tamen fidem formatam introduci; cum qua prior ille habitus simul permanet, quique post peccatum mortale relinquatur. Nam præter hoc quod absurdè in eodem homine duo habitus fidei simul ponantur; magis etiam absurdum est in homine charitatem habente, esse aliquem habitum fidei ociosum, qui in eodem charitate priuato non sit ociosus. Id quod manifestè ex dicta opinione sequitur. Quare dicendum omnino est eundem esse habitum fidei formatæ & informis. Eadem enim fides incorrupta manens in
B intellectu, modo formata dicitur si adsit charitas, modò informis, si absit. Non enim charitas forma fidei dicitur quasi ad essentiam fidei pertinens, aut quia fidem ipsam propriè informet: cùm vnus habitus non sit subiectum alterius; sed hactenus, quia per charitatem actus fidei perficitur & formatur, vt meritorius sit & ad æternam salutem proficiat; quomodo & aliarum omnium virtutum forma charitas appellatur.

His addi potest probatio ex scriptoris. Nam Iacobus cap. 2. ex operibus fidem consummari, id est, perfici dicit, non nouam creari: & ad illud, *Fides sine operibus mortua est*, annotat glossa interlinearis,
C eam operibus reuiuiscere. Haud dubiè significans eandem remanere.

Deinde tam ecclesia quàm scriptura relapsos Christianos non ad fidem recuperandam, sed ad charitatem & peccatorum pœnitentiam hortatur. Quin & veteres ita de fide loquuntur, vt satis innuant illam absente & præsente charitate eandem numero permanere. Qua de re locus est notatu dignus apud Hieronymum in Matth. 21. ad illud; *qui ceciderit super lapidem illum confringetur*. Et Au-
D gustinum lib. 15. de trinit. cap. 18. Quanquam & illa ferè omnia quibus suprà ostendimus fidem à charitate separari posse eidem sententiæ non parum suffragantur; præcipuè verò quod proferebatur ex Tridentini concilij decretis. Nam sess. 6. cap. 15. manifestè asseritur fidem non amitti quouis peccato mortali, & can. 28. damnantur, qui amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti affirmant. Ex qua concilij definitione apparet præsentem quæstionem non iam, vt vult Magister, problematicam esse, sic vt vtraque pars absque periculo teneri possit, sed alteram partem ita certam esse,
E vt diuersa sententia periculo erroris non careat.

Quod verò eiusdem sessionis cap. 7 dicitur, hominem in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipere per Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem; dictis non tam repugnat quàm consonat, & probatam à nobis sententiam confirmat, si attendamus ad verba proximè sequentia. Nam fides, inquiunt patres, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. Quæ verba cum alijs de-
F inde sequentibus satis declarant, fidem quæ antecedit charitatem, per eius aduentum non tolli, sed ea accedente ita perfici, vt & hominem Christo perfectè vniat & corporis eius viuum membrum efficiat. Secundùm quam perfectionem considerata fides in ipsa iustificatione simul cum charitate infundi dicitur.

---

§. 9. *An fides informis sit virtus?*

PVtat Magister fidem informem non esse virtutem, sed adueniente charitate virtutem fieri. S. Tho. 2.2. q. 4. a. 5.
Cuius sententiæ accedit S. Thomas. 2.2. q 4. art. 5. Alij vt Bonauentura & Durandus diuersum sentiunt, simpliciter fatentes fidem informem esse virtutem. Pro huius quæstionis declaratione notandum, virtutis nomen bifariam accipi, generaliter &
B propriè. Generaliter virtus dicitur habitus animi rectæ rationi consentaneus, idemque inclinans ad actum legi diuinæ consentaneum. Quæ definitio virtutes etiam imperfectas, id est, charitate nondũ formatas complectitur. Inter quas est fides informis, cui tota fidei ac proinde virtutis generaliter dictæ ratio competit. Est enim habitus quo intellectus voluntatis imperio captiuatus in obsequium Christi firmiter ea credit quæ diuinitus credenda præcipiuntur. De hoc virtutum genere dicit Prosper in sententijs Augustini sententia 7. omnes virtutes à charitate diuersas bonis & malis esse posse communes: solam charitatem propriam & specia-
C lem esse virtutem piorum atque sanctorum. Quod & repetit epigram. 7. Vnde consequens est, fidei virtutem in malis reperiri; eam autem informem esse constat.

Deinde ex opposito id ostendi potest. Omnis enim habitus bonus qui vitio directè contrariatur, virtus est: atqui heresi & infidelitati directè contrariatur fides etiam informis, perinde atque in moralibus: igitur fatendum est eam esse virtutem.

Præterea virtutis est facultatẽ animi promptam
D & expeditam reddere ad bonum difficile. Id autem fides facit etiam informis. Si ergo, verbi gratia, tẽperare sibi à vindicta vel voluptate, actus est virtutis, etiam ante infusam charitatem, non minùs erit virtutis actus, promptè & libenter Deo obedire in his quæ naturalem rationem superant, etiamsi charitas non adsit.

Porrò specialiter & propriè virtus dicitur, quæ simpliciter bonum facit habentem, & qua rectè viuitur, quomodo definita est lib. 2. distin. 27. ex Augustino. Quæ virtutis acceptio solas perfectas, id est
E cum charitate coniunctas virtutes complectitur. Iuxta quam specialem acceptionem fatendum est, nec fidem, nec vllum habitum moraliter bonum, seclusa charitate virtutem esse. Atque hoc modo de virtutibus disputat Augustinus tum alibi, tum lib. 4. contra Iul. capite 3. & Prosper cap. 27. 28. & 29. contra Collatorẽ, & libro 1. de vocatione gentium capite 7. & 8.

---

§. 10. *Fidem etiam informem esse Dei donum.*

F
QVod dicit Magister fidem informem posse dici donum Dei, cùm & in malis quædam Dei dona sunt, non inter probabiles sed certas & firma fide tenendas sententias reponendum est. Generaliter enim de fide Christiana iam olim contra Pelagium definitum est, eam non haberi ex solis viribus liberi arbitrij, sed à Deo infundi, Deique donum esse. Vsi sunt autem patres ad huius dogmatis probationem his scripturæ testimonijs Ioan. 6. *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille.* S. Thom. 2.2. q. 6. art. 2.

Rom. 12. *Alij datur fides in eodem spiritu.* Quod licet de fidei quadam excellentia videatur accipiendum, similitudo tamen rationis cogit vt de omni fide sit idem iudicium: cum ab eodem sit initium cuiusque virtutis, à quo est eius perfectio. Item 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris &c.* Gal. 4. *Cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo*, id est, per Dei gratiam præuenti ad hoc vt eum cognosceretis. Eph. 1. *Audiens fidem vestram non cesso Deo gratias agens pro nobis* &c. 2. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc nō ex vobis, donum enim Dei est.* Phil. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, &c.* 2. Thess. 1. *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, quoniam supercrescit fides vestra.* Quò pertinet & illud quod Act. 16. dicitur de muliere purpuraria: *Cuius dominus aperuit cor intendere ijs quæ dicebantur à Paulo.* His adiungi possunt generales scripturæ, quæ omne bonum & salutare opus ad Dei gratiam referunt, vt Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* & 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti?* & Iacob. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum est desursum, &c.* De qua re pleniùs disputatum est superiori libro in tract. de gratia.

Pelagij hæresim præter alios patres valde oppugnauit Augustinus, qui cùm aliquando, vt ipse refert lib. 1. retract. cap. 23. & lib. de prędestinatione sanctorum cap. 3. in eo errore fuisset; vt putaret fidem homini esse ex seipso, dictis locis seipsum corrigit, docetque quibus scripturę testimonijs ab eo errore fuerit reuocatus. Tractat autem illud argumentum toto ferè libro de prædestinatione sanctorum; docens fidem eiusque initium esse Dei donum. Item in epistola 107. ad Vitalem, & alijs locis prope infinitis, & Prosper resp. 8. ad cap. Gallorum, & in responsis ad excerpta Genuensium per totum, & sparsim contra Collatorem. Idem lib. 1. de vocatione gentium cap. 23. ex scriptura noui testamenti in eam rem plurima colligit testimonia. Vtuntur autem August. & Prosper inter alias probationes, hac velut efficacissima: quod ecclesia pro infidelibus Deum orat vt conuertantur ad fidem; & pro ijsdem ad fidem conuersis Deo gratias agit. Quod vtrumque certissimum est gratiæ testimonium. Aliud argumentum sumunt ex primo parente, qui cùm per peccatum fidem amiserit, quemadmodum ostendimus ad dist. 23. lib. 2. consequitur omnes eius posteros eandem in illo perdidisse, eamque proinde non nisi ex dono Dei recuperari posse.

Accessit ad patrum disputationem authoritas Arausicani concilij cap. 5. 6. 7. & 8. quibus contra Pelagianos definitur, sicut augmentum, ita initium fidei ipsumque credulitatis affectum Dei donum esse: damnantur autem quicunque vel initium fidei naturaliter nobis inesse dicunt, vel per naturæ vigorem euangelicæ prædicationi consentire nos posse affirmant absque illuminatione & inspiratione Spiritussancti. Quam sententiam eiusdem concilij patres pleniùs explicant capite vlt. asserentes nos credere debere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium; vt nullus postea credere in Deum possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit, idque varijs exemplis & testimonijs scripturæ declarant. Cui doctrinæ inhærentes patres concilij Tridentini sess. 6. can. 3. anathemate damnant, si quis dixerit, sine præueniente Spiritussancti inspiratione atque adiutorio hominem credere posse, sicut oportet.

Ex his generalibus patrum sententijs & definitionibus, manifestè ostenditur, omnem fidem tam informem quàm formatam; tam acquisitam quàm infusam; dummodo veram fidei Christianæ rationem habeat, in specialibus Dei donis esse numerandam. Quamuis enim non sit improbanda illa fidei diuisio, qua à plærisque diuiditur in acquisitam, quam apostolus testatur esse ex auditu Rom. 10. & infusam, qualem esse constat in paruulis baptizatis: non tamen ita inter hanc & illam distinguendum est, quod illa oriatur ex solis viribus naturę, hæc ex Dei dono. Nam vt superiora abunde probant, & discretè docent patres concilij Tridentini sess. 6. cap. 6. etiam ea fides quæ ex auditu concipitur, ab excitante & adiuuante gratia Dei habetur; sed ita vt ad eam etiam motus propriæ voluntatis, vtpote eiusdem gratiæ effectus requiratur. Quod locum non habet in fide, quæ per baptismum paruulis infunditur. Quod ergo ijdem patres in canone addiderunt, *sicut oportet*, non ad excludendam informem fidem adiectum est; sed vt significarent sibi sermonem esse de fide Christiana ac propriè dicta, non autem de quocunque vel certo vel probabili assensu rerum diuinarum: qui non nitatur primæ veritati, sed vel experientiæ vel cuicunq; rationi creatæ, cuiusmodi est in dæmonibus, & olim fuit in philosophis & in Iudæis, qui Christum patientem ac morientem oculis conspexerunt. Tales enim hoc tantummodo credentes, nondum credunt sicuti oportet: quia verbum fidei nō accipiunt vt verbū Dei, sed sub alia quapiā ratione.

§. 11. *Fides qua parte donum Dei sit.*

CVm supradictum sit fidem partim esse intellectus partim voluntatis; quæritur: vtra parte donum Dei sit? Ad quod planè respondendum tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis eam ad beneficium gratiæ Dei referendam esse. Nam quod ad intellectum attinet; primum quidem res ipsę quæ creduntur vt plurimum tales sunt quæ nisi diuinitus reuelatæ fuissent, nunquam homini venire in mentem potuissent: velut mysterium trinitatis, & illa arcana de incarnatione filij Dei, deque redemptione & salute generis humani per eius mortem consilia. Quatenus ergo Deus per se, vel per externum aliorum ministerium (quo olim prophetæ & apostoli functi sunt, & hodie fungitur ecclesia) abdita fidei mysteria loquitur hominibus, donum Dei est ipsa fides. Verùm hac parte nulla Catholicis cum Pelagianis dissensio fuit. Fatebantur enim & illi fidem eatenus esse Dei donum; quod opus esset reuelatione diuina per aliquod externum ministerium facta ad cognoscendum mysteria fidei: quomodo & futura sine Dei reuelatione nosse non possumus. Hæc igitur declaratio non sufficit.

S. Tho. 2. 2. q. 6. ar. 1.

Altero modo ex parte intellectus fides Dei donum est, quia præter ministerium externum annūciantis veritatem fidei, opus est gratia Dei illustrāte intellectum, vt fide suscipiat quod prædicatur. Nisi enim hoc pacto diuina quadam sapientia imbueretur animus humanus, stultitiam reputaret verbum prædicationis euangelicæ: atque ea potissimùm religionis nostræ mysteria, quæ pertinent ad humani generis redemptionem, quemadmodum testatur apostolus 1. Cor. 1. & 2.

Quod autem attinet ad voluntatem, haud dubiè

fides

fides hac quoque parte Dei donum est. Vt enim voluntas humiliter atque obedienter sese submittat veritati diuinæ, & intellectum suo imperio ad assensum moueat: non id à se habet, sed à Domino præparatur ac mouetur. In hoc igitur vtroque capite, dissenserunt à Catholicis Pelagiani, tam assensum mentis quàm inclinationem voluntatis non illuminanti ac mouenti gratiæ Dei, sed solis naturæ viribus tribuentes. Contra quos copiosè disputat Sanctus Augustinus libr. de prædestinatione Sanctorum, capite quinto & sexto, & alibi, quamquam sufficienter error ille refellitur ex ijs quæ capite superiori dicta sunt.

§. 12. *Vnam esse omnium fidem.*

S. Tho. 2. 2. q. 4. a. 6.

QVod sit semperque fuerit vna atque eadem omnium credentium fides, tam eorum qui Christi aduentum præcesserunt, quàm qui eum secuti sunt, non vno loco docet scriptura sacra. *Vnus Dominus*, ait Apostolus Ephes. 4. *Vna fides, vnum baptisma.* Et 2. Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur.* Et Sanctus Petrus Actor. 15. *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Et 4. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

In huius rei mysterium transfigurationi Christi interfuerunt duo ex veteri lege, & tres ex noua, vt omnium iustorum vtriusque temporis vnam esse fidem, quæ in Christum est, insinuaretur. Quod & significatum est per eos, qui præibant, & qui sequebantur Christum clamantes, Osanna: quemadmodum illud allegoricè exponit sanctus Gregorius homil. 17. in Ezech. sanct. Augustini quoque de hac re clara doctrina est libro de peccato originali capit. 27. vbi de iustis qui Christi aduentum antecesserunt loquens: Eadem & ipsi, inquit, mundabantur fide, qua & nos. Et tractat. 45. in Ioannem. Ante aduentum Christi, inquit, præcesserunt iusti; sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt non fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Eadem tamen fides vtrosque coniungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt, diuersis quidem temporibus, sed vtrosque per vnum fidei ostium, hoc est per Christum videmus ingressos: Nos credimus Dominum nostrum natum ex virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse. Totum hoc, sicut verba auditis præteriti temporis, impletum esse iam credimus. In eius sunt fidei societate nobiscum, & illi patres, qui crediderunt de virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascensurum. Hæc sanctus Augustinus. Apud quem similia habentur epistola 89. 155. & 157. Et libro secundo de nuptijs & conc. capit. 12. & in Psalm. 50. ad illud: *Redde mihi exultationem salutaris tui.* & libr. 18. de Ciuitate cap. 47.

Idem & ratione à simili ducta ostenditur. Est enim vna spes omnium qua ad eandem fœlicitatem tendunt, & vna charitas, qua omnia propter Deum diligunt: ergo & vna fides, qua ad eadem credenda veritati diuinæ acquiescunt.

Iam si quæras quomodo rectè vna dicatur fides omnium credentium, cùm vnusquisque suam habeat fidem ita à fide alterius distinctam, sicut ipse ab alio diuersus est, & animam suam habet ab alterius anima diuersam? Respondet sanctus Augustinus libr. 13. de Trinitate capit. 2. fidem, à qua fideles vocantur, ita communem esse omnibus fidelibus, sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cùm tamen singuli suas habeant. Non enim, inquit, fides numero est vna, sed genere; quæ cùm sit in vno est & in alijs, non ipsa sed similis. Propter similitudinem tamen & nullam diuersitatem, magis vnam dicimus esse quàm multas. Et paulò pòst: Sed ita dicitur eadem credentium fides vna, quemadmodum eadem volentium voluntas vna; cum & in his sit cuique sua voluntas. Quibus in verbis quod dicit, non numero sed genere vnam esse fidem in omnibus; non ita intelligendum, quasi & specie sit diuersa, sed generis nomine speciem quoque comprehendit Sanctus Augustinus.

Porrò eam fidei vnitatem sic ferè exponunt scholastici; quòd vna sit fides ratione obiecti, eò quòd formale fidei obiectum sit veritas prima, vtpote ratio credendi omnia quæ sub fide continentur, quantacunque alioqui in articulis fidei diuersitas reperiatur. Et rectè quidem hoc pacto docetur fidem in omnibus vnam esse specie: propterea quòd habitus speciem accipiant ex formali ratione obiecti. Sed iuxta hanc declarationem adhuc vna esset fides antiquorum & nostra, si illi per fidem creationis mundi, nos verò per fidem incarnationis Christi saluaremur: vel alij quicunque illis, alij nobis articuli fidei diuinitus ad credendum essent propositi; nimirum manente semper eadem ratione credendi, quæ est prima veritas. Quod sanè nec dictis Patrum, nec scripturæ sacræ videtur satis consentaneum. Quin potiùs vnitatem fidei in eo constituunt; quòd eadem credant omnes fideles omnium temporum & locorum, quemadmodum ex supracitatis scripturæ & Patrum testimonijs facilè est perspicere. Neque enim comparant fidem diuersorum articulorum inter se, cùm fidem vnam esse volunt; sed fidem quæ in diuersis est hominibus, eadem tamen credentibus. Non tantùm igitur ratione formalis obiecti, sed & materialis, vna est fides omnium, quia non tantùm propter idem credunt, sed etiam idem omnes credunt. Quod ex distinctione 25. magis planum euadet.

§. 13. *An possit haberi fides vnius articuli absque fide alterius.*

S. Tho. 2. 2. q. 5. ar. 3.

QVæri solet, an in eo qui articulorum ad fidem pertinentium alios credit, alios vel etiam vnum aliquem non credit, sit fides propriè dicta respectu eius quod credit.

Qua in quæstione diligenter imprimis distinguendum est, inter eos qui retenta generali promptitudine credendi quicquid ecclesia Catholica credit: per ignorantiam tamen in quibusdam fidei dogmatibus errant: propterea

quòd oondum fatis declaratum ijs sit, ita ecclesiam credere, & eos qui post manifestatā sufficienter ecclesię doctrinam, adhuc ab ea vel contrarium asserendo, vel certè dubitando dissentire eligunt. Quod hæreticorum est propriũ. Nam de illis prioribus facilis est responsio; eos veræ fidei communionem cum reliquis Catholicis habere, in ea parte doctrinæ Catholicæ, de qua qood verum est tenent. Fidem enim istam in vniuersali atque in habitu, vt loquuntur, totam atque integram retinent, dum quicquid ecclesia credendum tradit, suscipere se ex animo profitentur. De quorum numero fuit Cyprianus asserens irritum esse baptisma hæreticorum; ideoque eos qui ab illis baptizati ad ecclesiam redirent, iterum baptizandos esse. Et si qui Cypriano similes in alijs quibusdam dogmatibus inter patres extiterunt. De his verò, id est de hæreticis partem aliquam sanæ doctrinæ retinentibus, difficilior est quæstio & in vtramque partem probabiliter à doctoribus disputata.

Quòd enim in ijs vera sit fides articulorum in quibus non errant, primùm experientia conuincere videtur. Multi enim hodie negantes verbi gratia purgatorium, vel sanctorum inuocationem, nihilominus firmiter tenent tanquam diuinitus reuelatum, Deum esse trinum & vnum, filium Dei incarnatum & passum, aliaque huiusmodi. Quemadmodum & olim Nouatiani excepto proprio dogmate, quo relapsos à reconciliatione repellebant, cætera ferè cum Catholicis habebant communia: vt eorum partes etiam contra Arianos egregiè adiuuarent, vt est apud Socratem in eccles. hist.

Deinde id ostenditur exemplo apostolorum; qui tempore passionis Christi scandalum passi fidem in illum amiserunt; quibus suam incredulitatem etiam post resurrectionem Christus exprobrauit Mar. vltim. & Thomam propter negatam resurrectionem incredulum vocat, Ioan. 20. Vnde & Augustinus præfatione in psal. 96. dicit post resurrectionem Christi reuocatam fidem eorum qui ceciderunt. Atqui dicendum non est apostolos tunc amisisse fidem trinitatis, creationis mundi, æternæ vitæ & similium.

Præterea Iudæi ante Christi aduentum fidem habebāt vnius Dei creatoris cæli & terræ. Qui etsi veram fidem Messiæ perdiderunt, quando Christum venientem recipere noluerunt: non tamen dicendi sunt etiam vnius Dei fidem perdidisse, sed eadem qua priùs firmitate, hunc fidei articulum tenuerunt.

Adde quòd tam Iudæi quàm hęretici, dicentes se vel libros prophetarum, vel euangelia quatuor recipere tanquam verbum Dei, non videntur arguendi mendacij: cùm satis appareat, eos verè in illis diuinam authoritatem agnoscere: licèt verum sensum non teneant. Vnde illud: *Scio quia credis*, Act. 26. Retinent ergo fidem circa eas scripturas tanquam diuinas.

Postremò manifestum est multa Dei dona etiā in malis imò & extra ecclesiam reperiri. Quare nihil vetat, quò minùs Iudæi & hęretici quamuis in multis errent: in alijs tamen sic diuinitus per fidem illustrati sint vt rectè credant.

Ita docere videtur Augustinus in libro de vnico baptismo contra Petilianum capite 3. his verbis. Quemadmodum Iudęus cùm ad nos venerit vt Christianus fiat: non in eo destruimus bona Dei, sed mala ipsius. Quòd enim vnum Deum colendum credit, qui fecit cælum & terram, quòd omnia idola & sacrilegia gentium detestatur, quòd futurum exspectat iudicium, quòd vitam sperat æternam, quod de carnis resurrectione non dubitat: laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda firmamus. Ita etiam cùm ad nos venerit schismaticus vel hæreticus vt Catholicus fiat: schisma eius & hæresim dissuadendo & destruendo rescindimus, sacramenta verò Christiana, si eadem in illo inuenimus, & quicquid aliud veri tenet, absit vt violemus. Hęc ille, similia quædam subiiciens proximo capite de idololatra. Quinto autem capite rursum

B dicit Iudæo nos dicere: Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas, sed crede iam Christum resurrexisse à mortuis, quod non credebas. Et alia quæ sequuntur. Non dissimilis est locus apud eundem in libro de patientia: vbi postquam capite 26. patientiam hominis schismatici pro Christi fide aduersa tolerantis laudandam esse dixisset, proximo capite etiam donum Dei esse confirmat: eam nimirum qua quispiam ab ecclesia separatus, non pro errore qui eum separauit: sed pro veritate sacramenti seu verbi, quæ apud eum remansit, ne pœnas sustineat æternas, pœnas

C patitur temporales. Neque enim, inquit, hoc non est bonum: vt credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negauerit Christum: & pro ista fide qualecunque supplicium perferat & contemnat humanum; & quæ sequuntur vsque ad finem libri: quibus ostendit multa Dei dona, & inter hæc fidem, non quidem per charitatem sed per elationem vel timorem operantem, ijs qui sunt extra ecclesiam, communia esse posse. Nonnulla eodem spectantia leguntur libro 3. de baptismo contra Donat. cap. vlt. & in psal 64.

D Porrò contrarium suadere videtur hæc ratio. Formale obiectum fidei est veritas prima, quatenus homini manifestatur per ecclesiæ doctrinam tanquam regulam diuinam atque infallibilem: quare quicunque huic regulæ non inhæret, licèt assentiatur ijs quæ fidei sunt, non tamen fide, sed alio assensus genere ea complectetur; quemadmodum si quis assentiatur conclusioni non cognito medio demonstrationis, non scientiam sed opinionem duntaxat illius habet conclusionis. Quod autem hæreticus dictæ regulæ non inhæreat, manifestum est: quia si ei inhæreret

E tanquam diuinæ & infallibili sine exceptione omnia susciperet quæ ecclesia docet ac proinde nec hæreticus esset. Ad hunc modū ratiocinatur Sanctus Thomas 2. 2. quęst. 5. art. 3. A quo tamen dissentit Durandus in hanc distinctionem, putans in hęretico posse veram esse fidem respectu articulorum in quibus non errat. Alij vt Scotus & Bonauentura rem non planè definiunt, sed medium quid eligere videntur. Nam ille fidem infusam cuiuscunque articuli negat inueniri posse in hæretico: quia alioqui simul starent, vt

F ait, fides & hæresis: tametsi fateatur in eo remanere fidem acquisitam, qua credat alijs articulis in quibus non errat. Hic verò cùm dixisset hæreticos non habere virtutem fidei respectu articulorum quos adhuc retinent, sed ijs credere ex persuasione humanę rationis, postea addit. Si quis tamen de fideli & Catholico fiat hæreticus & remaneat ei cognitio alicuius articuli, non habet eam omnino per acquisitionem; nec tamen dicendum est habere virtutem: quia ibi illuminatio prior permixta est quodammodo falsitati erroris, & ideo non habet perfectionem competentem virtuti.

Sic

A Sic ille, satis indicans non tantùm fidem acquisitam, quæ tamen & ipsa Dei donum est, sed & infusam aliqua parte consistere cum errore hæretico. Nec refert virùm illuminatio veritatis falsitatem erroris cum qua permiscetur præcesserit, an sequatur. Eadem enim est ratio.

Accedit ad horum Scholasticorum post Augustinum authoritatem, quòd non sit alienum à consuetudine fidelium dicere, hæreticos non habere fidem integram: quomodo & in symbolo Athanasius loquitur, per quod innui videtur, eos fidem adhuc aliqua ex parte retinere. Accedit & aliud. B Nam si quæcunque vera ad fidem pertinentia tenet hæreticus vel Iudæus, ea non ex fide tenet, sed alio modo: videlicet propria tantùm voluntate & iudicio sequetur omnem illam præclaram; quæ in illis reperitur de Deo & rebus diuinis cognitionē, non gratiæ Dei, sed viribus liberi arbitrij tribuendam esse. Quod est contra Augustinum tum alibi, tum nominatim in fine lib. 1 de potentia, vbi eam reputat inter dona Dei, sicut prophetiam & mysteriorum scientiam.

Ad rationem verò ex aduerso propositam, respondetur, fidei impertinens esse per quod mediū C primæ veritati credatur; id est, quo medio Deus vtatur ad conferendum homini donum fidei. Quamuis enim nunc ordinarium medium sit Ecclesiæ testificatio & doctrina: constat tamen alijs vijs seu medijs fidem collatam fuisse aliquando, & adhuc conferri. Nam antiqui multi vt Adam, Abraham, Melchisedech, Iob ex speciali reuelatione; apostoli ex Christi miraculis & sermone, rursum ex apostolorum prædicatione & miraculis alij, fidem conceperunt, alij denique alijs modis crediderunt, cùm nondum de infallibilitate doctrinæ ecclesiæ quicquam eis esset annunciatum. Paruulis D quoque per baptismum absque alio ministerio fidei donum infunditur. Sic ergo fieri potest, vt aliquis non inhærens doctrinæ ecclesiæ tanquam regulæ infallibili, quædam ad fidem pertinentia pro Dei verbo recipiat: quia vel nunc, vel olim miraculis confirmata sunt: vel etiam quia veterem ecclesiam sic docuisse manifestè videt, vel alia quacunque ratione inductus, licèt alia quædam credere recuset.

Neque tamen propterea fatendum erit hæreticos aut Iudæos fidem habere, sed fieri partem aliquam. Fides enim significat aliquid integrum, & E & omnibus suis partibus completum: vt sit idem fides simpliciter, & fides Catholica: quæ nimirum absolutè hominem fidelem & Catholicum constituat. Vnde hæreticus simpliciter infidelis esse, & fidem amisisse, & iuxta apostolum 1. Timoth. 1. fidei naufragium fecisse dicitur, licèt quædam eâ teneat firmitate assensus, & promptitudine voluntatis, qua ab alijs omnia quæ fidei sunt, tenentur.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMQVARTAM.

§. 1. *Fides circa quid versetur.*

QVemadmodum in cæteris habitibus cognitiuis, ita in fide, vt circa quid versetur, rectè intelligamus, duplex obiectum distinguendum est: formale & materiale. Materiale fidei obiectum est res ipsa per fidem cognita: Formale verò illius rei cognoscendæ ratio: quam proinde formalem rationem obiecti vocant. Ea autem ratio est prima veritas, siue Deus in quantū verax. Omnis enim fidei assensus diuinæ veritati tanquam rationi nititur, & propterea quicquid ad fidem pertinet, siue scriptum siue non scriptum, verbum Dei vocatur: quia tum demum ei fide creditur, quando creditur vt verbo Dei quod in Thessalon. laudat apostolus 1. Thess. 2. Hanc obiecti rationem indicauit Dionysius, quando capite 7. de diuinis nominibus, dixit fidem versari circa simplicem & semper existentem veritatem, quæ non alia est quam veritas prima. Res autem per fidem cognita, quam diximus esse materiale eius obiectum, non est solus Deus, sed præter eum multa alia diuinitus reuelata, & propter diuinam veritatem credita. Quę tamē ipsa sub fide non cadunt, nisi vt ordinem aliquem habentia ad Deum: quatenus nimirum per ea tanquam quosdam diuinitatis effectus adiuuatur & ordinatur homo ad ea quæ sunt æternæ beatitudinis. Cuiusmodi sunt omnes articuli fidei, & quicquid ad eos reducitur. S. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 1. & 2.

Hic iam si quæratur, vtrùm fidei obiectum complexum sit an incomplexum? respondendum est, quod etsi res simplices, quatenus de ijs aliquid ad religionem pertinens affirmatur vel negatur, possunt aliquo modo materiale fidei obiectum dici: cuiusmodi sunt, Deus, beatitudo, inferi, mundus, ecclesia, charitas; minùs propriè tamen hoc dici. Nam quemadmodum id quod videtur est propriè obiectum visus: ita quod creditur, obiectum fidei. Hoc autem quod creditur enunciatio est vel enunciabile, non autem res aut vocabulum simplex. Credimus enim verbi gratia Deum esse trinum, mundum esse à Deo conditum, primum hominem peccasse, & cætera quæ non voce simplici sed enunciatione significantur. Quare fidei obiectum propriè est complexum quid atque enunciabile. Idem patebit consideranti genus fidei. Fides enim assensus quidam est: assensus autem omnis non res simplices sed earum complexionem enunciatione aliqua significatam respicit. Quare fidem circa complexa versari necesse est, F sicut & errores fidei contrarios: vt Deum esse authorem peccati, filium Dei non esse patri æqualem &c.

§. 2. *Fidem eorum tantùm esse quæ non videntur.*

VErsatur fides Theologica tantummodo circa ea quæ non videntur: id est circa ea quæ non eiusmodi sunt, vt vel intellectum, vel sensum S. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 4. & 5.

nostrum per seipsa moueant ad sui cognitionem. Quæ enim huius sunt generis, vt prima principia scientiarum & obiecta sensuum, videri dicuntur, id est euidenter cognosci, quorum proinde nec fides, nec etiam opinio esse potest. Quod autem eorum non sit fides, docet apostolus Heb. 11. dicens, fidem esse argumentum rerum non apparentium, Græcè eorum quæ non videntur: idque exemplis aliquot sanctorum commonstrat, qui fide ea quæ non videbant, credita exspectabant, vt Noe, Abraham, Moysi & aliorum. Idem 1. Cor. 13. obscuritatem atque ineuidentiam eorum quæ creduntur, his verbis significauit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quæ verba ostendunt ea quæ fidei sunt, videri quidem aliquo modo. Siquidem & probabilia apud dialecticos videri dicuntur quatenus nimirum ijs aliquousque assentitur intellectus. Sed non eo videndi modo, quem scriptura & patres passim à fide remouent. Inter quos Augustinus tract. 27. & 40 in Ioannem, & alias sæpe fidem hac notione designat: Fides est credere quod non vides. Et tract. 79. in Ioan. Hæc est laus fidei, si quod creditur nō videtur. Et rursus in illud Ioan. 14. *Vado parare vobis locum*, ait: Eat Dominus, vt paret locum: eat vt videatur, lateat vt credatur. Eadem eius doctrina est lib. 2. quæst. euang. q. 39. & lib. 13. de trinit. capite 1. & 2. Similiter docet Gregorius hom. 26. in euangelia & lib. 4. dialog. cap. 5. Apparentia, inquit, non habent fidem, sed agnitionem. Et iterum: Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Idem ostenditur cessatione seu euacuatione fidei quæ futura est succedente visione patriæ, quemadmodum testatur apostolus 1. Cor 13. Ideo enim fides euacuari dicitur, & non perfici sicut charitas: quia imperfectionem quandam, nimirum obscuritatem & inenidentiam in sui ratione inuoluit: quæ auferetur per manifestationem veritatis in futuro seculo vbi & ipsius Dei & omnium quæ prius credebantur erit clara & euidens cognitio. Ea igitur imperfectione sublata de qua dicit apostolus, nos in ænigmate videre & ex parte cognoscere, sicut & ex parte prophetamus, ipsa quoque fides tolletur: & in visionem commutabitur, non ob aliud, quàm quia in fidei ratione imperfectio illa includitur.

Sicut autem fides non est eorum quæ videntur, ita nec eorum quæ sciuntur, id est, demonstratiuè cognoscuntur. Hæc enim cùm demonstrentur ex principijs per se notis, & proinde visis: ipsa quoque aliquo modo, id est, in suis principijs ex quibus certò & euidenter colliguntur, visa esse oportet. Quare fides circa eadem esse non potest.

---

§. 3. *Diluuntur argumenta in contrarium.*

S. Thom. vbi sup.

VT quæ dicta sunt, planiora euadant, adferemus responsionem ad ea argumenta quibus apparet etiam ea quæ videntur vel sciuntur, fide suscipi. Quale in primis est illud Domini ad discipulos Ioan. 14. *Dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis*. Quod cùm de facti experientia intelligatur, consequens videtur fidem esse rerum per experientiam cognitarum.

Deinde Ioan. 20. cùm dixisset S. Thomas:

A *Nisi videro non credam*, Christum videlicet rediuiuū, dixit ei Dominus iam credenti: *Quia vidisti me Thoma credidisti*.

Tertiò. Cæteri quoque apostoli, & beata virgo, multique alij fideles, quod viderunt, hoc crediderunt: Christum videlicet hominem, passum, mortuum, sepultum, à mortuis resurgentem & in cælos ascendentem & alia multa, quæ vel articulis fidei expressā, vel sacris literis mandata, fide sunt suscipienda. Vnde Ioannes 1. epist. 1. ait. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ annunciamus vobis*.

B Quartò. Philosophus aliquis sciens per demōstrationem, vnum esse Deum omnium rerum principium & causam, potest eundem accipere fidem, manente priori cognitione: si videlicet è pagano fiat Christianus: Tunc enim talis philosophus dicere debebit: Credo in Deum. Erit ergo in eodē eiusdem scientia & fides.

Quintò: Certior est noticia fidei quàm experiētiæ vel demonstrationis, ergo qui per experientiam vel demonstrationem nouit aliquem fidei articulū: vt verbi gratia Christum mortuum esse, aut Deum æternum esse: debet illi noticiæ adhuc addere eam quæ fidei est, & veritati diuinæ nititur. Nisi enim C hanc noticiam supra priorem adiiciat, nō cognoscet illos articulos vt Christianus, sed tantùm vt sensum vel rationem sequens.

Sextò Augustinus in psal. 118. conc. 18. Alia sunt, inquit, quę nisi intelligamus, non credimus; alia quæ nisi credamus non intelligemus. Est ergo fides aliquorum, quæ intelliguntur, id est, quæ ratione comprehenduntur.

Ad hæc ita respondemus. Ad primum quidem fidem eo loco generaliter accipi, vt extendatur D etiam ad ea quæ videntur: sicut cùm dicitur aliquis oculis suis credere, quem sensum ex Augustino indicat Magister, vel certè hunc esse sensum: Multa futura vobis prædixi: vt cùm ea facta & completa videritis credatis me esse Christum Dei filium: non quidem noua fide sed aucta & firmiore. Quem sensum eodem loco adfert Augustinus, & post eum Gregorius homil. 26. in euangelia & confirmat alter locus similis in capite proximè præcedente vbi dicitur: *Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis, quia ego sum*. Ex quibus omnino E apparet hunc sensum eius loci esse genuinum.

Ad secundum respondent ijsdem locis Augustinus & Gregorius, S. Thomam aliud vidisse, aliud credidisse: Hominem enim vidit & Deum credidit. Quomodo & alibi ab Augustino dictum est de Christo: Apparuit inter homines homo, offerens hominem videntibus, Deum seruans credentibus serm. 26. de tempore.

Sed contra hanc responsionem est, quod ibi F non agebatur de articulo diuinitatis Christi, nisi forte ex consequenti, sed de articulo resurrectionis eius secundùm carnem. Vnde & iubebatur S. Thomas palpando explorare veritatem corporis rediuiui. Et de resurrectione dixerat: *Nisi videro non credam*, & Dominus ad eum. *Infer digitum* &c. & *noli esse incredulus* scilicet de veritate resurrectionis.

Igitur pro huius argumenti & trium sequentium solutione sciendum est, quòd quāuis fides in sua ratione includat obscuritatem & ineuidentiam rei cognitæ, quantum attinet ad rē cognoscēdi: quatenus tamē in fide tantùm consideratur

certitudo

certitudo cognitionis accepta ex reuelatione diui- A
na, eatenus nihil prohibet eam consistere cum experientia & demonstratione: quemadmodum rectè de apostolis & philosopho ad fidem conuerso probant in contrarium adductæ rationes. Sicut enim aliquid simul ab eodem cognosci potest demõstratione ex causa & effectu: itemque ratione probabili & certa: & rursum cognitione sensitiua & intellectiua: ita nihil vetat quippiam cognosci ab aliquo per experientiam vel demonstrationem, quod tamen ab eodem etiam cognoscitur & quidem certiùs per diuinam reuelationem. Non tamen illud
ab eo qui eius scientiam vel experientiam habet, fi- B
de cognosci dicitur, considerata secundùm totam amplitudinem suæ significationis: quia non habet eius inéuidentem noticiam. Incuidentiam enim tam sensus, quàm demonstratio excludit. Et nihilominus talia aliquando credi dicuntur generali ratione, vt suprà diximus. Quomodo rectè accipitur dictum S. Thomę apostoli & respõsio Christi. Nam & Augustinus ita loquitur in psal. 56. Super omnem terram, inquit, gloriam Christi non tantùm credimus, verùm etiam videmos. Et notum est illud philosophi de assensu principiorum: Oportet
discentem credere, & apud dialecticos qualecunq; C
argumentum fidem facere dicitur. Imò doctores Theologi passim sic loquuntur, vt quasdam propositiones statuant esse de fide, ac nihilominus doceant eas euidenter notas esse per demonstrationem, velut istas: animam esse immortalem; in homine esse liberum arbitrium: vnum esse Deum: Ecclesiam quæ adhæret Romano pontifici esse ecclesiam ab apostolis cõgregatam; mundum ab vno Deo gubernari.

Quod postremo loco ex Augustino obiicitur,
non ita accipiendum, quasi inter ea quæ ad Chri- D
stianam fidem pertinent, quædam sint quæ prius ratione comprehendamus, deinde fide suscipiamus: alia verò quæ priùs fide susceptà, postea comprehendamus ratione. Sed Augustini verba de vno eodemque fidei pronunciato sunt accipienda hoc sensu. In vna eademque propositione, quæ credenda proponitur, aliquid est quod prius intelligimus, quam propositionem fide complectamur: & aliud est quod credere debemus, priusquam eius intelligentiam assequamur. Nam vt subiungit Augustinus, cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei: quomodo credit prædicanti fidem: qui
vt alia taceam, linguam ipsam, qua loquitur, non in- E
telligit? Vult ergo Augustinus ad eam fidem quæ ex audito est, suscipiendam, necessarium esse vt pręcedat grammatica saltem & vulgaris verborum quibus vtitur fidei prædicator, intelligentia. Primũ enim intelligi debet sermo prædicantis, deinde fides eius verbis accommodanda. Postremò tanquam fidei merces exspectanda est ipsius rei prædicatæ & creditæ intelligentia, imperfecta quidem in hoc sæculo, perfecta verò in futuro, iuxta illud Isa. 7. secundùm 70. *Nisi credideritis non intelligetis.*
F

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMQVINTAM.

§. 1. *Absque fide mediatoris neminem potuisse vnquam saluari.*

POst lapsum primi parentis semper omnibus hominibus ad salutem necessaria fuit fides redemptoris seu mediatoris. Neque putandum est vnius Dei rerum omnium creatoris ac gubernatoris noticiam, potuisse cuiquã aliquando ad salutem sufficere. Cuius ratio est, quia salus æternæ vitæ nemini contingere potest sine iustitia huius vitæ. Iusticia autem huius vitæ, siue ex parte remissionis peccatorum, siue ex parte bonæ operationis absque fide mediatoris haberi non potest. Cùm enim peccato primi hominis totum genus humanum ità deprauatum sit, vt se per seipsum, id est, per ea quæ in natura accepit ad iusticiam erigere non possit, opus fuit liberatore aliquo per quem iusticiam recuperaret. Hic autem liberator, idemque redemptor ac mediator æterno Dei decreto futurus erat filius Dei; qui carne assumpta per passionem & mortem humano generi reditum ad iusticiam pararet. Constitutum quoque fuit eodem Dei decreto: neminem illius redemptionis participem fore; nisi per fidem, qua in redemptorem ipsum crederet, & credendo beneficium redemptionis agnosceret: vel assensu proprio; vt adulti, vel alieno vt paruuli. S. Tho. 1. 2. q. 2. ar. 7.

Potest id etiam hoc pacto ostendi. Extra Ecclesiam non est salus: atqui totius ecclesiæ caput Christus est: nemo ergo saluatur nisi fiat mẽbrum Christi. Hoc autem fieri non potest nisi credat in Christum. Nemo quippe Christo incorporatur nisi per fidem Christi, qua eum credat redemptorem suum.

Cæterùm hæc doctrina multò certiùs ex scriptura sacra ostenditur. Testatur enim Petrus Act. 4. *non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri*, quàm nomen Christi. Hoc autem de fide nominis Christi intelligendum esse, vel ex ipsa Petri pędicatione manifestum est, quẽadmodum & disertè declarat idem apostolus Act. 15. *Per gratiam*, inquiens, *Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, sicut & illi*, scilicet patres nostri se saluari credebant.

Hanc fidei in Christum necessitatem ipse Christus in euangelio frequenter inculcat, vt Ioan. 1. 3. 6. 8. & alibi, & Paulus in epistulis suis, potissimùm ad Roman & Gal. Vnde illud Roman. 3. *Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.* Et infrà: *Quem proposuit Deus propiciationem per fidem in sanguine ipsius.* Et illud Gal. 2. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Et cap. 3. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Imò quæcunque probant neminẽ saluari sine

Christo redemptore ac mediatore, eadem valent ad probandam fidei in Christum redemptorem ac mediatorem necessitatem. Cùm scriptura sacra hæc duo Christum & fidem Christi, quod ad necessitatem salutis attinet, pro iisdem habeat: propterea quòd præsupponat neminem redemptionis Christi sine fide redemptoris Christi participem effici. Vnde & patres duo illa quæ diximus pro iisdem habuerunt, & de vtriusque necessitate similiter disputauerunt, quemadmodum patet ex epistola Augustini ad Optatum, quæ est 157. l. de corrept. & grat. cap. 7. lib. 2. de nuptijs & conc. cap. 12. & ex homilia 17. Gregorij super Ezechielem, quæ loca à Magistro citantur.

Præter quæ sunt & hæc notatu digna. Augustinus epistola 89. tractans illa apostoli verba 1. Tim. 2 *Vnus est mediator*, &c. Ideo, inquit, vnum Christum ad iustificationem nobis prodesse commemorat apostolus: vt sciamus etiam antiquos iustos, quicunque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos: fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut à nobis facta annunciatur. Ideo idem apostolus Christum hominem dicit, cùm sit & Deus: ne quis existimet antiquos iustos per Deum tantummodo Christum, id est, per verbum quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis eius, qua & homo Christus dicitur, potuisse liberari. Sententia quippe ista destrui non potest, de qua & alibi dicit *Per vnum hominem mors, & per vnum hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Idem Augustinus epistola 95. dicit fidem Christi quæ postea in reuelationem venit, in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum; per quam tamen ipsi Dei gratia liberati sunt, quicunque omnis generis temporibus liberari potuerunt. Et libro de peccato originali cap. 24. sic ait: sine fide incarnationis & mortis & resurrectionis Christi: nec antiquos iustos, vt iusti essent, à peccatis potuisse mundari & Dei gratia iustificari, veritas Christiana non dubitat; siue in eis iustis quos sacra scriptura cõmemorat, siue in eis quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt: vel ante diluuium vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filijs Israel, sicut fuerunt prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eâdem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritumsanctum, qui vbi vult spirat, non merita sequẽs, sed etiam ipsa merita faciens. Hæc ille. Apud quem similis ac breuis est sententia sub finem libri 3. hypognosticon: Tempora, inquit, mutata sunt, non fides. Iustificatio ergo per fidem Iesu Christi data est, datur & dabitur credentibus.

Præclarè verò Leo I. in eandem sententiam ita scriptum reliquit serm. 3. de natiuitate Domini: Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena: vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertineret; nec turbarent nos, sed potiùs confirmarent mysteria pro temporum ratione variata: cùm fides, qua viuimus, nulla fuerit ætate diuersa. Et paulò pòst: Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquẽtes de Dominicæ natiuitatis tarditate causantur: tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod vltima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta & sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt apostoli, hoc annunciauerunt prophetæ. Nec serò est impletum, quod semper est creditum. Hactenus Leo.

Rectè igitur concludit Magister quod ab apostolo dictum est Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Oportere id quidem sicut testatur apostolus, at non sufficere, sicut probant superiora. Faciunt ad huius doctrinæ declarationem tum quæ ad distinctionem primam huius libri dicta sunt de necessitate & tempore aduentus Christi in carnem, tum quod ostensum est ad distinctionem 23. fidem omnium temporum vnam esse.

§. 2. *Quorum explicita fides sit Christianis necessaria.*

PRo explicatione quæstionum præsentis distinctionis, scire oportet fidem alicuius articuli aliam esse explicitam, aliam implicitam vt Scholastici vocant. Magister illam distinctam appellat, hãc velatam: & rursum illam in aperto, hanc in mysterio. Fides explicita est, qua quid creditur secundùm se & in particulari, & vt loquuntur, in propria forma. Implicita verò, qua quid creditur in alio tanquam in vniuersali: Velut si quis ex animo profiteatur se credere quicquid credit ecclesia: & verũ esse quicquid in scriptura sacra continetur: is quidem istud vtrumque quod expressè profitetur, tenet explicita fide. Implicitè verò credit verbi gratia, septem esse sacramenta ecclesiæ, Abraham habuisse duos filios, & quicquid aliud in illis generalibus explicitè creditis continetur, dum tamẽ in particulari non teneat pertinaciter aliquid alicui eorum, quæ in generalibus illis continentur contrarium. S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. & seq.

Hac præmissa fidei distinctione vidẽdum quænam explicitè credenda sint Christianis, & quænam implicitè credere sufficiat. Primùm quidem constat inter doctores omnibus Christianis omnes fidei articulos; id est, omnia fidei dogmata aliquo modo esse credenda, vtpote vel explicitè vel saltem implicitè. Certum quoque est nulli Christiano ratione vtenti sufficere, si omnia quæ ad finem pertinent, implicitè credat, verùm aliqua illi etiam explicitè credenda esse. Illud etiam veritati consonum est: neminem esse Christianum, à quo omniũ fidei dogmatum explicita seu distincta cognitio, vt ad salutem ei necessaria, requiratur. Vnde consequens est sicut quædam fidei dogmata implicitè credere sufficit, ita quorundam explicitam fidem esse necessariam.

Quæritur ergo quibus hominibus & quorum dogmatum vel explicita fides post Christum sit necessaria, vel implicita sufficiat? De qua quæstione propter ingeniorum, locorum & temporum varietatem, nec facilè pronunciari, nec vna proferri potest sententia. Magister affirmat §. 1. quòd tempore gratiæ oporteat vniuersa credi quæ in symbolis continentur. Sed idem §. 2. dicit in ecclesia quosdam esse minùs capaces, qui articulos fidei distinguere & assignare non valent. Omnia tamen credũt quæ in symbolo cõtinentur.

Credunt

Credunt enim, inquit, quę ignorant, habentes fidem velatam in mysterio. Quæ Magistri verba quæstionem propositam non absoluunt.

Sanè dicendum videtur, imprimis, vnumquemque Christianum teneri ad distinctam seu explicitam fidem eorum articulorum, quorum distincta cognitio ad vitam rectè instituendam est necessaria. Deinde ea fidei dogmata quæ publicè sunt satis obuia in ecclesiastica doctrina; siue per prædicationem pastorum, siue per frequentationem festorum & vsum ceremoniarum, explicitè tenenda sunt omnibus ijs qui iusta ratione non impediuntur; quo minus ea sic publicè in ecclesia proponi atque doceri videant, audiant & intelligant, eoque magis quo circa talia docenda maior versatur ecclesiæ cura. Cuiusmodi fere sunt quæ diligentiùs inculcari solent contra grassantes hæreses; velut hoc tempore dogmata de veritate corporis Christi in eucharistia, de sanctorum inuocatione, animarum purgatorio, indulgentijs & similia. Excipimus iustum impedimentum; quia posset quis esse tanto stupore ingenij, vel à locis Christianorum vbi hæc docentur tam remotus per captiuitatem vel alio quocunque casu; vt à talibus explicitè credendis meritò censeretur excusatus.

Porrò ij quorum munus est alios docere, vt sunt episcopi & pastores, præter supradicta tenentur etiam de scriptura sacra, de conciliorum pontificumque decretis, de doctrina patrum & traditionibus ecclesiasticis tantùm non modò explicitè credere; verumetiam aliquousque scire & intelligere, quantum sui muneris rectè exsequendi ratio postulat. Quæ res de singulis exactè atque in indiuiduo, vt aiunt, præscribi non potest. Doctè disputat hac de re Bonauentura in hac distinctione. q. 3.

---

§. 3. Quatenus distinctam mysteriorum fidem habuerint quidam antiqui.

S. Tho. 2. 2. q. 2. a. 7. DE fide antiquorum, id est, eorum qui Christi aduentum præcesserunt differens Magister § 2. rectè distinguit inter maiores seu illustriores quales erant patriarchæ & prophetę, & minores seu simpliciores, qualis erat reliquus populus: quod illi distinctam mysteriorum incarnationis Christi reuelationem acceperant, hi verò eorundem noticiam velatam. Verùm id non ita accipiendum, quasi prophetæ de mysterijs humanæ redemptionis tantam, tam perfectam atque distinctam cognitionem habuerint, quantam & qualem habuerunt vel apostoli, vel apostolorum discipuli & successores. Reclamat enim veritas in euangelio quæ dicit ad apostolos Matth. 13. *Vestri beati oculi quia vident & aures vestræ quia audiunt: quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Vnde Bernardus in epistola 77. scribens ad Hugonem de sancto Victore & contra eius opinionem disputans, citatis verbis iam memoratis. Quare, inquit, voluerunt videre & audire? vt videlicet clariùs largiùsque perciperent, quod vix tenuiter obscureque præsenserant. Alioqui quid erat opus foris videre carnem, & carnis audire sermones, si iam intus à spiritu fuerant instructi perfectè de omnibus? Hæc ille. Quod ergo à Magistro dicitur ita intelligendum est, Veteres illos in populo Iudaico illustriores, distinctam quidem multorum mysteriorum redemptionis humanæ noticiam habuisse; velut natiuitatis Christi, passionis, mortis, resurrectionis & similium, sed eam multis partibus imperfectiorem atque obscuriorem, quam vel apostoli habuerunt, vel qui ea ab apostolis didicerunt. Aliud est enim prophetıcè, ac velut per nebulam aliquid futurum cognoscere; siquidem lex vmbra est futurorum, aliud rem dum geritur coram videre, vel eam vt gesta est ab oculatis testibus accipere. Ad eundem modum intelligere oportet quod est apud Augustinum in psal. 56. vbi de Dauide sic ait: Vidit Dominum in spiritu iste propheta, humiliatum, cæsum, flagellatum, colaphis percussum, expalmatum manibus, sputis illitum, spinis coronatum, ligno suspensum, &c. Hæc, inquam, particulatim omnia vidit forsasse vidit Dauid in spiritu, non tamen ita perfectè & distinctè secundùm totum ordinem, modum & tempus rei gestæ; quomodo ea visa & cognita sunt ab apostolis. Hinc idem Augustinus præfatione in psal. 96 dicit quòd licèt magnam iucunditatem habuerint prophetæ, quando in spiritu videbant futura de Christo, tamen volebant, si fieri posset in hoc tempore nobiscum viuere, & videre impleta quæ spiritu prophetabant. Quamuis enim, inquit, viderent ista in spiritu, tamen futura illis quodammodo formabantur; Apostolis autem iam præsentia reddebantur, &c.

Quod autem Abraham in euangelio vidisse diem Domini dicitur: rectè ad eam noticiam refertur, qua in limbo constitutus vidit, id est, certò cognouit Christum iam in carne venisse: eo nimirum cognoscendi modo, qui animę separatæ competit de re iam existente; sicut Simeon iustus pro magno beneficio accepit à domino, vt Christum oculis corporeis in carne videret. Quare vtróque etiam hoc exemplo ostenditur, perfectiorem mysteriorum Christi noticiam collatam ijs qui ea viderunt impleta, quàm qui prǫuiderunt futura.

Exstat hujus rei luculentum testimonium apud Gregorium hom. 16. in Ezech. vbi quid antiqui de Deo vel sciuerunt vel ignorauerunt disputans, inter cætera dicit: Sciendum est quia per incrementa temporum creuit scientia spiritualiũ patrum. Plus námque Moyses quàm Abraham, plus prophetæ quàm Moyses; plus apostoli quàm prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Et probat per has scripturas Dan. 12 *Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia.* Exod 6 *Apparui illis in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Psal. 118 *Super omnes docentes me intellexi; & super senes intellexi.* Et postremò per illud Luc. 10. *Multi reges & prophetæ voluerunt videre, &c.* Post quæ de apostolis ita concludit: Plus ergo quàm prophetæ de diuina scientia nouerunt; quia quod illi solo spiritu viderant, ipsi etiam corporaliter videbant. De toto autem ecclesiæ decursu sic subiecit. Quia quãto mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur. Cui prorsus simile est quod apud eundem legitur lib. 9. moral. cap. 6. Vrgente mundi fine superna scientia proficit, & largiùs cum tempore excrescit. Et paulò pòst, Quicquid in sanctæ ecclesiæ initijs latuit, finis quotidie ostendit. Quanquam ab hac Gregorij sententia dissentire videtur S. Thomas, qui 2. 2. q. 1 ar. 7. ad 4. tribuit eis pleniorem mysteriorum cognitionem, qui Christo fuerint propinquiores, vel ante vel post; vt Ioanni baptistæ, tanquam vltimo prophetarum, & apostolis tanquam primis euangelij præconibus.

§. 4. *Quæ fides mediatoris fuerit ante Christi aduentum necessaria.*

Tho. 2. 2. q. 2. ar. DVm quæritur apud Scholasticos, quatenus distincta & explicita cognitio mediatoris fuerit antiquis, qui Christi aduentum præcesserunt, necessaria, hoc præcipuè in quæstionem vertitur. An debuerint omnes distinctè credere, se per mortem alicuius qui Deus esset & homo, liberandos esse, an verò suffecerit simplicibus & rudioribus credere Deum aliquo modo ipsi cognito liberaturum esse genus humanum, etiamsi modum liberationis & conditionem personæ, per quam fieri liberationem oporteret, ignorarent.

Quidam opinati sunt distinctam fidem istorum quatuor; nempe incarnationis, mortis, resurrectionis & aduentus ad iudicium antiquis omnibus ad salutem fuisse necessariam. Quam sententiam Magister §. 3. ita proponit vt videatur eam non improbare, idque propter authoritatem Augustini, à quo illa quatuor enumerantur lib. 2. de nuptijs & conc. cap. 12. tanquam communiter nobiscum ab antiquis credita. Ad quam rem & alia quędam Augustini loca proferri possunt vt epistola 89. & 95. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29. Itemque libro de peccato originali cap. 24. 25. & 26. Cuius libri 24. cap. hæc verba cæteris apertiora leguntur: Sine fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari veritas Christiana non dubitat. Et quæ sequuntur. Non dissimilis est locus lib. 3. hypogn. sub finem.

Hæc quoque sententia ex euangelio nullam probabilitatem accipit. In quo subinde innui videtur, vulgo Iudęorum persuasum fuisse Messiam quem exspectabant, Deum seu Dei filium futurum. Quò spectare putant illam Marthæ confessionem Ioan. 11. *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei*; & illam Nathanaelis primam ad Christum orationem Ioan. 1. *Tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Vnde & in concilio sacerdotum ac seniorum interrogatus fuit Dominus Matth. 26. num ipse esset Christus filius Dei: nimirum vna interrogatione vtrumque complectente. Et Centurio alijque milites visis miraculis in morte Christi factis dixerunt. *Verè filius Dei erat iste.* Adde quòd Ioannes Baptista apud promiscuam plebem Christum annuncians, & paulò pòst præsentem demonstrans ait Ioan. 1. *Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.*

Aliorum porrò sententia est, nihil istorum explicitè necessariò omnibus credendum fuisse, sed simplicibus pleniorē instructionem vel reuelationem non habentibus satis fuisse; si agnita corruptione naturæ per peccatum, generaliter crederent humanum genus inde liberatum iri modo aliquo diuinitus decreto, ipsis licèt incognito. Ita sentit Bernardus in epistola 77. ad Hugonem. Quòd si, inquit, prophetæ & qui illustriores videbantur in illo populo non omnes omnia liquidò æqualiter agnoscere valuerunt, sed alij plus alij minus: quātò magis simpliciores quique iusti, sine detrimento salutis, saluationis tempus, modum & ordinem nescire potuerunt: quæ tamen certa spe & fide, vti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt? Et infrà: Multi ergo ante Saluatoris aduentum, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes suæ salutis gra-

A tuitum promissorem: credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem in hac fide & exspectatione saluati sunt: licèt quando & qualiter & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Sic Bernardus. A quo hac in parte neutiquam dissentit Hugo Victorinus in libro de sacramentis ita scribens. Hæc sunt quibus ab initio recta fides haberi potuit. Credere videlicet vnum esse Deum, creatorem omnium & rectorem vniuersorum, Ipsum quidem non esse mali authorem, eorum tamen qui in malis suis misericordiam eius

B quęrerent & exspectarent, futurum redemptorem. Hoc simplicium fidei ab initio suffecisse credimus. Et tamen fidem natiuitatis eius, passionis & resurrectionis & ascensionis in hoc eos verissimè habuisse dicimus; quia credentibus & scientibus hæc, fide & deuotione adhæserunt. Et iterum. Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo salus & redemptio exspectabatur. Per quem autem, & quomodo eadem salus implenda & perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à cæteris fidelibus non co-

C gnoscebatur. Hæc ille, quibus satis consentiunt quæ apud Gregorium leguntur homil. 16. in Ezech.

Eadem est doctrina probatissimorum Scholasticorum, vt Bonauenturæ in hanc distinctionem, & S. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 7. vbi cùm in corpore articuli dixisset, minores ante Christi aduentum sub velamine sacrificiorum credentes ea diuinitus esse disposita, de Christo venturo quodammodo habuisse velatam cognitionem; plenius absoluit quæstionem in resp. ad 3. dicens; Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fue-

D runt saluati absque fide mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia; credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos; & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus reuelasset.

Notandum insuper quod in eodem articulo ex supradicta homilia Gregorij S. Thomas adiungit, antiquos illos ea quæ ad mysteria Christi pertinent, tantò difficiliùs, id est, obscuriùs cognouisse, quantò à Christo remotiores fuerunt, & tantò faciliùs, id est, clariùs cognouisse, quantò fuerunt

E Christo propinquiores; quod nimirum reuelatio cum tempore creuerit. Ea autem crescente creuit & obligatio fidei expressioris.

Hæc igitur cùm sit admodum probabilis sententia, non difficile fuerit argumēta contrariæ partis dissoluere. Augustinus enim nullam explicitæ fidei mentionem facit, & proinde possunt eius verba accipi in hunc sensum: vt significēt illorum quæ ab eo commemorantur mysteriorum qualemcunque fidem, siue apertam siue velatam, antiquis omnibus necessariam fuisse. Neque enim plus exigit Augustini contra Pelagianos suscepta disputatio: & satis fuit ei nominasse quæ præcipua sunt re-

F demptionis nostræ mysteria.

Ad obiectiones è scriptura petitas respondemus, primùm, ex ijs minimè consequens esse quòd antiquis omnibus fuerit necessaria fides diuinitatis Messiæ venturi, ac multò minùs passionis, mortis & resurrectionis & similium. Deinde potuisse vulgo Iudæorum videri, quod aliud sit filius Dei, aliud Deus: cùm nomen filij Dei scriptura tam vetus quàm noua etiam alijs non infrequenter attribuat. Et sanè credibile est, minùs aliquid de Christo sensisse Nathanaelem, quando

eum

eum statim initio confessus est filiũ Dei, quã Petrum qui propter confessionem verbo eius similem, factus est princeps apostolorum, & pastor ecclesiæ. Postremo vt quidam tunc ex simplicioribus sic fuerunt illuminati, vt Christum Deum agnoscerent; non tamen passim id cognitũ aut cognitu necessariũ fuisse, donec accederet plenior instructio & clarior reuelatio per doctrinam & miracula. Hoc demum adijcimus nec fidem expressam trinitatis fuisse semper omnibus ad salutem necessariam, quemadmodum disertè docet & probat Gregorius homilia supracitata. A quo non dissentit S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 8. dicens: eodem modo quo mysterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à maioribus, implicitè autem & quasi obumbratè à minoribus; ita etiam mysterium trinitatis. licèt ad vtrumque explicitè credendum omnes teneantur post tempus gratiæ diuulgatæ. Idem satis significant superius à nobis recitata verba Hugonis, ita nisi Magister in textu diuersum sentire B videatur: nisi forte quis totum §. 3. malit interpretari de maioribus, quemadmodum interpretatur Bonauentura, apud quem hanc habet inscriptionem: de prouectioribus ante aduentum Christi, vtrùm necesse fuerit eos credere omnia quæ modo creduntur?

§. 5. Qua fuerit fides Cornelij ante auditum euangelium.

S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 4.

QVærit Magister an Cornelius Centurio fidem habuerit incarnationis Christi, quando audiebat ab angelo Act. 10 *Orationes tuæ & eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Quod enim fidem vnius Dei tunc habuerit, satis apparet ex scriptura; quæ vocat eum religiosum & timentem Deum, cùm nec sine fide Deum orare potuisset, dicente apostolo Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Sed de fide incarnationis Christi sola quæstio est.

Ad quam respondendum videtur, Cornelium cùm gentilis esset, fidem suam quam habebat, à Iudæis inter quos versabatur, accepisse; ideoque de Deo quidem authore & rectore vniuersorum fidem habuisse explicitam; sicut & de eodem vt omnium bonorum largitore, & malorum depulsore. Hoc enim eius ad Deum fusæ orationes satis arguunt. Nec improbabiliter dicitur, etiam de Messiæ aduentu hoc eum in genere credidisse, quod à Iudæis credebatur: nempe eum venturum aliquando in mundum, vt ductorem, redemptorem & saluatorem populi sui. Cęterùm quia iam tempus aderat reuelati euangelij, oportebat eum sicut & Iudæos omnes instrui explicitè in fide mediatoris Christi: vt videlicet distinctè crederet de tempore & persona; nimirum Messiam iam aduenisse, & hunc nempe Iesum crucifixum esse, ipsumque Messiam Dei filium & mundi redemptorem, aliaque huiusmodi, quæ tempore reuelatæ gratiæ sunt à fidelibus expressè credenda. Huic responsioni consentanea adfert Magister in textu, & concordat S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. dicens, Cornelium habuisse fidem implicitam nondum manifestata euãgelij veritate, & ideo Petrum ad eum missum, à quo plenius in fide instrueretur. Non enim putandum est ibi S. Thomam loqui de fide implicita vnius Dei: tum quòd ea homini vnquam ad salutem sufficerit, tùm quia ex verbis scripturæ vt A suprà monstrauimus satis liquet Cornelium expressam habuisse vnius Dei fidem. Imò Sanctus Thomas in tertia distinctione 25. ad textum, affirmat Cornelium habuisse fidem explicitam de mysterio incarnationis, quamuis suffecisset ei ad salutem, etiamsi de hoc fidem implicitam habuisset. Sed non habebat fidem distinctam de tempore incarnationis; & ideo quia hoc iam incipiebat esse necessarium ad salutem, missus fuit Petrus ad eum instituendum. Sic ille.

Porrò ab his diuersa videri potest sententia Augustini & Gregorij. Augustini quidem in libro B de prædestinatione Sanctorum cap. 7. vbi sic tribuit Cornelio fidem vnius Dei, vt tamen ab eo remoueat fidem Christi; dicens acceptas fuisse eleemosynas eius & exauditas orationes antequam credidisset in Christum, & deinde hæc verba subiungẽs: Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus, ac demum ita concludens. Quicquid igitur & antequam in Christum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, &c. Gregorij verò homilia 19 in Ezech. vbi de Cornelio disserens inter cętera dicit: Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod C eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Et rursum: Bona autem actione promeruit, vt Deum perfectè cognosceret, & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perueniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Quin & hom. 9. in eundem prophetam dicit, Cornelium antequam fidelis existeret, per bona opera meruisse vt ei fides annunciaretur; quia nimirum bona opera pro fide percipienda faciebat. Sed rectè tam Augustini quàm Gregorij verba sic accipiuntur; vt D non omnem mediatoris fidem remoueant à Cornelio, sed solam distinctam & expressam: videlicet de Christo iam nato & passo pro salute mundi, qualis etiam alijs adhuc Iudæis tunc deerat tenentibus implicitam mediatoris fidem; imò & aliquousque explicitam, non tamen quantum ad tempus & personam. Id quod tunc incipiebat ab apostolis annunciari. Tale quid autem de Cornelio videtur innuere Gregorius dum ait, nondum eum sciuisse quòd Dei filius incarnatus esset, quasi diceat in mysterio quidem aduentum Messiæ crede- E bat, sed eum iam incarnatum, passum & mortuum esse nondum sciebat.

IN

DISTINCTIONEM VICESIMAMSEXTAM.

F

§. 1. Spes quomodo definiatur & quid respiciat.

SPes non vt est naturalis animi affectio, qua bona adeptu difficilia appetuntur, sed quatenus est habitus quidam rationalem appetitum, id est, voluntatem perficiens & ad spiritualia atque æterna bona quæ naturam superant, à Deo expectanda determinans, inter virtutes Theologicas secundo loco ponitur. Cuius duæ

S. Thom. 2. 2. q. 17. art. 1. 2. 4. 5. & 6.

dili-

definitiones statim initio huius distinctionis à Magistro traduntur. Prior hæc: Spes est virtus qua spiritualia & æterna bona sperantur. Posterior ista Haymoni attributa: Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia & meritis præcedentibus. Ab alijs definitur hoc pacto: Spes est virtus diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitę bona exspectantur. Quarum definitionum sensus vnus est, qui ex his quæ deinceps dicenda sunt, pleniùs percipietur.

B Meritò autem spes hoc modo accepta inter virtutes recensetur; quia facit actum hominis bonum. Sicut enim fides facit animum assentiri primæ veritati, ita spes facit animum confidere & inniti summæ atque immensæ largitati, id est, ea bona quemadmodum oportet exspectare, quæ supra omnem æstimationem humanam posita promisit largitas diuina. Quæ bona etsi plura sint, quoniam tamen principale spei obiectum est ipse Deus in quantum eius fruitione homo efficitur beatus: patet eam rectè virtutibus Theologicis annumerari. C Consistit enim in hoc ratio virtutis Theologicæ, quod Deum habeat pro obiectu, sicut alibi dictum est. Quamuis igitur & alia bona, tum in hac vita, tum in futura rectè exspectantur à Deo; vt iusticia, remissio peccatorum, immortalitas: ea tamen omnia sperantur in ordine ad Deum, tanquam ad vltimum finem in quo tandem omne desiderium nostrum conquiescat.

Pro cuius rei maiori declaratione notandum est spem duo respicere: videlicet bonum quod quis sperando exspectat & auxilium per quod eiusmodi bonum se consecuturum sperat. Quorum alterum D nempe bonum quod speratur, habet rationem finis, alterum nempe auxilium in quo confiditur rationem habet causæ efficientis.

Porrò cùm finis alius sit vltimus, alius non vltimus; & efficiens causa alia sit principalis, alia secundaria; vtramque hanc distinctionem & in bono quod spes respicit, & in auxilio cui spes innititur, animaduertere licet. Ipsam enim beatitudinem æternam quæ Deus est, spes respicit tanquam finem vltimum. Cætera verò bona vel huius vel alterius vitæ spectat tanquam fines secundarios, vel vt media quædam idonea ad vltimum finem; id est, E æternam beatitudinem consequendam. Rursum ipsius Dei auxilio spes nititur tanquam causæ primæ & principaliter ad æternam beatitudinem promouenti ipsamque tandem largienti: creaturæ autem siue angelicæ siue humanę, siue in hac vita adhuc agentis, siue in futura regnantis adminiculo & subsidio nititur tanquam causæ secundariæ & subordinatæ, qua ad eandem felicitatem promoueatur. Proinde sicut non licet homini sperare vel expetere aliquod bonum à Deo diuersum tanquam finem vltimum; ita nec licet ei aliunde quam à Deo tanquam prima ac principali causa, auxilium consequendæ beatitudinis exspectare. Sed tamen sicut F bona quædam à Deo diuersa, tanquam secundaria ex ipsius Dei ordinatione rectè exspectamus; ita & ab alijs quàm à Deo, tanquam secundarijs ac Deo subordinatis adiutoribus auxilium sperare ad beatitudinem obtinendam minimè prohibemur. Vnde perspicuum est nec sanctorum intercessiones, nec merita, seu propria, seu aliena pugnare cum proprio obiecto spei Christianæ.

A

§. 2. *Spes an sine charitate consistat.*

QVod suprà de fide diximus ei non necessariò coniunctam esse charitatem; vtrum de spe similiter dicendum sit, quæri solet. Nam quod sine charitate spes esse non possit, suprapposita eius definitio conuincere videtur: qua dicebatur spes esse exspectatio futuræ beatitudinis procedens ex meritis præcedentibus. Quæ merita sine charitate haberi nequeunt. Vnde & Magister in textu affirmat quòd charitas spem nostram precedit. Quod sumptum videtur ex Ambrosio qui lib. 8. in Lucam ad illud 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, ait: Ex fide est charitas, ex charitate spes. Idem Magister apponens datam definitionem ita subiungit: Sine meritis enim aliquid sperare, non spes sed pręsumptio dici potest. S.Tho. 1.2.q.65.a.4. & 2.2.q.17.a.8.

B C Quin & Augustinus modò spem charitate posteriorem facit, modò eam sine bonis meritis esse negat. Nam lib. 1. de doctrina Christiana cap. 37. dicit fide & dilectione ac bonis operibus effici, vt homo speret præmium: & cap. 40. Ille se, inquit, ad id quod credit & diligit, peruenturum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest & sermone 16. de verbis apostoli: quæ spes est, inquit, nisi de aliqua conscientiæ bonitate? Similis est locus in psal. 31. In sermone autem 31 de verbis Domini, solis filijs spem esse dicit.

Nec verò desunt scripturæ testimonia, quibus hæc quæstionis pars statui videatur. Dicit enim Sapiens Prouerb. 24 *Non habent futurorum spem mali.* D Cuiusmodi sententiæ repetuntur & alibi, vt Sap. 5. & 16. & Ecclesiastici 34. Paulus quoque ait Romanorum septimo: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* Quibus verbis apostolus spem non tantùm patientia & probatione, verumetiam charitate posteriorem facere videtur Et Ioannes 1. epist. 3 loquens de spe vitæ æternæ: *Omnes*, inquit, *qui habet hanc spem sanctificat se sicut & ille sanctus est.* Et eodem capite: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* Denique pasE sim in psalmis & alibi scriptura beatos pronunciat eos qui sperant & confidunt in Domino. Quod esse non potest sine charitate.

His authoritatibus & ratio suffragari videtur. Sicut enim nihil speratur nisi cognitum: vnde oportet vt fides spem præcedat: ita nihil speratur nisi amatum, ipso etiam Augustino teste ench. 8. Ex quo similiter consequi videtur quòd amor spem præcedat, & quidem talis amor quo Deus cæteris omnibus anteponitur. Nam vt spes non est sine amore, ita spes summi boni non videtur esse sine amore summi boni; quę est charitas.

F Porrò his non obstantibus indubitatè tenendum est, charitatem à spe Christiana separari posse, & sicut fidem, ita & spem rectè distingui in formatam & informem, viuam & mortuam. Quę res etsi ex ijs quę de fide dicta sunt, vtcumque possit esse perspicua, maioris tamen confirmationis gratia quædam hîc adijciemus.

Generalis est Prosperi sententia quæ est in libro sententiarum Augustini numero 7. dilectionem Dei & proximi propriam & specialem virtutem esse piorum atque sanctorum, cùm cæteræ virtutes & bonis & malis possint esse communes. Igitur

iuxta

iuxta Proſperum & Auguſtinum, ſpes & in malis eſſe & à charitate ſeiungi poteſt. Quod expreſſiùs ab ipſo Auguſtino ſignificatum eſt tract. 83. in Ioannem. Fruſtrà quidem, inquit, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit. Quibus verbis ſpem informem & mortuam notare voluit Auguſtinus, qua fruſtrà ſperatur venia & vita ęterna; quantum attinet ad bonum effectum præſentem, vel merita præſentia. Eandem ex contrario nobis indicauit Petrus 1. ep. 1. dicens nos per miſericordiam Dei regeneratos in ſpem viuam. Nominans enim ſpem viuam, inſinuauit quandam eſſe ſpem mortuam, qua ſperant pręmium quibus deeſt ſtudium bonorum operum. His conſonat illud quod habet gloſſa interlinealis in Matth. 1. Fides generat ſpem, ſpes verò charitatem.

Ratio quoque in hanc ſententiam manifeſta eſt. Sicut enim verbi gratia, quidpiam carens pecunia ſperare poteſt domum vel agrum, vel aliquid ſimile, quia ſperat ſe accepturum pecuniam qua rem illam emat: ita nihil prohibet quò minùs peccator aliquis bonorum meritorum inops ſperet vitam æternam: quia nimirum & ipſa bona merita quibus vitam æternam ſibi comparet, per Dei gratiam ſe accepturum ſperat. Quæ quidem ſpes non præſumptioni ſed virtuti tribuenda eſt, ac dono Dei aſſcribenda.

Sunt & aliæ rationes quæ idem oſtendunt. Primò; quia poteſt peccator ſperare vitam æternam ex meritis ante peccatum comparatis. Quæ etſi mortificata ſint per ſubſequens peccatum, iterum tamen viuificari poſſunt per gratiam.

Deinde, quia, vt ſuprà diximus, ſpes non tantùm vitam æternam reſpicit, ſed etiam media quibus ad eam peruenitur, cuiuſmodi ſunt potiſſimũ ipſa bonorum operum merita. Igitur qui merita nondum habet, ea ſperare poteſt, ſicut & cætera omnia bona ad ſalutem ducentia, excepta fide & ſpe, quæ ſimpliciter ſub ſpem non cadunt. Quamquam & harum virtutum augmentum ſperare poſſumus & debemus. Quicquid enim oratione petitur, idem & ſpe exſpectatur.

Poſtremò de nullo peccatore in hac vita deſperandum eſt; multò magis igitur quiſque peccator de ſeipſo deſperare non debet; ſed tam vitam æternam quàm ea bona ſine quibus ad illam non peruenitur deſiderando ſperare atque à Dei miſericordia exſpectare.

Quamuis autem non tam expreſſa de ſpe, quàm de fide à charitate ſeparabili exſtet definitio in cõcilio Tridentino; ea tamen ibi dicuntur ex quibus hæc doctrina ſatis manifeſtè colligitur. Nam cap. 6. ſeſſ. 6. de peccatoribus dicitur, quòd ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propicium fore. Et can. 3. fatentur patres, hominem ſperare poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia infundatur; licèt non ſine præueniente ſpiritusſancti inſpiratione & adiutorio. Qui locus non tantùm conuincit eſſe ſpem aliquam informem, verumetiam eam eſſe Dei donum.

Vt igitur ad obiecta reſpondeamus, primùm quod ad definitionem ſpei attinet, quæ merita pręcedentia requirit, quidam opinantur eam reſpondere ſoli ſpei formatæ; quod & Magiſtrum ſenſiſſe apparet. Alij exiſtimant definitionis verba non abſurdè etiam ſpei informi accommodari poſſe, prouenit enim & illa quoad actum ſuum ex meritis præcedentibus, non ipſam ſpem, ſed rem ſperatam; id eſt, vitam æternam. Ea enim merita homo peccator etſi non habeat, tamen vti diximus, adepturum ſe ſperat ex Dei gratia. Hoc autem alijs verbis ab alijs dicitur, peccatorem exſpectare vitam æternam ex meritis quæ habet non in re, ſed in propoſito.

Pro ſolutione eorum quæ obiecta ſunt ex ſcriptura & patribus, notandum eſt tam amorẽ quàm ſpem dupliciter conſiderari: nimirum aut ſecundùm inchoationem quandam aut ſecundùm perfectionem. Eſt enim amor quidam Dei inchoatus & imperfectus, quo Deus diligitur quidem quatenus ab intellectu proponitur vt ſummum ac beatificum noſtrum bonum, non tamen tam perfectè diligitur, vt ei voluntas affectu, cætera omnia poſtponat. Eſt & amor Dei perfectus, quo non æſtimatione ſula, ſed & affectu atque opere voluntatis Deum omnibus alijs anteponit; qui amor charitas eſt. Similiter ſpes alia imperfecta eſt, dum qui ſperat nondum in ſe habet per quod rem ſperatam apprehendere poſſit. Alia perfecta, dum iam illud in ſe habet is qui ſperat.

Dicendum igitur eſt, ſpem etiam imperfectam, informem atque inchoatam non eſſe ſine amore aliquo ſaltem imperfecto rei ſperatæ; quemadmodum rectè ratio in oppoſitum allata & authoritas Auguſtini in enchiridio oſtendebant: ſed tamẽ conſiſtere ſine amore perfecto, id eſt, charitate, ſpem verò perfectam nec ſine perfecto amore, id eſt, charitate conſiſtere. Id quod alijs plæriſque ſcripturæ & patrum teſtimonijs ſignificatum eſt. Charitas & enim charitatis opera, & quæ inde ſequitur conſcientia, ſpem hominis non tantũ ex informi formatam efficit; ſed etiam infirmam & remiſſam confirmat atque intendit: vt multò maiori cum fiducia axſpecter bona promiſſa iam pignore hæreditatis accepto quàm cùm adhuc per peccatum eſſet Deo inimicus.

---

§. 3. Spes quomodo certa exſpectatio dicatur.

CErtitudinam ſpei ſæpenumero attribuit ſcriptura ſacra velut Rom. 5. *Spes non confundit.* 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare.* Heb. 6. *Per duas res immobiles quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et Eccleſiaſtici 2. *Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius & derelictus eſt?* Et pſal. 21. *In te ſperauerunt & non ſunt confuſi.* Et paſſim beati prædicantur qui ſperant & confidunt in domino pſal. 33. & 83, Prou. 16. Ierem. 17. &c. Cæterùm quomodo intelligenda ſit illa certitudo, & vnde eam ſpes accipiat non vſquequaque inter Doctores conuenit. Nos quod probabilius videtur, adferemus

S. Tho. 2. 2. q. 18. ar. 4.

Notandum igitur eſt triplex certitudinis genus. Quædam enim eſt certitudo conditionalis; qua videlicet certum quidpiam eſſe dicimus non abſolutè, ſed quia ipſum altero quodam poſito certò & infallibiliter conſequitur. Quomodo vulgo filium dicimus certum patris hæredem; ſi videlicet ſit patri ſuperſtes, & nihil exhæredatione dignum committat.

Alia certitudo eſt, qua id certum dicitur, quod vel naturæ impulſu vel animi propenſione ac determinatione conſtanter ac velut perpetuo fit vno modo. Quomodo certum eſſe dicitur, quod iu-

ſtus

stus iustè, sobrius sobriè ager. Est enim virtus naturæ similis. Quare sicut natura definitum habet agendi modum, vt perpetuò ignis vrit, aqua humectat dum adest materia: ita virtus animum habentis ad certum actum determinat, tametsi certitudine non omnino pari.

Tertium & perfectissimum certitudinis genus est, quo id certũ dicitur, quod omnem hæsitationem & oppositi formidinem excludit, idque absoluta & nulla addita vel intellecta conditione. Hoc modo certa sunt scientiarum principia, & quæcunque vel demonstratione vel fide cognoscuntur. Ita certam esse dicimus resurrectionem mortuorũ aliquando futuram, & omnes beatos æternum cum Deo regnaturos. Istud etiam aduertendum, quæ cũque aliquo certitudinis modo comprehenduntur & certa esse dicuntur; eorumdum quoque spem, seu generaliter expectationem rectè certam dici.

Quibus ita declaratis, exponendum nunc quo certitudinis genere spes expectatio certa dicatur. Et quidem dubitandum non est quin primum & secundum certitudinis genus spei competat. Quod enim ad primum genus attinet, manifestum est spẽ Christianam esse certissimã. Omnis enim qui sperat vitam æternam, planè certus est, omni dubitatione exclusa, se ad eam peruenturum; si ea fecerit pro quibus vita æterna promittitur; id est si in iusticia vsque ad finem vitæ perseuerauerit. Quam conditionalem certitudinem conuincunt imprimis omnes illæ promissiones, quibus Deus salutem promisit iustè viuentibus & mandata eius seruantibus: quales sunt istæ: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te*, Eccl. 15. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 24. Quam deinde & peculiares scripturæ ostendunt dum spei certitudinem ascribunt ex hac iusticiæ seruatæ conditione. Dicit enim apostolus, spem propterea non confundere: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Et Ecclesiasticus c. 2. cũ dixisset, nullũ sperantẽ in Domino fuisse confusum, pro ratione assignauit perseuerantiam iusticiæ, dicens: *Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est?* Et in psal. 83. ex eo quod Deus non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia, concluditur; quòd sit beatus homo qui sperat in Domino. Vnde Augustinus scribens in psal 99. ait: Tam certus esse debes de requie, de felicitate de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta Dei, quàm certus esse debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabulo si contempseris præcepta eius. Et præfatione in psal. 123. Spes, inquit, nostra tam certa est, quasi iam res perfecta sit. Neque enim timemus promittente veritate: Veritas nec falli potest nec fallere. Bonum est vt hæreamus illi. Illa nos liberat, sed si manserimus in verbo eius. Nititur autem hæc spei certitudo, vt ex dictis colligi potest, omnipotentiæ & veritati Dei, Quia enim omnipotens est Deus, vt impediri non possit eius voluntas, & quia verax est vt aliter quàm promisit facere non velit, fit vt certa nobis sit expectatio bonorum quæ promisit, seruata conditione iuxta quam promisit.

Quòd autem & secundo modo spes certa sit, cùm aliorum habituum, tum præcipuè ex aliarum virtutum similitudine docetur. Sicut enim, exempli causa, temperantiæ virtus ita temperantis animum afficit, vt non iactetur cupiditatum fluctibus, sed ad sobrias & pudicas actiones promptè, constanter & certò feratur: ita virtus spei non sinit animum sperantis fluctuare vel inordinato timore

A vel nimia præsumptione, sed illum determinato ac certo motu ad æternam felicitatem ex gratia Dei & meritis expectandam erigit, dirigitque.

Cæterùm tertij generis certitudinem non perfectè, sed ex parte tantùm spes adiunctam habet. Quatenus enim nititur potentia, veritate, bonitate Dei & charitate eius ergo genus humanum: ea quidem ex parte absolutam illam certitudinem habet. Nam de illis dubitare non sinit fides Christiana. Vnde apostolus absolutè ait: *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare.* Et alibi spei B firmitatem ancoræ comparat: quia impossibile est mentiri Deum. Quatenus verò respicit vel iustitiam ac perseuerantiam nostram tanquam medium ad finem necessarium, vel ipsam salutem nostram tanquam finem ac rem speratam; eatenus absoluta illa certitudine destituitur: quia & homo per liberum arbitrium deficere potest à iusticia, vel eam non apprehendere, & per consequens à sperata salute potest excidere.

Est quoque circa triplicem hanc spei certitudinem notandum, quòd primam & tertiam certi- C tudinem spes à fide mutuatur, & ab ea non essentialiter sed participatiuè tantùm certa dicitur. Secundam verò tanquam habitus quidam, sibi propriam & internam possidet.

Ex his porrò manifesta euadit spei Christianæ & humanæ quoad certitudinem differentia. Cùm enim omnis homo & impotens sit & mendax; fit vt neq; ex parte potentiæ eius neq; ex parte veracitatis certa queat esse spes, qua quis ab homine expectat quod promisit, attamsi conditionẽ promissi impleat. Nã homo qui promisit, tum per impotentiã impediri potest ne præstet promissum, tum per vo- D luntatis mutabilitatem potest à promisso deflectere & fidem fallere. Quorum neutrum, vt suprà ostendimus, in Deo locum habet. Hoc discrimen varijs locis insinuat scriptura, monens ne speramus aut confidamus in homine, neque in principibus, sed in solo Deo; vt Ierem. 17. psal. 117. Isa. 31. Quod ipsum pulchrè exposuit Chrysostomus hom. 9. in ap. Rom. ad illud cap. 5. *Spes non confundit*: Bona illa futura, inquit, in spe posita, tenemus in spe quidem, sed non humana; quæ subinde & intercidit & sperantem pudore afficit, vel eo qui sperata debeat præstare moriente, vel etiamsi vixerit, E sententiam mutante, vel per impotentiam deficiente, vt auxiliari aut quæ promiserit præstare non possit. Nostra autem huiusmodi non est, sed firma & immobilis perdurat. Et Augustinus conc. 2. in psal. 36. docens quæ spes confundat, inter alia dicit: Confunderis, quia fefellit te spes posita in mendacio. Omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem tuam in Deo tuo, non confunderis; quia ille in quo spem posuisti, fallere non potest, aut falli. Sic ille.

F §. 4. *Quòd spes Christiana non habet securitatem salutis.*

CVm ad hunc modum quem diximus, certa & infallibilis sit spes nostra secundùm scripturas; patet quantum à vero aberrent qui ab hac certitudine omnem conditionem exclusam esse volunt. Nam si simplex & absoluta esset Dei promissio, qua vitam æternam vnicuique nostrum pollicetur, nullamque haberet ex parte nostri adiun-

S. Thom. vbi supr. q. 18. a. 4. 109. & 114.

ctam conditionem, iam quę certitudo est de potentia & veritate Dei, eadem nobis esset de spei nostræ euentu, id est, de salute nostre. Sed cùm Deus non absolutè omnibus vitam æternam promittat, sed vigilantibus, operantibus & legitimè vsque ad exitum vitæ certantibus; de quibus conditionibus ac medijs singuli certi non sumus: sequitur vt nec de consecutione rei speretæ simpliciter certi & securi esse possimus. Atque id docent omnes scripturæ quæ iubent nos timere ne vel à iustitia vel à salute excidamus, vt ps. 2. *Seruite Domino in timore.* Ecclesiastę 9. *Nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 2 Cor. 11. *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri,* &c. Phil. 2. *Cum metu & tremore vestrã salutẽ operamini.* Heb. 4. *Timeamus ne forté relicta pollicitatione introeundi in requiem eius existimetur aliquis ex vobis deesse.* Apoc. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et alie loca ferè infinita. Quin & ipse apostolus Paulus tanquam de sua salute minimè securus castigat corpus suum, ne cùm alijs prædicauerit ipse reprobus efficietur, 1. Cor. 9. Idemque post tot pro Christo perpessos labores nondum securus dicit Phil. 2. *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* In quem sensum eum locum interpretatur Chrysostomus. Neque Dauid securus erat quando orabat Dominum: *Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

Est autem de hac re apertissima patrum doctrina, ex quibus pauca tantùm annotabimus. Augustinus libro de dono perseuerantiæ cap. 8. Deus, inquit, melius esse iudicauit miscere quosdam non perseueraturos certo numero sanctorum suorum: vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait apostolus. Qui videtur stare videat ne cedat. Similia reperit capite 13. Item libro de correptione & gratia capite 13: Quis, inquit, ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio: vt etiam per satanæ angelum ne extolleretur, tantus colephizaretur apostolus. Et quæ sequuntur. Et libro 11. de ciuit. capite 12. de iustis loquens. Qui licèt de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerentia sue reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque iusticiæ perseueraturum vsque in finem sciat: nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hec re iusto lerentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit. Similis est apud Hieronymum locus libro 2. contra Pel. & apud Leonem sermone 7. de passione Domini: vbi contristatos dicit fuisse Christi discipulos, non de conscientię reatu, sed de humenæ mutebilitatis incerto, quando nimirum audiebant illud: *Vnus ex vobis me tradet.*

Potest autẽ huius doctrinę multiplex ratio reddi.

Prima, quia dum hîc viuitur, voluntas hominis ad malum vertibilis est.

Secunde, quia vires hominis expugnabiles sunt.

Tertia, quia in militia & certamine hîc viuitur: durente autem certamine incerta est victoria.

Quarta, quia iuxta prophetam inscrutabile est cor hominis: vt nec de præsenti iusticia certus sit,

A multò minùs de futura ac perseuerante.

Quinta, quia, *in multis offendimus omnes,* &, *delicta quis intelligit?* Vnde si mortalia peccata à venialibus in vita nostra quotidiana non certò distinguimus, multò minùs quo in statu hinc discessuri sumus, certù scire possumus.

Sexta, quia *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere;* Qui sua dona distribuit secundùm consilium voluntatis suæ nobis incognitum. Quo argumento vtitur apostolus Phil. 2. dum hortatur, vt cum metu & tremore salutem nostram operemur.

B Postrema finalis est causa, custodia humilitatis & fuga presumptionis & elationis. Quem causam, vt ex supradictis patet, subinde vrget Augustinus. His accedit exemplum angeli & primi hominis ante lapsum: qui cùm spem habuerint æternæ beatitudinis, ad eam tamen non peruenerunt, vel absolutè vt angelus: vel non ita vt sperabatur, id est sine lapsu & morte media, vt homo: Vnde manifestum est quòd de consequenda, ita vt sperabẽt, beatitudine, non simpliciter fuerint securi: cùm ab illo statu incorrupto omnis error esse debuerit alienus: multò igitur minùs spes nostra qui in loco tenta-

C tionis inter tot laqueos & pericula versemur, securitatem babet.

Denique ne quem scrupulum moueant quædam loca patrum vel obscurè posita, vel incautiùs prolata clarè definitem hanc doctrinam voluerunt patres concilij Tridentini sess. 6. capite. 12. & 13. & cen. 15. & 16. Pertinent huc quoque quæ ad distinctionem 40. libri 1. sententiarum de incertitudine prædestinationis disputata sunt.

D

§. 5. *Quomodo spes ex gratia simul & meritis esse dicatur.*

IN eo quòd spes ex gratia Dei & meritis præcedentibus esse dicitur, primò obseruandum, non eo sensu id dictum: quòd virtus spei detur homini ex gratia Dei & meritis ipsius hominis, quamuis id de gratie Dei simpliciter verum sit, & eliquo modo etiam de meritis, quatenus ea spem augent & confirmant, quomodo probatio spem operari dicitur: *S. Tho. 1. 2. q. 109 ar. 5 & 114. ar. 1. 2. & seq.*

E sed hoc sensu, quòd spe expectantur æterna bona ex gratia Dei & meritis hominis tribuende vel accipienda. Quomodo eutem hæc duo non repugnent, vt simul ex gratia & meritis expectari dicatur æterne beatitudo; nunc exponendum, si priùs vtrumque seorsim peucis probauerimus.

Quod ex gratie Dei speranda sit vita æterna menifestò testatur Petrus Act. 15. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari*, Et Paulus Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna* & 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt* Et Eph. 2. *Gratia estis saluati,* & ali-

F bi passim gratuitam salutem apostolicæ literæ inculcent. Atque adeo totum beneficium incarnationis Christi certum est diuinæ erga nos charitatis & gratuitæ bonitatis, qua ad salutem & vitam æternam prouehere nos voluit, argumentum.

Quòd autem eadem ex meritis expectanda sit docent imprimis omnia scripturę loca, quæ testantur Deum redditurum vnicuique secundùm opera sua. Docent & ea quæ regnum cælorum mercedem vocant iusticiæ ac bonorum operum, vt Matth. 5.

Merces vestra copiosa est in cælis, Et 10. *Mercedem iusti accipiet*, Et: *mercedem prophetæ accipiet*, Et, *Non perdet mercedem suam*. 2. epist. Ioan. *Ne perdatis quæ operati estis sed vt mercedem plenam accipiatis*, & Apoc. 11. *Reddere mercedem seruis tuis prophetis*, &c. Et 22. *Merces mea mecum est*. Item quæcunque remunerationem seu retributionem æternæ vitæ agnoscunt. Hæc enim vitam æternam significant esse præmium: &, vt apostolus vocat, coronam iusticiæ & sanctorum laborem huius vitæ. Quæ omnia sine meriti ratione non consistunt, vt quæ respectu meriti relationem includant.

Iam vt quomodo illa duo non repugnent, intelligamus, sciendum est omnem meriti nostri originem esse ex gratia Dei per Christum. Quæ enim merita nostra bona in Adam perdidimus, eadem in Christo & per Christum reparata fateri debemus, dicente apostolo Eph. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Hinc ergo facilè est tollere apparentem repugnantiam inter gratiam & merita. Non enim merita nostra ex quibus & pro quibus æternam vitam sperare iubemur, statuuntur tanquam nostra: id est, proprijs viribus comparata, sed tanquam ex Dei gratia per Christum nobis collata. Quare dum omne meritum nostrum gratiæ Dei ascribimus, id quod ex meritis expectamus, consequenter etiam ex Dei gratia, quæ fons est omnis meriti, nos expectare fatemur. Vnde vita æterna simul & gratia est & merces: gratia peccatori & Adæ filio, quales omnes huic sæculo nascimur: merces bene operanti, quales in Christo renati per eius gratiam efficimur. Qua de re Augustinus in epist. 105. Ipsa, inquit, vita æterna quæ vtique in fine & sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam; etiam ipsa gratia nuncupatur: non ob aliud, nisi quia gratis datur. Nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et infrà. Cùm dixisset apostolus, *stipendium peccati mors*: quis non congruentissimè & consequenter addere iudicaret: Stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est; quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iusticiæ tanquam stipendium vita æterna. Sed beatus apostolus aduersus elationem vigilantissimè militans, *stipendium*, inquit, *peccati mors*. Deinde ne iusticia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit dicens: Stipendium iusticiæ vita æterna, sed; *Gratia*, inquit, *Dei vita æterna*. Et paulò pòst: O homo si accepturus es vitam æternam, iusticiæ quidem stipendium est; sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iusticia, cui debetur. Item libro de gratia & libero capite 8. Si, inquit, vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit scriptura, quãdo Deus reddet vnicuique secundùm opera sua: quomodo gratia est vita æterna? cùm gratia non pro operibus reddatur sed gratis detur. Et mox subiungit. Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui; nisi intelligatur & ipsa opera bona, quibus æterna redditur vita; ad Dei gratiam pertinere. Rursum in libro de corrept. & grat. capite 13. Quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto apostolo gratia Dei dicitur; cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur: sine vlla dubitatione confitendum est, ideo

A gratiam vitam æternam vocari; quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini. Hæc Augustinus. Apud quem & alia sæpe similia leguntur, vt de gratia & libero arbitrio capite 6. & 7. vbi ostendit omnia bona merita esse Dei dona. Item libro 9. confess. capite 13. Ench. capite 107. In psalmo. 98. & 118. conc. 2. & in psal. 144.

Denique vt etiam maiori authoritate res concludatur, sic habet Arausicani concilij, cuius Romanus pontifex non tam confirmator quàm author fuit, canon 18. Debetur merces bonis operibus si fiant sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.
B Et ante Leonem Celestinus in epistola ad episcopos Galliæ capite 12. Tanta est, inquit, erga omnes homines bonitas Dei; vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna sit donaturus. Cuius sententiæ priora verba repetita sunt à patribus concilij Tridentini sess. 6. capite 16. Quo loco diligenter & meriti ratio explicata est, & quomodo vita æterna gratia simul & merces verè dicatur, expositum.

C

§. 6. *Vtrùm spes, an timor in nobis maior esse debeat?*

CVm in hac militia vitæ Christianæ ita pariter currere debeant spes & timor; vt nec spes timorem excludat, nec timor spem perimat: quia & beati prędicantur qui sperant in Domino, & nihilominus beati qui timent Dominum, & iuxta sapientem: *Beatus homo qui semper est pauidus*, monetque S.Tho 2.2.q.22.
D apostolus vt cum timore & tremore salutem nostram operemur. Vnde illa Cypriani sermone de lapsis sententia: Deus quantum pietate patris indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est, hinc quæri solet, vter affectus altero maior in nobis esse debeat? Ad quod respondendum quamuis in quibusdam atque interdum meritò timor damnationis maior sit quàm spes salutis, ordinariè tamen spem in nobis maiorem esse debere.

Et prius quidem illud sic ostenditur; quia pecca-
E tores dum manent in affectu peccati, magis considerare debent iram Dei, quam misericordiam, iuxta illud Ecclesiastici 5. *In peccatores respicit ira illius*; præsertim quando tales sunt, vt magis metu pœnarũ quàm spe præmiorum abstrahendi sunt à peccato. Deinde quidam in tam periculoso vitæ statu versantur, vt magis metuenda simpliciter sit eorum damnatio quàm salus speranda. Quare & ipsi agnoscentes periculum status sui & adhuc in eo perseuerantes, meritò magis timere debent quàm sperare. Quòd si vnusquisque de alio interdum iusta ex causa magis timet quàm sperat; certè & de se-
F ipso eâdem causa occurrente, magis eum timere conuenit quàm sperare.

Posterius autem ita probatur, quia timor oritur ex consideratione nostræ infirmitatis: Spes verò nititur misericordiæ omnipotentis Dei, quæ & prauitatem à nobis auferre & infirmitatem nostram erigere parata est. *Potens est enim Dominus*, inquit apostolus Eph. 3. *Facere supra quam petimus aut intelligimus*. Et ipse *abundantia pietatis sua merita supplicum excedit & vota*. Estque eius *proprium misereri semper & parcere*, vt in ecclesiæ

collectis cantrur. Sed & facræ literæ ad fperandum quàm ad timendum fæpius & efficacius nos adhortantur. Hinc Auguftinus fragmento 7. ait, Deum timendum effe, fed plus amandum. Idemque clarè docent Hieronymus in Ifa. 28. & Bernardus ferm 5. de natiuitate Domini. Verùm hoc, vt diximus ordinarè fic fe habere intelligendum eft, in ijs maximè qui affectu peccati depofito iam aliquam fperandi caufam ex bona voluntate diuinitus infpiratam in feipfis habent: qui proinde meritò confidunt, quod, *qui cepit in eis bonum opus perficiet illud vfque in diem Iefu Chrifti.*

Nam præter illam fidei certitudinem, qua fpem ex conditione certam dici fuprà oftendimus, eft & certitudo fiduciæ: dum videlicet priori illa certitudine præfuppofita fibi quis applicat per fiduciam, quod in vniuerfali tenebat per fidem; propterea quòd in fe probabiliter confpiciat ea media quibus promiffa eft vita æterna. Credit enim omnẽ eum qui in iufticia & bonis operibus perfeuerat, habiturum vitam æternam: atqui in fe probabiliter agnofcit iufticiæ & bonorum operum perfeuerantiam dicente apoftolo, *Qui cepit perficiet*. Sequitur ergo vt bene confidat fe habiturum vitam æternã. Atque hoc eft quod apoftolus Petrus monet, vt per bona opera certam vocationem noftram faciamus.

Hæc porrò fiduciæ certitudo quam parit bona confcientia, tantùm augetur & confirmatur in nobis, quantum quis in iufticia & bona conuerfatione fe proficere probabiliter nouit: Et ad hoc probandum faciunt quæ fuprà proferebantur, ad oftendendum quandam effe fpem, quæ fine charitate & bonis meritis non confiftat: nimirum perfectam atque formatam. Quibus adiungimus illud Ioan. 1. epift. 4. *Fiduciam habemus in die iudicij, quia ficut ille eft, & nos fumus in hoc mundo*, id eft, ideo fperamus & confidimus nos non confundendos in die iudicij, quia diligimus inimicos ficut Chriftus. Talem oftẽdit fiduciam Hilarion iam morti proximus, quemadmodum de eo refert Hieronymus in vita eius: Talem oftenderunt & alij plærique fancti, qui propter bonam vitæ anteactæ, confcientiam quafi de fua falute fecuri hinc migrauerunt. Quantò igitur melior fuerit confcientia, tantò fpei fiducia maior eft & certior, tantoque minor eft gehennæ metus: ita vt homo perfectæ charitatis fidenter audeat poftulare aduentum Chrifti, quia tefte Ioan. 1 epift. 4. *perfecta charitas foras mittit timorem*, eum videlicet quem gerit vel mala confcientia, vel charitas adhuc imperfecta De qua re videre eft Auguftinum tract. 9. in epiftolam Ioannis.

§. 7. *An fpes fit tantùm de bonis proprijs.*

S. Tho. 2. 2. q. 17. a. 3.

CIrca difcrimen fidei & fpei, quod ex Auguftino ench. 9. Magifter in textu affignat; dicens fidem effe rerum bonarum & malarum, itemque rerum tam præteritarum & præfentium quàm futurarum, & rurfus rerum fuarum & alienarũ; fpem verò non nifi bonarum rerum effe, nec nifi futurarum & ad eum pertinentium qui earum fpem gerere perhibetur, dubitari folet de poftrema difcriminis parte (Nam priores indubitatò veræ funt) quomodo dicant Auguftinus & Magifter, fpem tantùm earum effe rerum quę ad fperantem pertinent? cùm & alteri rectè quis fperet fpiritualia, tam huius vitæ quàm futuræ bona dicente apoftolo 2. Cor. 1. *Spes noftra firma eft pro vobis, fcientes quod ficut focij paffionum eftis, fic eritis & confolationis*, Et iterum: *Spero autem quod vfque in finem cognofcetis*. Et Gal 5. *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud fapietis*. Et Phil. 1. *Confidens hoc ipfum quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vfque in diem Chrifti Iefu*. Et 1. Theff. 4. *De dormientibus ne contriftemini ficut & ij, qui fpem non habent*. Et Heb. 6. *Confidimus autem de vobis meliora & viciniora faluti*, Quin & bonum commune rectè fperatur iuxta illud Luc. vlt. *Nos autem fperabamus quòd ipfe effet redempturus Ifrael.*

Idem quoque oftendi videtur ex oratione. Spes enim eorum omnium eft quæ oratione à Deo impetrare cõtendimus; inter quæ haud dubiè reponenda funt, pœnitentia, iufticia, falus aliena.

Denique cùm circa idem verfentur fpes & defperatio; qua ratione prohibemur de aliena falute in hac vita defperare, eadem profectò illam fperare iubemur. Verùm hanc difficultatem rectè ita diffoluit S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 3. vt dicat propterea dictum ab Auguftino quòd fpes tantùm fit de bonis proprijs. quia fpes importat motum quendam feu protenfionem appetitus in aliquod bonum arduum. Motus autem eft ad terminum acquirendũ ei quod mouetur, non alteri. Ideoque fpem directè refpicere bonum proprium, non alienum. Cæterùm fi is qui fperat, etiam amorem habet erga alterum: fit vt vnum quodammodo cum altero efficiatur. Cùm id fit amoris proprium, alterum fibi vnire, & perinde atque feipfum habere. Quo præfuppofito iam poteft aliquis etiam alteri fperare & defiderare ea bona quæ fibi; quatenus videlicet cum eo vnum quodammodo per amorem effectus eft. Imò & ea bona alteri fperare quis poteft, quæ fibi non poteft, ipfam videlicet fidem & fpem, quæ vt fuprà diximus, nemo fibi fimpliciter fperat. Patet igitur abfolutè fpem effe de bonis, non tantũ ad eum propriè pertinẽtibus qui fperare dicitur, fed & ad alios, in quantũ quis alijs per amorem coniungitur. Quare concedenda funt ea quæ in contrarium obijciebantur, & cum ijs nihilominus concilianda ad eum quem diximus modum, Auguftini & Magiftri fententia.

§. 8 *An fides & fpes fuerint in Chrifto?*

S. Tho. 3. p. q. 7. a. 3. & 4.

AD quæftionem initio 23. diftinctionis propofitam à Magiftro & huc vfque dilatam; an fides & fpes in Chrifto fuerint? refpondendum eft cum Magiftro & doctoribus fcholafticis: quamuis in Chrifto fuerit eximia charitas, qua & Deum diligeret propter fe & humanum genus propter Deum, de qua ipfe dicit Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, vt animam fuam ponat quis pro amicis fuis*, virtutes tamẽ fidei & fpei in eo nunquã fuiffe. Cuius certa probatio eft; quia & in plena ratione fidei continetur, vt fit de ijs quæ non videntur, quẽadmodum fuo loco oftenfum eft ad diftinctionem 24. & de ratione fpei eft, vt fit in ea quæ nondum habentur, voluntatis extenfio. *Spes enim quæ videtur non eft fpes. Nam quod videt quis quid fperat? Si autem quod non videmus, fperamus, per patientiam expectamus*, vt ait apoftolus Romanorum 8. fignificans fpem non effe rei iam obtentæ fed obtinendæ ipfamque rem quæ fperabatur, dum iam præfto eft non amplius fperari.

Porrò Chriftus à primo inftãti fuæ conceptionis

perfectè vidit Deum per essentiam, vtpote secundùm animam perfectus comprehensor. Quare cùm tam fidei quàm spei principale obiectum sit Deus, fidei quidem quatenus obscurè atque in ænigmate cognoscitur: spei verò, quatenus nôdum habetur, sed adhuc expectatur, perspicuũ est neutrã in Christo locũ habere potuisse. Atque ex hoc fundamento non est difficile soluere, quod in contrarium obiici potest, nempe fuisse in Christo plenitudinem omnis gratiæ. Hoc enim de illis donis ac virtutibus accipiendum est quæ eius statui non repugnant. Fides autem & spes imperfectionem quandam includunt ei perfectioni quam ab initio Christus habuit, repugnantem, vt iam ostendimus. Et sanè absurdum fuerit Christo, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ erant absconditi Coloss. 2. ea tribuere quæ nobis in hac vita peregrinantibus & adhuc à Dei visione remotis tribuit apostolus 1. Cor. 13. nempe cognoscere ex parte, videre per speculum & in ænigmate, sapere & cogitare vt paruuli. Nec verò mirum videri debet, quod virtutem fidei & spei à Christo remoueamus: cùm nec virtus pœnitentiæ propter malum adiunctum Christo tribui debeat. Nam loco harum virtutum habuit Christus quædam longè perfectiora: vt loco fidei claram visionem, loco spei plenam comprehensionem, sicut & loco pœnitentiæ perfectam omnis peccati detestationem.

Quòd si obiicias scripturæ loca, quæ spem Christo attribuũt, vt in psalmis sæpenumero. Quod & ei ab impijs improperatum est dicentibus: *Sperauit in Domino, eripiat eum.* Item Heb. 2. vbi illud apertè tribuitur Christo: *Ero fidens in eum.* Quod vel sumptum est ex psalmo 17. vbi legitur: *Sperabo in eum*, vel potiùs ex Isa. 12. vbi nos habemus secundùm Hebraicam versionem, *Fiducialiter agam in eo.* Citat autem apostolus verba vt sunt apud 70. interpretes. Alius locus est Heb. 12. vbi Christus proposito sibi gaudio, id est, spe gaudij ac remunerationis futuræ, crucem sustinuisse dicitur. Quò demum pertinere videtur omnis oratio Christi, quam ex spe proficisci necesse est, itemque certa exspectatio bonorum quæ nondum erat consecutus: cuiusmodi erat corporis immortalitas, nominis sui claritas, & ipsius animæ perfecta impassibilitas.

Primùm respondemus multa in psalmis dici ex persona Christi, non quatenus est caput, sed quatenus loquitur in membris suis, cum quibus vnum corpus constituit; quemadmodum locis pene innumeris in psalmos scribens annotat Augustinus. Cuius rei vt exemplum proferam, in psal. 68. in quo manifestè Christus patiens loquitur, tum insipientiam tum delicta sibi ipse tribuit.

Deinde, Non est negandũ fuisse spem in Christo respectu eorum quæ nondum erat adeptus: vt resurrectionis, glorificationis sui nominis & eiusmodi. Sed ea spes quia Deum ipsum vt principale obiectum non spectabat, sed alia quædam bona, vera quidem spes erat, non tamen virtus Theologica, de qua hîc differitur. Fides autem prorsus ei inesse non poterat; quia plena rerum omnium cognitio fidem omnino excludebat.

§. 8. *In quibus post hanc vitam fides & spes supersit.*

EX supradictis satis intelligitur in quibus post hanc vitam fidem & spem adhuc remanere dicendum sit. Nam imprimis, vt rectè in textu docet Magister, antiqui patres qui apud inferos vsque ad Christi in ea loca descensum tenebantur, fidem & spem virtutem habuerunt: quia & credebant quæ nondum apparebant, & sperabant quod nondum apprehendebant, ipsam nimirum beatificam Dei visionem. Vnde Beda super illud Luc. 2. *Postquam consummati sunt dies octo.* Antiqui, inquit, in sinu Abrahæ post mortem requie beata consolati, supernæ pacis ingressum spe felici expectabant. Probatur autem ex scriptura. Nam Sapientiæ 3. de iustis ex hac vita sublatis dicitur: *Spes illorum immortalitate plena est.* Loquitur autem Sapiens de iustis sui temporis, quando adhuc animæ eorum ad inferna descendebant. S.Tho. 1. 2.q.67. ar.3.4. & 5. & 2.2.q.18 ar.2. & 3.

Idem porrò iudicium est de animabus existentibus in purgatorio. Cùm enim nondum peruenerint ad visionem exspectatam, consequens est eas adhuc fidem & spem retinere. Nec obstat quòd hi omnes prætergressi sunt statum viæ; quia quatenus præmium nondum sunt consecuti, hac parte nondum in patria, sed in via esse dicendi sunt: licèt alia ratione, nempe quoad facultatẽ merendi, reuera sint in termino. Sed nec obstat quòd de sua beatitudine sint securi; Id enim non euacuat rationem spei: cùm illa securitas eis non contingat ex præsentia rei speratæ, sed ex confirmatione liberi arbitrij: vel reuelatione Dei.

Cæterùm in beatis spes esse non potest, sicut nec fides; idque ob eandem causam quæ superiùs de Christo reddita est. Cùm enim Deum videant per essentiam, neque fidei, neque spei ratio iam in illis saluari potest: quia neque in ænigmate Deum cognoscunt, sed facie ad faciem, neque beatitudinem futuram expectant, sed præsentem possident: tametsi fatendum sit in ijs adhuc esse spem, qua expectant redemptionem & gloriam corporis sui. Sed ea spes vt suprà diximus, non habet rationem virtutis Theologicæ.

Postremò in damnatis nec fidem nec spem esse, planè certissimum est: tum quia omnia dona Dei ab illis auferuntur, iuxta illud: *Auferte ab eo talentũ*; tum quia ita auersam à Deo gerunt voluntatem, vt intellectum in eius obsequium captiuare non possint, quod ad fidem requiritur; & certi sunt se beatitudinem nunquam adepturos. quod spei repugnat. Huc & ea referenda sunt quæ suprà de fide dæmonum disseruimus.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMSEPTIMAM.

§. 1. *Quomodo differant amor, dilectio, & charitas*

S. Thom. 2. 2. q. 26. ar. 3.

TERTIA, ea, quæ inter Theologicas potissima virtus est charitas, de qua apostolus 1 Cor. 12. cùm ad æmulandum charismata meliora hortaretur, ait: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et proximo capite post illustrem charitatis supra cætera charismata commendationem ita concludit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Maior autem horum est charitas.*

De ea igitur deinceps dicturi exordium sumemus ab explicatione discriminis, quod est inter has tres voces cognatæ significationis, amorem, dilectionem, & charitatem. Quæ quidem partim iuxta scripturæ, & patrum consuetudinem, partim vsu scholasticorum ita distinguuntur, vt amor latiùs pateat dilectione, & dilectio charitate. Amor enim tam ad sensitiuam partem quàm rationalem pertinet, & tam carnalem ac viciosam quàm spiritualem ac legi Dei consentaneam hominis erga quamcunq; rem affectionem complectitur, quemadmodum exemplis scripturæ facile est ostendere. Dilectio verò siue secundùm actum, siue secundùm habitum intellecta ferè tantùm in bono accipitur & ad rationalem appetitum pertinet; ita tamen vt etiam in eo possit inesse tam Dei quàm proximi dilectio, qui nondum gratiam iustificationis adeptus, & in adoptionem filiorum translatus sit. Porrò charitas in solis Dei filijs, id est regeneratis vel reconciliatis, iustis, & per hoc Dei amicis agnoscitur. Quod de charitate infusa, perfecta, sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, quæque legis est plenitudo, intelligi debet.

Pro cuius rei pleniore intellectu primò sciendum est, discrimen hoc inter dilectionem & charitatem non tam è sacris literis acceptum esse, quàm docendi gratia à doctoribus scholasticis prudenter vsurpatum: vt per distincta vocabula commodiùs inter Dei dona distinguerent. Nam in scriptura ferè ponuntur indifferenter charitas & dilectio, propterea quod in Græco vox vnica sit ἀγάπη quam interpres modò charitatem, modò dilectionem vertit. Vnde Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 7. disputans de tribus his vocibus, amor, dilectio, charitas; dicit eas cùm in bono accipiuntur, in sacris literis idem significare. Hinc fit vt apud patres non rarò confundatur discrimen illud quod inter dilectionem & charitatem vsu scholasticorum frequentatum & approbatum diximus; & charitas vocetur etiam ea dilectio quæ remissionem peccatorum antecedit, in homine verè pœnitente. Nam & Augustinus eodem loco vnum atque idem esse vult charitatem & voluntatem bonam; & similia scribit lib. de gratia Christi cap. 21. Idem serm. 14. Par. in festo omnium sanctorum cap. 11. dicit quod nihil sit aliud charitas quàm dilectio. Et scribens in psal 9. Amor, inquit, si prauus est, dicitur cupiditas, si rectus charitas. Similis locus tract. de substantia

A dilectionis capite 1. Sic & Ambrosius loquitur in apol. Dauid capite 9. Charitas, inquit, remittit etiam ipsa peccata, sicut scriptum est de muliere, quæ super Dominum fudit vnguentum, *remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Bernardus quoque in epist. 77. quæ est ad Hugonem Victorinum, loquens de eo qui per superbiam recusat baptizari: Si tamen, inquit, ante exitum resipuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit; cùm non desit fides recta, spes pia, charitas sincera, propitius sit mihi Deus: quia huic ego ob solam aquam, si defuerit

B nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola; vt dixi, prohibeat impossibilitas. Loquitur ad hunc modum etiam illis omnibus posterior Thomas VValdensis in opere 2. de sacramentis contra VVicleff cap. 97 dicens: Bonus catechumenus diuina charitate flagrans, iustus probata iustitia, priusquam Christi ecclesiæ coniungatur, est de vi status adhuc ineptus ad capessendum regnum Dei. Agnoscit & Thomas Aquinas hanc charitatis generaliorem acceptionem 1.2. q. 26. ar.

C 3 & 3. q. 84. art. 5. ad 2. Hæc igitur & similia patrum dicta satis ostendunt eam dilectionem Dei & proximi, quæ in homine iam pœnitente remissionem peccatorum præcedat subinde charitatis nomine designari.

§. 2. *Quòd aliqua Dei dilectio remissionem peccatorum antecedat.*

D

QVo magis elucescat contra hæreses hodiernas discrimen modò indicatum inter dilectionem & charitatem; paulò pleniùs probandum est, & esse quandam laudabilem Dei dilectionem quæ remissionem peccatorum, vel in catechumeno, vel in pœnitente præcedat, & rursum esse quandam Dei dilectionem iustis ac Dei filijs propriam, quæ charitas dicitur. Prius igitur illud præter ea quæ superiori capite dicta sunt etiam his argumentis ostenditur.

Dicit Dominus de muliere peccatrice: *Remit-*
E *tuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Quæ sententia etsi in varios sensus trahi possit, veteres tamen eam ferè in hunc sensum interpretantur: vt dilectio præcedens & ex operibus comprobata, intelligatur impetrasse subsequentem peccatorum remissionem. Ita Ambrosius intellexit loco suprà citato, & lib. 1. de pœnitentia cap. 16. & libro 6. in Luc. vbi hunc scripturæ locum tractans post alia sic ait: Et tu plurimum dilige, vt tibi remittatur plurimum. Sic & Augustinus homil. 23 inter 50. Accessit, inquit, mulier illa ad Dominum immunda, vt
F rediret munda: accessit ægra, vt rediret sana &c. & paulò pòst: Nam quare fecit illa omnia, nisi vt sibi dimitterentur peccata. Et tract. 7. in Ioan. bene ista, quia dolus in illa non erat, meruit medicinam. Et libro 2. de consensu euang. cap. 79. Maria, inquit, cum illa humilitate & lacrymis ad Dominum accedens meruit peccatorum remissionem. Similiter loquuntur Hieronymus in epistola decima quæ est ad Furiam, Gregorius homil. 25. in euangelia: Peccatrix, inquit, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis & vox veritatis

impleta est qua dicit: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Vbi maculæ criminis non possunt intelligi in auersione à Deo. Iam enim conuersa erat; quia amare, lachrymari, multum diligere non poterat nisi cõuersa esset sincerè; ergo intelligũtur in reatu pœnæ peccatis debitæ, quæ solet vocari culpa, & Chrysostomus hom. 2. in psal. 50. & hom 22. ad populum Antiochenum. Quibus consentiunt vetustiores Tertullianus & Origenes, quorũ ille libro 4. contra Marcionem: Peccatricis, inquit, pœnitentia secundùm creatorem meruit veniam. Hic verò libro 2. in Leuit. enumerans aliquot remissionis peccatorum caussas, Septima quoque, inquit, fuit remissio per abundantiam charitatis, sicut & ipse Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et apostolus dicit: *Quoniam charitas operit multitudinem peccatorum.* Intelligit autem charitatis nomine eam dilectionẽ, quam esse diximus in pœnitente ante reconciliationem. His accedit Euthymius scribens in 7. caput Luc. Hæc, inquit, quæ multis erat obnuxia, vehemẽter me dilexit, vt multum sibi remitteretur. Ideo quoque congruum mihi est, vt ei tanquam vehementer diligenti multum remittam. Aperta quoque est Petri Chrysologi sententia, qui serm. 94. tractãs historiam euangelicam de peccatrice ait inter cætera: Absolui vis? ama, charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Et iterum, dilectio delet & abluit vniuersa peccata. Et infrà: Fratres si nos esse peccatores nouerimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lachrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota deuotione fundamus vt dicatur nobis: Dimittuntur peccata multa, quoniam dilexisti multum. Sic ille. In eandem sententiam de peccatrice scribit Hugo Victorinus libro 2. de sacramentis parte 14. capite 6. Et hactenus de verbis Domini apud Lucam.

Alius locus est Ioan. 14. vbi dominus hunc ponit ordinem: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hic prima est dilectio Dei, & postrema trinitatis in homine mansio seu inhabitatio: quæ fit per gratiam iustificationis & remissionis peccatorum, quemadmodum etiam id intellexit Augustinus in epistola ad Dard 57.

Præterea dicit apostolus 1. Cor. vlt. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.* Impium est autem dicere anathema catechumeno, vel pœnitenti ad gratiam remissionis peccatorum aspiranti; etiamsi nondum sit eam consecutus. Tales igitur non sunt sine amore seu dilectione Dei.

Et vt alias scripturas, quibus idem probabiliter doceri posset omittamus, quædam annotabimus loca Patrum, quibus eos ita se sentire probemus. Augustinus ench. 76. docet quemque ea dilectione quæ secundo mandato præcipitur, eleemosynam facere, dum se præparat ad peccatorum veniam. Idem lib. de fide & operibus capite 10. eos redarguit, qui à baptizandis solam Dei dilectionem exigendam censebant, à baptizatis verò etiam dilectionem proximi: docens à baptizandis vtrumque exigi, & neutrum sine altero consistere. Et tract. 74. in Ioan. dicit apostolus si dicebant, Dominus Iesus, non fictè sed veraciter & ex corde, procul dubio eum dilexisse &c. Leo serm. 2. de collectis dicit, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus esse donatum: vt siquid culparum in hac

A terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur. Eleemosynæ enim, inquit, opera charitatis sunt, & scimus quòd charitas operit multitudinem peccatorum. Prosper quoque lib. 3. de vita contemplatiua cap. 13. 14. & 15. similiter dilectionem quã ipse charitatem vocat, in pœnitentibus requirit. Consentiunt his Fulgentius epistola 7. ad Venantium & Ambrosius libro 7. in Lucam capite 59.

Denique & authoritate conciliorum id ostenditur. Nam concilium Arausicanum cap. vlt. sic habet: Deus nullis præcedentibus meritis & fidem & B amorem sui priùs inspirat, vt baptismi sacramentum fideliter requiramus. Simile quid habet concilium Mileuitanum cap 4. sed manifestius illud quod in concilio Tridentino legitur sess. 6. capite 6. quòd peccatores pœnitentes priusquam iustificentur Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt. Et can. 3. anathema ei dicitur, qui dixerit hominem sine præueniente Spiritussancti inspiratione diligere Deum posse sicut oportet; vt ei iustificationis gratia conferatur. Qui locus & satis ostendit ante iustificationis gratiam Deum à pœnitente diligi sicuti oportet, & eum condemnat qui dixerit hoc illum posse sine gratia Dei.

C

§. 3. *Esse quandam dilectionem filijs Dei propriam.*

NVnc ad alterum quod propositum erat probandum veniamus, nempe quandam esse Dei dilectionem solis iustificatis seu regeneratis, seu reconciliatis propriam quæ proinde remissionem D peccatorum nunquam antecedat, sed eam perpetuò secum adferat, vtpote constituens hominem Deo gratum Deique amicum & filium, ideoque regni cælestis hæredem. S. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 1.

Probant id hæ & similes scripturæ. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum qui datus est nobis.* igitur charitas non est nisi in eo qui habet manentem in se spiritumsanctum. Atqui Spiritussanctus solos inhabitat filios Dei, iuxta illud eiusdem epistolæ, 8. *Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei* Et, *accepistis spiritum adoptionis* E *filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Et iterum: *Si autem filij, & hæredes.* Et illud Gal. 4. *Quoniam estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater. Itaque iam non est seruus sed filius. Quod si filius & hæres per Deum.*

Alia scriptura est 1. Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* Neque enim ante peccatorum remissionem, vel purum est cor hominis, vel conscientia bona.

Alia rursum 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater: vt filij Dei nominemur & simus.* Et F cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est,* id est Dei filius est Et iterum: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Et infrà: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et paulò pòst *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Huc pertinet & illud quod apostolus Rom. 13. dilectionem vocat plenitudinem seu cõplementum legis.

Hæc igitur & eiusmodi scripturæ loca satis conuincunt, quandam esse dilectionem (quam propriè charitatem dicimus) quæ tantùm sit iustorum ac filiorum Dei, quosque per hoc tam magnum

Dei donum tota trinitas inhabitet. Vnde celebris A est illa laus charitatis quòd sola distinguat inter filios Dei & filios diaboli; inter filios iræ & filios gratię; inter filios regni & filios gehennæ. Sic loquitur Augustinus lib. 15. de trinit. cap. 18. Vbi de charitate quam in epistola sua commendat Ioannes, disserens, ait: Solum hoc donum est quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Et lib. de vnitate ecclesiæ cap. 23. Hoc donum spiritussancti proprium est Sanctorum, vnde nemo communicat alienus. Et tract. 5. in epist. Ioan. Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. Et iterum. Non discernuntur filij Dei B à filijs diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem nati sunt ex Deo, qui non habent, non sunt nati ex Deo. Item serm. 53. de tempore simile encomium tribuit fidei per charitatem operanti; dicitque per eam nos renasci in baptismate & salutem æternam impetrare. Rursum in epistola 106. Hanc fidem, inquit, volumus habeant catechumeni, qua impetrent charitatem quæ sola bene operatur. Alius apud eundem locus est serm. 75 de diuersis vbi de margarita euangelica ad Catholicos verba faciens. Hæc, inquit, est charitas quæ diffunditur in cordibus vestris per spiritumsanctum qui dabitur vobis (scilicet in baptismo) & pòst: C Præstabit Dominus vt eius gratia regeneratis vobis etiam spiritusancto scribatur in cordibus vestris; vt quod creditis diligatis, & fides per dilectionem operetur in vobis: ac sic Domino placeatis, non seruiliter timendo pœnam, sed liberaliter amando iustitiam. Similis est locus lib. de fide & symbolo cap. 9. vbi reconciliari nos negat nisi per dilectionem, qua etiam filij Dei appellamur: Et paulò pòst dicit, nos reconciliari & in amicitiam reuocari per charitatem. Et rursum conc. 25. in psal. D 118. testatur, per spiritumsanctum peccatorum deleri vniuersitatem, & rectè factorum charitatem inspirari. Loca similia sunt lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6. vbi dicit seruos Dei venientes ad baptismum & inde ascendentes fructum dare geminę charitatis; & tract. 9. in Ioan. quòd qui charitatem habere cęperit, spiritumsanctum habeat; & tract. 32. nos habere spiritumsanctum si amamus ecclesiam: ecclesiam autem nos amare, si in eius compage & charitate consistimus. Vbi & hanc de charitate sententiam subiicit: Ipsum habeto & E omnia habebis; scilicet ad salutem necessaria, inter quæ haud dubiè est peccatorum remissio.

Hanc porrò doctrinam confirmat etiam illa Prosperi ex Augustino sententia 7. Dilectionem Dei & proximi propriam & specialem esse virtutem piorum atque sanctorum. Et 327. Quanta est charitas? quæ si desit, frustrà habentur cętera; si adsit habentur omnia.

Denique vt cæteros tam veteres quàm scholasticos prætereamus, manifestum est hoc pacto de charitate loqui patres concilij Tridentini tom sess. 6. cap. 7. vbi dicunt in ipsa iustificatione per spiri- F tumsanctum charitatem Dei diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, eamq; perfectè vnire cum Christo, & corporis eius viuum membrum efficere; tum sess. 14. cap. 4. vbi dicunt contritionem si charitate perfecta fuerit, hominem Deo reconciliare.

Ad huius probationem faciunt & quædam charitatis definitiones, quę apud authores sacros leguntur, quas modò subiiciemus.

§. 4. *Charitas quibus modis definiatur.*

MVltæ charitatis definitiones reperiuntur apud authores sacros. Magister in textu charitatem definit, dilectionem qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum, vel in Deo. Augustinus varijs locis eam definit breuissimè; dum modò voluntatem bonam; modò cupiditatem boni; modò amorem rectum eam esse dicit. Loca sunt lib. 12. de ciuit. cap 9. lib. 14. cap. 7. & lib. 19. cap. 7. Item lib. de gratia Christi c. 21. in expositione psal. 9. & conc. 2. in psal. 36. Quē secutus Prosp. lib. 3. de vita contēplatiua c. 83. Charitas est, inquit, vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis ac pręsentibus prorsus auersa, & quæ sequuntur; in quibus multas charitatis proprietates atque effectus enumerat. Rursum Aug lib 3. de doctrina Christiana cap. 9 Charitatem, inquit, voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Alij ex eodem Augustino lib de moribus ecc. cap. 11. charitatem definiunt animi nostri rectissimam affectionem, cōiungentem nos Deo; tametsi eo loco Augustinus non charitati, sed generaliter virtuti eam tribuit notionem. Author libri de spiritu & anima, inter opera Augustini charitatem describit, vitam qua copulator amans cum amato.

S. Thom. 1. 2. q. 65. art. 5. & 2. 2. q. 23. art. 1. & 24. art. 2.

Quin & apostoli verba 1. Tim. 1. speciem definitionis habent, quibus ait, legis finem esse charitatem, *de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* Nam & Augustinus epistola 29. quæ est ad Hieronymum & tract. 87. in Ioan. ijs verbis, vt definitione charitatis vtitur.

Porrò S. Thomas 1. 2. q. 65. artic. 5. dicit charitatem esse amicitiam hominis cum Deo, quæ super amorem addat mutuam redamantiam; & 2. 2. q. 23. art. 1. & 24. art. 2. definit, charitatem esse amicitiam quandam hominis ad Deum, fundatam super communicatione beatitudinis æternæ Cum quia S. Thomæ doctrina consentiunt, qui Charitatem definiunt virtutem, qua pia fiducia spetantes nos in Dei filios esse adoptatos, amamus, amplectimur, & inuocamus eum vt patrem nostrum dicentes abba pater. Atque hanc esse sanctam illam cum Deo amicitiam, quam habere nemo potest nisi per inhabitantem spiritumsanctum.

Iam si quæratur, quid discriminis sit inter has definitiones: breuiter respondemus quamuis multiplex inter eas discrimen statui queat, hoc tamen præcipuum & huic loco conueniens assignari posse; quòd postremæ quatuor definitiones competant charitati propriè dictæ, quæ filios Dei & hæredes regni constituit; priores verò seu definitiones seu notiones videantur, & in eam dilectionem competere, quam esse diximus in pœnitentibus ante perceptam veniam peccatorum; Ac rursum duas definitiones Augustini, quibus charitatē nunc motum nunc affectionem vocat; non habitui sed actui charitatis propriè accommodari. Quamquam ex actu bene cognito non est difficile in notitiam ipsius habitus peruenire.

§. 5. *An vna sit charitas qua diliguntur Deus & proximus?*

S. Tho. 2. 2. q. 23. art. 5.

CVm duo sint charitatis pręcepta; alterum quo Deus, alterum quo proximus amari iubetur, videri potest quòd non vna eademque sit charitas, qua Deus & qua proximus diligitur, sed gemina. Quo etiam nomine charitatem Christianam patres interdum vocant, vt Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6. Quod & conuincere videtur actuum distinctio. Alia est enim animi affectio, qua quis amando mouetur in Deum, alia qua in proximum. Deum enim diligit super omnia, proximum autem diligit sicut seipsum. Quare & habitus ipsos similiter inter se differre consentaneum videbitur. Huc accedit quod altera ab altera separari posse videatur. Quidam enim Deum diligunt, non proximum: quidam contrà proximum, non Deum. Vnde Gregorius homil. 23. super euangelia, dicit duos discipulos euntes in Emmaus nondum Christum vt Deum diligentes, amasse vt peregrinum. Quod & confirmatur. Non enim Deum diligebant, quibus propter incredulitatem dicitur: *O stulti & tardi corde ad credendum*, & tamen eis Gregorius tribuit charitatem erga proximos dicens; quod esse extranei à charitate non poterant cum quibus veritas gradiebatur.

Huc accedit exemplum Samaritani Luc. 10. qui proximum dilexit, vt docet ipsa parabola, non tamen Deum; quia secta Samaritanus erat. Quibos dicit Dominus Ioan. 4. *Vos adoratis quod nescitis.*

D Verùm cùm in omnibus quæ charitate diligimus vna sit diligendi ratio, videlicet Deus, quatenus summum bonum est, qui super omnia diligitur vt tale bonum, & ad quem sub eadem ratione consideratum cætera omnia quæ charitate diligimus, referuntur: omnino fatendum est vnam eandemque secundùm habitum esse charitatem, qua Deus & proximus & quæcunque alia res (erga quam charitas esse potest) diligitur: Eò quòd habituum vnitas atque distinctio ex formali ratione obiecti sumi debeat, quemadmodum & suprà de fide & spe declaratum fuit. Propter hanc vnitatem qua
E in vnum summum ac beatificum bonum, omnia quæ diligimus referuntur & quodammodo colliguntur, meritò charitas ipsa ab apostolo Eph. 4. & Col. 3. Vinculum pacis & perfectionis appellatur. Meritò & in Actis 4. omnium credentium cor vnum & anima vna fuisse dicitur. Imò tota ecclesia præter alias causas, etiam hac ratione quæ ex charitate sumitur in symbolo vna vocatur.

Neque contrarium probat, vel præceptorum vel actuum charitatis distinctio. Nam inde quidem rectè sequitur obiecta proxima & materialia charitatis esse diuersa, nempe ea quæ à natur, Deum & proximum. Sed quorum alterum solum est obiectum principale, & formalem obiecti rationem
F in se continens, scilicet Deus vt est summa bonitas. Quæ ratio cùm sit eadem in dilectione proximi (diligendus est enim proximus propter Deum) manifestum est habitum charitatis vnum esse secundùm speciem & non plures. Vnde Augustinus lib. 8. de triuit. cap. 8. cùm de duobus præceptis charitatis, eorumque necessaria inter se connexione multa dixisset, ita demum concludit. Ea vna igitur eademque charitate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem &

A proximum propter Deum. Et in sermone quodam de ascensione Domini qui est 6. inter Parisienses cap. 8. cùm dixisset ideo bis datum fuisse spiritumsanctum, vt commendaretur præcepta charitatis, subiungit: Duo sunt enim præcepta, & vna est charitas. Et infrà: Vna charitas & duo præcepta. Vnus spiritus & duo data. Non enim alius datus est prius, & alius datus est postea; quia non alia charitas diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. Non ergo alia charitas est. Qua charitate proximum, ipsa charitate diligimus & Deum. Sed
B quia aliud est Deus, aliud proximus, vna charitate diliguntur, non sunt tamen vnum qui diliguntur. Hæc ille. Cui tam verbis quàm sensu consonat Gregorius hom. 26. in euang. dicens: Sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus spiritus & duo data. Ex quibus etiam manifestè consequens est charitatem Dei à charitate proximi separati non posse. Non enim potest vnum & idem separari à seipso.

Quod igitur ex alio Gregorij loco obiectum est, ad id ita respondeo. Aut veram & Christia-
C nam habebant charitatem illi duo discipuli, atq; ita etiam Deum diligebant, licèt hominem secū ambulantem non diligerent vt Deum; quia nesciebant quis esset, peregrinum putantes. Aut non habebant, & per hoc nec proximum diligebant Christiana charitate, sed tantùm affectu quodam humanitatis. Quod fortè verisimilius. Si enim amiserant (de eo enim increpantur) veram charitatem Dei habere non poterant.

De Samaritano posset similiter responderi; non fuisse veram charitatem, sed humanum amoris affectum quo ille vulneratum diligebat. Tantum e-
D nim instituit ostendere Dominus illa parabola, quis sit noster proximus. Id enim quæsitum fuerat. Potest etiam responderi illum fuisse Samaritanum gente solummodo non etiam religione.

Porrò quod Magister adsert pro fundamento præsentis doctrinæ, quia charitas qua Deus & proximus diligitur est spiritussanctus, ex illo eius errore procedit, quo docuit lib. 1. distinctione 17. non esse creatam aliquam in nobis charitatem, sed solam increatam quæ est Deus. Ex quo fundamento sequeretur non tantùm specie, sed etiam numero eandem in omnibus iustis esse charitatem. Sed il-
E lam Magistri opinionem vt grauiter erroneam suo loco refutauimus.

§. 6. *Deum homini nihil præcepisse impossibile.*

S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10. & 2. 2. q. 44.

QVæri hoc loco solet, an præcepta charitatis, quorum altero iubemur diligere Deum ex toto corde, &c. altero proximum sicut nosipsos, impleantur in hac vita? Quæ quæstio eo diligentiùs tractanda est, quo magis circa eam hodie a sectarijs
F erratur, docentibus neminem posse in hoc corruptionis statu legem Dei implere, ac neminem operatione virtutum iustum esse coram Deo: sed quæ Deus præcepit, esse nobis hic viuentibus obseruatu impossibilia. Prius igitur ostendendum est nihil impossibile nobis à Deo præceptum esse. Deinde probandum præcepta charitatis in hac vita à iustificatis impleri.

Ad prioris probationem præmittemus tres rationes quarum vna est: Præceptum & impossibile repugnant. Si quid enim præceptum est, faciendum

dum est. Cùm præceptum non sit aliud quàm regula agendorum. Quod autem impossibile est, non est faciendum. Nam possibilium solummodo hæc diuisio est, vt eorum alia facienda sint, alia non facienda.

Altera. Lex omnis datur voluntati, non ob aliud quàm quia voluntas seipsam mouere potest in id quod præcipitur. Qua ratione sublata desinet ratio legis; igitur lex non est nisi possibilium.

Tertia. Meritò inter homines ille qui alteri aliquid impossibile iuberet, vel tale quid ab eo exigeret, rem absurdam & à ratione alienam facere iudicaretur. Multò igitur magis à Deo absurda illa præcipiendi ratio remouenda est. His rationibus astipulatur & illud quod iuris regula dictat, impossibilium nullam esse obligationem.

Cæterùm multò certiùs idem nos docet scriptura sacra. Nam Deut. 30. sic ad Israelitas loquitur Moyses: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo vt facias illum.* Et postea eandem possibilitatem declarans, & in quo sita sit, exponens subijcit: *Elige ergo vitam vt & tu viuas, & diligas Dominum Deum tuum atque obedias vocietus, &c.* Et priora quidem illa Moysi verba repetiuit apostolus Rom. 10. vbi de iusticia quæ ex fide est disputabat; ne quis Moysen tantum de opere externo locutum fuisse suspicetur. Vnde etiam discimus non tantùm pijs & spiritualibus, verumetiam carnalibus & terrenis hominibus, quales erant ad quos Moyses loquebatur, possibilem esse legis obseruationem; quatenus nimirum adiuuante Dei gratia sese liberè ad diligendum Deum conuertere possunt.

Aliæ autē scripturæ admonent nō modò possibilem, sed & facilem esse diuinę legis obseruationem, vt Matth. 11. dicente Domino: *Iugum meum suaue est & onus meum leue.* Quod de mandato charitatis patres intelligunt & 1. Ioan. 5. *Hæc est*, inquit, *charitas Dei vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Sed neque Dauid mandata Dei dixisset esse *desiderabilia super aurum & lapidem preciosum & dulciora super mel & fauum.* Psal. 18. neque in ijs delectatum se fuisse sicut in omnibus diuitijs psal. 118. si ea obseruatu impossibilia iudicasset.

Dicimus autem impossibile, non quod homo proprijs naturæ viribus facere nequit: quomodo sine dubio impossibilia sunt homini præcepta Dei, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 28. libri secundi: sed quod secundùm modum gratiæ quam in hac vita iustificatis communicat Deus, fieri ab homine non potest. Talem enim impossibilitatem præceptorum Dei contra doctrinam Catholicam defendunt huius temporis hæretici.

Quos post scripturam maximè refellit authoritas Augustini compluribus locis. Nam lib. 2. retract. cap. 10. proferens ea lib. 1. de gen. contra Man. cap. 3. verba quædam, quibus dixerat; posse omnes homines si velint, præcepta Dei implere, omnino verum id esse confirmat. Sed, inquit, præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis, vt possint. Et lib. de gratia & libero arbitrio cap. 15. Per gratiam fieri dicit vt bona voluntas augeatur, & tam magna fiat vt possit implere diuina mandata: Vnde & proximo capite approbat illud quod Catholicis obijciebant Pelagiani: Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Et lib. de natura & gratia cap. 43. sic ait: Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis. Et cap. 69. Eo ipso quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum, impossibilia non potuisse pręcipere, admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Quo loco etiam supracitatas à nobis scripturas in testimonium adducit. Idem præfatione in psal. 56. cùm de pręcepto charitatis quo iubemur pro fratribus animas ponere, loqueretur. Neque imperaret hoc Deus, inquit, vt faceremus; si impossibile esse iudicaret vt hoc ab homine fieret. Et lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6. Dubitare, inquit, non possum Deum nihil impossibile homini præcepisse. Item serm. 3. de verbis Domini: Deus, inquit, seruum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret; vbi nota *nullo modo*, Nam sine gratia non potest. Similia apud eum leguntur serm. 59. & 61. de tempore tametsi sermones illi non videantur Augustinum habere authorem. Manifestum est autem omnibus ijs locis Augustinum loqui de homine secundùm statum præsentem. Quomodo & Hieronymus loquitur exponens illud 5. Matth. *Diligite inimicos vestros.* Multi, inquit, præcepta Dei imbecillitate sua non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt. Et mox: sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere sed perfecta. Sic & Beda lib. 1. super Cantica cap. 6. respondens ad 10. obiectionem Iuliani, ait: Qui dicit Dominum non impossibile aliquid præcepisse quia iustus est verum profectò dicit, si ad eius respicit auxilium, si verò viribus animi sui fidit refellit eum veridica sententia, quæ dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Ideo porrò eam sententiam qua dicitur impossibile aliquid homini à Deo præceptum Pelagiani Catholicis odiosè impingebant, & Catholici studiosè à se repellebant, quod ea ad hæresim Manichæorum pertineret, ponentium hominem propter naturam malam ex qua compositus esset, non posse peccatum vitare. Hoc autem ita damnant Catholici vt non tantùm ex malo principio, cuiusmodi reuera nullum est, verumetiam ex corruptione naturæ facta per Adam negent homini simpliciter impossibile esse vt Dei legem impleat. Quod enim naturæ & legi impossibile est, possibile facit imò & præstat, vt proximo capite ostendetur, gratia Dei per Christum. Huius dogmatis definitionem & claram explicationem videre licet in synodo Tridentina sess. 6. cap. 11. & can. 18. Quibus locis idcirco ad hominem iustificatum suam definitionem restringunt patres, quòd quodam vero sensu homini Dei gratia destituto sit impossibilis præceptorum Dei obseruatio, quemadmodum & suprapposita patrum testimonia & ea quæ de hoc argumento diximus ad 28. distinctionem lib. 2. satis probant.

§. 7. *An præcepta charitatis impleantur in hac vita?*

QVod diximus de possibilitate præceptorum Dei, certiùs constabit, si ostendamus, quòd secundo loco propositum erat, præcepta charitatis à iustificatis in vita impleri. Nam ex actu sequitur necessariò potentia seu possibilitas. Simul autem satisfactum erit & ei quæstioni, qua quæritur, vtrùm modus diligendi primo & maximo mandato expressus videlicet ex toto corde, ex tota anima, &c. possibilis sit in hac vita, & reuera impleatur? S.Tho.2.2.q.44.art.6.& 8.

Supponimus

A Supponimus enim tanquam ex verbis mandati manifestum, etiam modum illum in præcepto contineri, ita vt fatẽdum sit, teneri vnumquemq; hominem ex lege diuina & naturali, etiam in hac vita ad diligendum Deum ex toto corde &c. Hoc ergo à iustificatis impleri nunc probandum est.

Probatur autem primùm & potissimùm ex varijs scripturæ locis, quorum quædam testantur aliquos iustos fuisse, non imputatiuè, vt volunt aduersarij, sed propriè; ea nimirum iusticia quæ in operatione virtutum consistit, de qua 1. Ioan. 3.
B *Qui facit iustitiam iustus est.* Quomodo Abel, Noe, Abraham, alijque patriarchæ & prophetę iusti coram Deo fuisse dicuntur. Sicut igitur rectum in genere dicitur, quod regulæ respondet: ita iustus inter homines cuius actiones legi respondent tanquam humanæ regulæ. Vnde sequitur eum iustum esse coram Deo, cuius vita legi Dei sit conformis. Quod nõ est aliud quã præcepta Dei ab eo impleri.

Quædam autem testantur quosdam ambulasse, quomodo de parentibus baptistæ scribit Lucas 1. quòd *erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus*
C *mandatis & iustificationibus Domini sine querela*, quod Græcè est, *irreprehensibiles.* Cuiusmodi est & illud S. Iob de se testimonium 23. *Viam eius custodiui & non declinaui ab ea. A mandatis labiorum non recessi.* Et similia quædam de se canit Dauid in psalmis 17. 18. 118.

Alia verò charitatem hominibus tribuunt, tam Dei, quàm proximorum, vt Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* & 1 Ioan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Atqui charitas implet legem, juxta illud Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Et Gal. 5. *Omnis lex in vno sermo-*
D *ne impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Consequens igitur est eos qui charitatem habent, legem implere, dicente Domino Ioan. 14. de charitate Dei: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*, & apostolo Rom. 13. de charitate proximi: *Qui diligit proximum legem impleuit.*

Alia rursum scripturæ loca de quibusdam testantur, quòd toto corde quæsiuerint, secuti sint, dilexerint Deum, coram Deo ambulauerint, mandata eius scrutati sint; velut de Dauide, Iosaphat, Ezechia, Iosia regibus Iuda. Et quidem de Iosia hæc apertissima sunt scripturæ verba 4. Regum. 23.
E *Reuersus est ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.* Manifestè quoque ad noui testamenti promissionem pertinet illud Deut. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*, & illud Ierem. 24. *Reuertentur ad me in toto corde suo.*

Sunt & alia loca, quæ perfectionem iusticiæ & charitatis homini in hac vita tribuunt. Ita de Noe scribitur Gen. 6. & Eccles. 44. quòd fuerit vir iustus atque perfectus, & apostolus quosdam in hac vita perfectos agnoscit dum scribit 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, & Phil.
F 3. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Neque Christus diceret: *Si vis perfectus esse, vade, &c.* nisi ea perfectio in hac vita contingeret. Ioannes quoque 1. ep. 2. & 4. charitatem in hac vita perfectam agnoscit his sententijs: *Qui seruat verbum Dei, verè in hoc charitas Dei perfecta est*, &, *Si diligamus inuicem Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.*

Postremò ea loca quæ testantur hominem in hac vita implere & perficere legem Dei, planè rem præsentem confirmant, vt quod apostolus Rom. 8. dicit iustificationẽ legis impleri in ijs qui nõ secundùm carnem ambulant sed secundùm spiritum: quodque ex eodem suprà citauimus eum qui diligit, legem implere. Et illud Phil. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Et Iacobus 2. significat eum legem perficere regalem, *Qui diligit proximum suum sicut seipsum.* Sic de Caleb & Iosue dicit Dominus Numer. 32. *Isti impleuerunt voluntatem meam.*

Quamuis autem hæc è scripturis probatio sufficere debeat, certioris tamen probationis gratia subiiciemus quædam Augustini verba quibus id clarè astruatur. Scribens ille in psal. 40. Magna lex est Christiana, inquit, sed quis illam implet? Impletur in nomine saluatoris nostri. Et infrà: Veniant ad fidem qui dubitant. Non dicant, quis hoc implet? Si de viribus suis præsumunt, non implebunt. Viuunt omnes fideles in nomine Christi, quisque pro gradu suo implens præcepta Christi, siue coniuges, siue celibes & virgines. Et iterum: Noli mihi dicere: Quis illud implet? Ille in me implet, qui venit diues ad pauperem. Item epistola 89. Diffunditur, inquit, in corde charitas Dei, vnde fiat legis plenitudo; non per vires arbitrij quod est in nobis, sed per spiritumsanctum qui datus est nobis. Et epistola 120. Charitas quæ præceptum implet diffunditur in cordibus nostris per spiritumsanctum. Similia sunt loca lib. de spiritu & litera cap. 19. quæst. 107. & 166. in Exod. & in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Rom. propositione 41. sed & alibi frequens apud eum est, quòd non timor, sed amor, non cupiditas, sed charitas implet legem.

Quod autem ad modum quo diligendus est Deus, attinet, quamuis in eo quod dicitur lex impleri, sufficienter contineatur: sunt de eo tamen & alia apud eundem loca lib. de vera religione cap. 46. tract. 17. in Ioan. His accedit authoritas concilij Mileuitani in quo definitur cap. 5. non nisi per gratiam Christi mandata diuina à nobis impleri. Ac postremò concilij Tridentini in quo sess. 6. cap. 11. definitum est, iustificatis ita possibilem esse mandatorum Dei obseruationem, vt ea reuera seruent. Cæterùm ne vocabulum implendi, quo secundùm scripturam hîc vtimur, scrupulum cuiquam moueat: ille implere legem dicitur, teste Augustino lib. 17. contra Faustum cap vlt. qui facit ea quæ lex præcipit.

---

§. 8. *Responsio ad quædam aduersariorum argumenta.*

CONtra superiorem doctrinam multa ab aduersarijs obijci solent, sed tria præcipuè; quibus nituntur ostendere Deum in hac vita non diligi, imò nec posse diligi à quoquam, eo modo quem lex præscribit, videlicet ex toto corde, &c. *S. Thom. vbi sup.*

Primùm, quia nemo est qui ita omnem animæ vim intendat in Dei dilectionem vt eum tantum diligat, quantum ab ipso est diligibilis, Alioqui enim non esset quo proficeret in actu diligendi Deum. Hunc autem perfectissimum diligendi modum significatum putant verbis illis, *ex toto corde, &c.*

Secundò, quia nemo hic viuit sine quotidianis peccatis; Hoc autem pugnare dicunt cum dilectionis modo lege præscripto.

Tertiò,

A Tertiò, quia quamdiu hîc viuimus, manet in nobis concupiscentia carnis, semper nitens contra spiritum Gal 5. quæ proinde efficiat, vt non ea omnibus animæ viribus homo Deum diligat.

Porrò ad sui erroris confirmationem abutuntur sententijs aliquot Augustini. Nam is lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. ita scribit: Hæc regula dilectionis diuinitus constituta est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*, *Deum* verò *ex toto corde, & ex tota anima & ex tota mente*, vt omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea quæ confers. Cùm autem ait: toto corde, tota anima, tota mente; nul- B lam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debet, & quasi locũ dare vt alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Et lib de perfect. iust cap. 8. Non vtrum præceptum sit quæritur, sed ipsum quod præceptum esse constat, vtrum in corpore mortis huius possit impleri, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Et post multa loquens de charitate vitę futuræ ait: In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur, *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente.* Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continen- C do frenetur, non omnimodo ea tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, &c. Et iterum: Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quo currendum est nesciatur: Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Item lib. de spiritu & litera cap vlt. commemorans præceptum dilectionis Dei & proximi, Hoc, inquit, in illa vita complebimus, cùm videbimus facie ad faciem. Sed ideo D nobis hoc etiam nunc præceptum est: vt admoneremur quid fide deposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quę retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Et paulò pòst dicit ad vitam immortalem pertinere, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c.* ad hanc autem: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius* Ad illam, *Non concupisces.* Ad istam, *Post concupiscentias tuas non eas, &c.* Item Bernardus sermone 50. in Cantica similia habet cum Augustino.

Ad hæc vt breuiter respondeamus, notandum E est totalitatem illam lege præscriptam cum dicitur *ex toto corde*, intelligi posse duobus modis Vno vt significetur, hominem omnes animæ suæ vires ad Dei dilectionem ita impendere atque intendere debere, vt amplius non possit; id est, vt tantum diligat, quantum ab ipso est diligibilis; Altero, vt id toto corde fieri dicatur, in quo quis pręcipuum studium & cogitationem ponit; quomodo dicimus aliquem totum esse in literis. Dicendum igitur est totalitatem præcepto dilectionis inclusam non priori sed posteriori modo intelligendam esse. Id quod ex innumeris ferè scripturæ locis, quibus ali- F qui Deum quæsiuisse, & bona quædam fecisse ex toto corde suo dicuntur, ostendi potest, quemadmodum superiori capite ostendimus. Diligitur ergo Deus ex toto corde, &c. quando in amore nihil ei præponitur, sed ipse super omnia diligitur, & ad perfectam eius dilectionem tenditur; etiamsi neque adhuc prauis concupiscentię motibus, neque etiam quotidianis, leuibus ac venialibus delictis careamus. Cùm ea non eiusmodi sint, vt charitatem Dei à nobis excludere valeant. Quod autem quidam dicunt non aliud significari totalitatis vo-

A cabulo in lege posito, quàm sincerè & purè Deum diligendum esse; non videtur satis esse ad vim præcepti explicandam. Nam & proximus sincerè & pro amore à nobis diligendus est, quem tamen nusquam iubemur diligere ex toto corde & ex tota anima &c. sed tantùm sicut nosipsos.

Ad Augustinum respondemus, eum locis citatis intellexisse quidem totalitatem prioris modi; & hoc sensu asserere dilectionis mandatum in hac vita impleri non posse, sed docet mandatum sic intellectum non esse homini infirmo sub pœna pec- B cati præceptum, sed tantùm propositum vt scopum & finem, ad quem conari, tendere & peruenire aliquando debeat, id est, ad eam iustitiæ perfectionem quæ speratur in futuro seculo. Quale quid similiter in præcepto, *Non concupisces*, eum considerasse apparet etiam aliunde. Id autem voluisse Augustinum, tum ex verbis suprapositis facilè intelligi potest, tum euidenter ostenditur ex alijs, quæ sunt eodem loco de spiritu & litera. Neque enim, inquit, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. In eandem porrò sententiam scribit C Bernardus serm. 50. super Cantica. Sed plenior huius argumenti tractatio ad controuersiam de iustificatione pertinet.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMOCTAVAM.

§. 1. *Quænam charitate diligenda sint*

D Charitatis obiectum formale, vt suprà ostendimus, solus Deus est; quia solus ipse est summa bonitas quæ propter se diligitur, & ad quam cætera, quæ sub dilectionem cadunt, sunt referenda. Materiale verò charitatis E obiectum dicitur quod charitate diligitur. Id autem constat non solum Deum esse, sed & alia quædam. Quænam verò sint exponit Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 23. & 26. cùm docet quatuor esse diligenda; vnum quod supra nos est, id est, Deum, alterum quod nos sumus; tertium quod iuxta nos est, id est, proximum; & quartum quod infra nos est, id est, corpus nostrum;

g.26.2 a.q.25. a.1. &c

Et quidem de Deo & proximo diligendo expressa sunt duo dilectionis mandata. De nobis autem ipsis & de corpore nostro dicit ibidem Au- F gustinus nulla præcepta danda fuisse: Quantumlibet enim, inquit, homo excidit à veritate, manet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui; & ideo non potest nisi & se & corpus suum diligere. Et cap. 25: Quin homo se diligat & prodesse sibi velit dubitare dementis est, & quod diligat etiam corpus suum, idque saluum habere atque integrum velit, æquè manifestum est. Et cap. 26. Quoniam, inquit, præcepto non est opus, vt se quisque & corpus suum diligat, id est, quoniam id quod sumus, & id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet,

incon-

inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est, (Nam & bestiæ se & corpora sua diligunt) restabat vt & de illo quod supra nos est, & de illo quod iuxta nos est, præcepta sumeremus. Sic illa. Quibus verbis non dicit Augustinus homini præceptam non esse suipsius vel corporis sui dilectionem, sed eo præcepto opus fuisse negat. Quod enim gemino præcepto charitatis, omnium eorum quæ diligi debent, dilectionem præceptam esse rectè intelligatur, ostendit verbis sequentibus. Quòd si te totum intelligas, inquit, id est, animam & corpus tuum, & proximum totum, id est, animam & corpus eius; nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita vt cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cùm dictum est, *diliges proximum tuum tanquam teipsum*, simul & tui abs te dilectio non prætermissa est. Sic Augustinus.

Præterea quod in verbis Augustini superioribus dicitur, semper homini manere dilectionem sui, & dilectionem corporis sui, vsque adeo vt non possit non & se & corpus suum diligere; non de ea dilectione intelligendum est, qua quid rectè, ordinatè, & propter Deum diligitur. Ita enim manifestum est, multos nec se nec sua corpora diligere, sed odisse potiùs iuxta illud psal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*, quemadmodum eodem loco docet Augustinus. Sed de dilectione naturali qua quisque vult vt sibi & corpori suo bene sit, iuxta illud apostoli Eph. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* Quam naturalem sui dilectionem etiam bestijs communem esse suprapofita Augustini verba testantur. Non ergo homini præcepto opus est, vt se & corpus suũ diligat; id est, sibi suoque corpori bonum velit, sed modus diligendi, inquit ibidem Augustinus, præcipiendus est homini; id est, quomodo se diligat, vt prosit sibi; præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, vt ei ordinatè prudenterque consulat. Modus autem ille varijs Dei præceptis continetur, quorum vnum generale, illud est apud Ecclesiasticum: *Miserere animæ tuæ placens Deo*, & illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Item, *Omnia in gloriam Dei facite.*

Vt autem rationem charitatis quatuor illorum quę diligenda esse diximus, breuiter explicemus; Deus diligendus est tanquam beatitudinis nostræ principium; nosipsi tanquam beatitudinem adepturi; proximus tanquam eiusdem beatitudinis nobiscum particeps futurus; corpus verò nostrum tanquam id ad quod per quandam redundantiam beatitudo deriuatur. Atque hinc manifestum est secundo membro animam nostram contineri: quia ipsa est quæ in nobis Deo fruitur, corpus autem proximi tertio membro; quia tam corpus quàm anima proximi diligitur à nobis ratione cuiusdam associationis in beatitudine.

Ipsa verò charitas supradictis non annumeratur; quia neque diligitur vt summa bonitas, quomodo diligitur Deus; neque vt illud cui summam bonitatem volumus communicari; quomodo diximus & nos & proximum & corpus nostrum diligi: sed hac tantùm ratione, quia amatur vt bonum quoddam, quod communicatum volumus ijs quos charitate diligimus; & tale bonum quod per se ducat ad summum & beatificum bonum: estque simile iudicium de alijs virtutibus & earum actibus, & ipsa beatitudine, vt bene docet S. Thomas art. 2. Atque eo sensu accipiendum quod dicit Augustinus lib. 8. de trinit. cap. 8. Qui diligit proximum, consequens est vt & ipsam dilectionem diligat. Non enim diligit dilectionem, vt ipsa sit beata, sed vt per eam homo sit beatus.

De creaturis quoque rationis expertibus simili ferè modo dicendũ est. Diliguntur enim, non vt ea quibus communicatam velimus beatitudinem, cuius non sunt capaces, sed tanquam bona quædam quæ vel nobis vel alijs hominibus ex charitate dilectis volumus, tametsi hæc non talia bona sunt, quæ per se ducant ad summum bonum.

---

§. 2. *Proximorum nomine qui comprehendantur.*

QVid nomine proximi in secundo dilectionis præcepto significetur, & quam latè id nomen pateat, ostendere voluit Dominus in euangelio Luc. 10. vbi interrogatus à legisperito; *quis est meus proximus?* subiecta parabola descendentis de Ierusalem vicissim quæsiuit; *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* Respondente autem legisperito, eum videri proximum qui fecit in illum misericordiam, Dominus quasi sententiam eius confirmans subiecit, *Vade & tu fac similiter.* S.Tho. 2. 2. q. 25. a. 1. & 8. 9. 10. & 11.

Sed ex hac responsione videri potest, non sacerdotem, non Leuitam fuisse proximum eius qui incidit in latrones, sed solum Samaritanum; vt qui solus erga eum fecerit misericordiam. Quod si ita est, neque ergo sauciatus ille horum duorum proximus erat. Proximus enim relatiua ad proximum dicitur. Vnde consequens erit, neque duos illos peccasse contra præceptum dilectionis proximi, neque teneri quemquam ad diligendum nisi eum à quo beneficium acceperit; quod vtrumque falsum & scripturæ contrarium est. Proinde dicendum est, interrogationis Domini sensum hunc esse. Quis horum trium videtur tibi functus officio proximi erga eum qui incidit in latrones? Iuxta quem sensum rectè responsum est à legisperito; eum qui misericordiam fecit, fuisse proximum, id est, reipsa sese vulnerato illi proximum exhibuisse.

Quod autem omnis homo nemine in hac vita excepto, proximi nomine contineatur, vno Samaritani & vulnerati illius exemplo Dominus ostensum esse voluit. Si enim Samaritanus, genere & vitæ consuetudine à Iudæis diuersus atque alienus, Iudæo vulnerato præstitit misericordiam tanquam proximus; nemo profectò hominum à proximi nomine ac debito excipiendus erit. Quam conclusionem indicat illud epiphonema Domini: *Vade & tu fac similiter*, id est, quemcunque hominem inueneris ope tua indigentem, eum puta tibi & te illi proximum esse; ideoque misericordiæ officijs abs te adiuuandum. Vnde Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 30. tum ex hac parabola, tum ex apostolo Rom. 13. dicente omne mandatum recapitulari in hoc sermone; *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, probat à lege dilectionis proximi nullum hominem excipiendum: cùm nemo sit exceptus, cui si indigeat, misericordiæ denegari debeat officium, quandoquidem vsque ad inimicos etiam diligendos Domino præcipiente extendatur.

Ad eam verò quæstionem quam mouet Magister, an ad præceptum dilectionis proximi, etiam dilectio pertineat angelorum ?eodem loco Augustinus ita respondet. Iam verò si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præhendum est officium misericordiæ rectè proximus dicitur, manifestum est hoc præcepio quo iubemur ;diligere proximum; etiam sanctos angelos contineri,à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur. Sic Augustinus. Manifestum est igitur proximi nostri nomine omnem creaturam intellectualem cōtineri, quæ nobiscum particeps esse potest æternæ beatitudinis. Eiusmodi autem sunt, imprimis omnes beati, tam angeli, quàm sanctorum hominum animæ. Deinde quicunque homines adhuc versantur in hoc seculo seu boni seu mali etiam reprobi; non quidem vt tales, sed quatenus saluari possunt,& ad salutem promoueri debent ab ijs qui eos reprobos esse ignorant.

Cæterùm dæmones & animæ damnatæ hac proximi generalitate non continentur;quos proinde charitate diligere non iubemur, imò nec licet: qoia illud bonum æternæ beatitudinis quod respicit charitas, ijs quos iam damnatus nouimus,velle non debemus. Id enim repugnaret charitati Dei qua eius iusticiam & veritatem approbamus. Consentit his quæ de proximi significatione diximus, Augustinus tract. de disciplina Christiana capite 3.4. & 5. & serm. ,in dominicam 13. post pentecosten. Et Prosper libro 3.de vita contemplatiua capite 15.

§. 3. Mali quatenus à nobis diligendi.

S. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 6.

CVm proximorom nomine comprehendantur etiam mali homines in hac vita degentes: vt iam ostendimus: consequens est & eos à nnbis charitate diligendos esse, idque exemplo Christi, qoi in eo maximè charirstem suam erga nos commendauit:quia cùm adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est Rom.5.

Pro cuius doctrinæ declaratione notandum, dum dicimus hominem malum seu peccatorem, duo significari: alterum quod homo est, alterum quod peccator: quorum illud naturam, hoc vicium significat. Cùm igitur homines mali, quatenus homines, id est ratione naturæ sint capaces æternæ beatitudinis, hac sanè ratione à nobis sunt diligendi: quia charitas super communicatione æternæ beatitudinis fundatur. Sed quia vicium illud quo mali sunt, impedimentum est illis consequendæ æternæ beatitudinis; hac ratione ijdem non diligendi sed odiendi sunt. Atque hoc ipsum etiam charitatis officium est, odisse peccatum in eo quem volumus ad æternam beatitudinem peruenire, propterea quòd peccatum impediat, quò minùs ad eum finem peruenire possit. Et in genere eiusdem rationis est, malum alicuius odisse & eiusdem bonum diligere. Vnde eo ipso quo quis hominem malum, quatenus malus est, odit, conuincitur eum hominem simpliciter diligere.

In hanc sententiam scribit Augustinus tum alibi, tum libro 1. de doctrina Christiana capite 27. his verbis: Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus; & omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum. Quod & à Prospero inter Augustini sententias relatum est sententia 267. cui titulus de homine peccatore. Simile est quod monet Gregorius homil. 32. in euangelia vt in vno eodemque homine & diligamus bonum quòd factus est, & persequamur mala quæ fecit. Quodque alibi dicit: quod etsi indignationem debemus vicijs, compassionem tamen debemus naturæ.

Ex hac porrò declaratione facilè est conciliare scripturas in speciem pugnantes: quarum aliæ omnes omnino homines etiam malos & & inimicos diligendos, ijsque benefaciendum & pro ijs orandum doceant; aliæ eos rectè odio haberi significant. Nam illæ in peccatoribus naturam considerant, istæ maliciam. Vnde qui dixerat: *Iniquos odio habui*: vt quo sensu id dictum esset, intelligeremus, adiunxit: *& legem tuam dilexi*: significans se odisse iniquos quatenus iniquos, id est quatenus legi diuinæ aduersantes, idemque alio versu eiusdem psalmi manifestius exposuit dicens: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*. Quin & Ioannes in epistola Catholica, qua tota fideles ad dilectionem hortatur; solùm peccatum & peccati fomitem à dilectione vult excipi, cùm ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Cuius præcepti rationem addit: quia, *Si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo.* Ac deinde exponens quid sit mundus, & qui in mundo sunt, subiicit. *Quoniam omne quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est* &c.

Quæ verò aduersus malos leguntur imprecationes in scriptura sacra, tripliciter salua eorum dilectione intelligi possunt, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 6. Vno modo vt sensum habeant enunciatiuum; altero vt optatiuum quidem, sed ita, vt desiderium optantis non per se referatur ad pœnam hominis, sed ad iusticiam punientis. Tertio vt idem desiderium referatur ad interitum hominis peccatoris; non vt hominis sed vt peccatoris. Quatenus autem malos, præsertim inimicos dilectionis officijs prosequi oporteat, circa 30. distinctionem dicetur.

naturali constare, Deum super omnia diligendum esse: ac legem naturæ id docere, rametsi lex id docens & dictans à mentibus hominum adeo fuit obliterata, vt nec philosophorum quisquam inueniatur id tradidisse, sed magis contrarium. Vide Pererium in epist. Rom. 2. disput. 11. num. 76. citantem Aristotelem, Ciceronem & A. Gellium.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMNONAM.

§. 1. Ordine dilectionis Deum omnibus alijs esse præferendum.

S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 1. 2. & 3.

ESSE aliqoem diligendi ordinem, quo aliud magis, aliud minùs diligendum sit, ostendit illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*. Quod exponens Augustinus serm. 7. de verbis Domini; facite, inquit, gradus & & vnicuique quod debetur restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Et lib. 15. de ciuit. cap. 22. hoc eodem scripturæ testimonio citato docet, virtutem non aliud esse quàm ordinem amoris. Idem verò libro 1. de doctrina Christiana capite 27. de hac re ex professo disserens: Ille, inquit, iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum; aut non diligat quod est diligendũ; aut ampliùs diligat quod minus est diligendum &c. Quibus Augustini verbis ratio huius ordinis indicatur; recta videlicet atq; integra rerum æstimatio. Cùm enim bonorum aliud summum sit, alia certo ordine ad summum illud bonum tanquam principium sese habeant: charitas autem sit amicitia quædam consistens in communicatione summi illius boni; necesse est vt in ijs quæ charitate diliguntur, idem ille ordo attendatur.

Quo in ordine haud dubiè Deus vt summum bonum cæteris bonis omnibus anteponendus est; non modò ijs quæ à nobis diuersa sunt, sed & nobisipsis. Nam proximum quidem sicut nosipsos diligere iubemur: Deum verò non sicut nosipsos, sed ex toto corde, ex tota anima &c. quod neque de proximo, neque de nobis ipsis præceptum est. Et Luc. 14, dicitur: *Si quis non odit*, id est dilectionis affectu mihi postponit, *patrẽ suum & matrẽ*, &c. *adhuc autem & animam suam*, id est seipsum, *non potest meus esse discipulus*. Quem sensum confirmat similis apud Matthæum sententia cap. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus*. Vnde Augustinus libro 1. de doctrina Christiana capite 22. ait inter cætera: Si teipsum non propter te debes diligere, sed propter illud vbi dilectionis tuæ rectissimus est finis: non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligas. Hæc enim regula dilectionis diuinitus constituta est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, *Deum* verò *ex toto corde* &c. Et capite 27. Deus, inquit, diligendus est propter seipsum: Et si Deus omni homine amplius diligendus est, ampliùs quisque debet Deum diligere quàm seipsum. Idem libro 8. de triuit. capite 8. dicit, incomparabiliter plus charitatis Deo quàm nobis nos impendere debere.

Ratio autem ex dictis manifesta est: quia Deus est summum bonum & vltimus finis; quare vt summum bonum diligendus est super omnia: & vt vltimus finis diligendus est propter se, & non propter aliud. Cætera verò omnia, & infra Deum diligenda sunt & propter Deum. Hinc etiam liquet ratione

§. 2. Quòd quisque se magis quàm proximum diligere debeat.

S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 4.

SIcut primo loco & super omnia diligendum quod supra nos est: id est Deus, ita secundo loco diligendum quod nos sumus; tertio verò loco quod iuxta nos est, id est proximus; & quarto quod infra nos, id est corpus nostrum. Quem diligendorum ordinem probabiliter ex Augustino colligit, Magister, tametsi Augustinus primo libro de doctrina Christiana, vbi hunc tradit numerum eorum quæ diligenda sunt, non etiam ordinem manifestè expresserit inter secundum & tertium; id est inter nos & proximum.

Probatur nihilominus hic ordo & authoritate & ratione, Authoritate quidem quia cùm dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, significatur dilectionem hominis ad seipsum esse velut exemplar & regulam dilectionis ad alterum, non contrà. Neque enim sicut dictum est, *Diliges proximum sicut teipsum*: ita etiam dictum legitur, Diliges teipsum sicut proximum. Regulam autem appellat Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 20. cùm dicit, quòd regulam diligendi proximum à seipso accepit, & libro de vera religione cap. 46. Cùm ergo exemplar & regula sit potior eo quod in illis accommodatur, consequens est vnumquemque se magis quàm proximum debere diligere.

Eundem ordinem confirmat illud à minori sumptum argumentum Ecclesiastici 14. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* quasi dicat prius quisque sibi bona velle debet quàm alijs.

Tale quid indicat illud Matth. 25. *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes*. Et quod Eliam dixisse legimus ad mulierem viduam 3. Reg. 17. *Fac mihi primum subcinericium panem, tibi autem & filio facies postea*.

Idem & ex eo probatur, quòd quiuis non tenetur alteri dare eleemosynam, nisi ex eo quod sibi vel non est necessarium vel non æquè necessarium. Vnde non est dictum: Qui habet tunicam, det eam proximo non habẽti, *sed qui duas habet tunicas, det alteram non habenti, & qui habet escas similiter* Luc. 3. Et passim Augustinus alijque patres docent ex superfluis dandas eleemosynas, vtentes illa scriptura Luc. 7. *Capillis suis tersit pedes Domini*, id est pauperes de suis superfluis refecit. Ex quo intelligitur id postulare ordinem charitatis, vt primùm necessitati propriæ, deinde de non necessarijs, etiam necessitati prouideatur alienæ.

His accedunt apertæ sententiæ patrum. Augustinus enim lib. 1. retract. cap. 8. retractans illud ex lib. de quantit. animæ capite 28. vbi dixerat se sibiipsi maximè debere. Hoc, inquit, ad homines retuli. Magis enim mihi me debeo, quàm hominibus cæteris: quamuis Deo magis quàm mihi. Et in tract. de discip. Christiana capite 6. Dilige proximum tuum tanquam teipsum, sed prius est vt diligas teipsum. Et homil. 37 inter 50.

A Primum, inquit, dilige Deum, deinde teipsum; post hæc dilige proximum tuum sicut teipsum. Rursum in ench. cap. 76. Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare, iuxta illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quem misericordiæ ordinem ibidem dicit preteriisse Pharisæos. Legitur & inter eius opera libro de diligendo Deo capite 1 tomo 9. quòd proximum non iubemur diligere quantum nos, sed sicut nos: Consentit & Prosper qui libro 3. de vita contemplatiua capite 15. dicit, quod proximos omnes secundum nos, id est secundo à nobis loco diligere debeamus.

B Ratione quoque probatur dictus ordo. Diligit enim homo seipsum charitate, quatenus ipse est capax summi boni, proximum verò, ratione societatis ad illud bonum. Sicut ergo vnitas potior est vnione; ita quod ipse homo boni diuini capax sit, potior est diligendi ratio, quàm quod ipsi ad illius boni participationem alius societur.

Alia ratio: quia naturaliter vnumquodque magis appetit perfectionem in seipso quàm in simili, instar ponderis, quod magis trahit corpus in quo est quàm aliud ei coniunctum.

C Tertia, quia manifestum est non omnes proximos æqualiter diligendos esse, sed alios magis, alios minus, vt infrà dicetur: si ergo nullus proximus minus quàm nos diligendus est, consequens erit non omnes æqualiter nobiscum, sed aliquos magis diligendos esse quàm nos ipsos. Quod argumentum contra eos tantùm valet, qui ponunt æqualitatem dilectionis nostri & proximi, propter illud *sicut teipsum.*

His tale signum addit S. Thomas; quia nemo debet subire malum peccati vt proximum liberet à peccato: Quod sanè liceret si prorsus æqualis
D esset hominis obligatio ad diligendum se & proximum. Liceret, inquam, eo casu quo alterutrum perire aut peccare sit necesse. Tunc enim æquali posita ad diligendum obligatione, arbitrarium esset vel suam vel alterius salutem aut bonum eligere.

---

§. 3. *Ad ea quæ contra obiiciuntur, responsio.*

E *S. Thom. vbi sup.*

ADuersum hunc ordinem dilectionis sui & proximi, ista ferè sunt quæ obiici solent.

Primò obiicitur ipsum dilectionis præceptũ, quo iubetur quisque diligere proximum sicut seipsum. Quo videtur æqualitas dilectionis significata, quemadmodum æqualitas honoris illis verbis; *vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem,* Ioan. 5. Quòd si tantùm similitudo significata est,
F licebit quoque dicere: Diliges proximum vel teipsum sicut Deum.

Secundò proferuntur ex scripturæ, quibus leguntur aliqui laudabiliter suam salutem postposuisse alienæ; vt Moyses Exod. 32. ita Dominum orans pro Israelitis: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Et Paulus Roman. 9. optat anathema esse à Christo pro fratribus suis. Idemque 1. Cor. 10. non quærens quod sibi vtile est sed quod multis: Et 2. Cor. 13. cùm ait: *Oramus vt vos quod bonum est*

A *faciatis, nos autem vt reprobi simus.* Ex his enim apparet rectè ab aliquo proximum plusquàm se diligi.

Tertiò obiiciuntur ea scripturæ loca, quæ amorem sui vituperant, vt 1. Cor. 10. *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* 1. Cor. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt,* Phil. 2. *omnes quæ sua sunt quærunt,* & 2. Tim. 3. *Erunt homines seipsos amantes.* Quæ intelligenda videntur de amore, quo quis se magis amat quàm proximum.

Quartò, proximus non est diligendus propter nos sed propter ipsum; ita vt officia charitatis illi
B exhibita ad ipsius bonum referantur, iuxta illud apostoli 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo* &c. & 2. Cor. 4. *Omnia propter vos,* & 2. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos.* Vnde idem apostolus Phil. 2. coarctari se dicit è duobus, ita vt quid eligat, ignorare se fateatur: desiderium habens dissolui & esse cum Christo, tanquam sibi multò melius; permanere autem in carne tanquam necessarium propter alios. Vbi tamen absolutè in eius animo præponderasse videtur bonum aliorum, quia subiicit. *Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.*

C Quintò ex patrum authoritate. Dicit enim Augustinus lib. 8. de trinit. cap. 8 etsi incomparabiliter plus Deo quàm nobis debeamus, fratri tamen tantum debere quantum nobis. Et lib. de doctrina Christiana capite 7. vtitur tali argumento. Homo iustus veritati ne ipsum quidem præfert aut confert proximum, ergo nec seipsum: quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Quod argumentum inualidum erit; nisi vel æqualitate secum, vel magis quàm se iustus diligat proximum. Et author libri de amicitia apud Augustinum cap. 10. tom. 4. Nihil, inquit, negandum est amico; omnia pro eo sustinenda sunt, & vita corporis ponenda est pro a-
D mico, vt sanxit diuina authoritas.

Chrysostomus verò ita interpretatur apostolum Rom. 9. vt intelligat eum optasse in gehennam incidere, & cælesti regno priuari potiùs quàm fratres eius Iudæi perirent. Loca sunt in commentario epistulæ ad Rom. lib. 3. de prouidentia, lib. 4. de sacerdotio, & in sermone quodam de nulla regni spe tom. 5. Quem sequitur in commentario Theophylactus discretè dicens, Paulum magis alios quàm seipsum dilexisse, idemque de Paulo & Moyse dicit in 5. caput Matth.

E Postremò rationes aliquot adferuntur: Prima: Quantò quisque melior est Deoque propinquior, tantò magis est diligibilis. Dilectionis enim obiectum est bonum vt tale; & propterea Deus summè diligibilis est, quia est summum bonum: ergo proximum saltem meliorem se, debet quisque magis quàm se diligere. Ac sanè videtur absurdum dicere, quòd homo peccator & vilis, teneatur seipsum magis diligere, quàm S. Petrum aut S. Mariam; quod tamen consequens erit si nosipsos magis quàm proximum quemque diligere
F debemus. Nam beati tam homines quam angeli sunt nostri proximi.

Altera. Magis tenemur diligere maiorem Dei gloriam; ea autem maior est ex salute plurium quàm vnius: ergo magis tenemur diligere salutem aliorum, saltem multorum quàm salutem propriam.

Tertia: In bene constituto corpore membrũ vnũ obiicit se periculo pro salute alterius, præsertim præstãtioris, magisq; necessarij: vt brachiũ pro capite, ergo & in corpore mystico ita fieri debet

Atqui id maioris præ se dilectionis argumentum est. Quod enim potiùs seruatum cupimus, magis diligimus.

Quarta & vltima, Charitatis est voluntatem nostram efficere conformem diuinæ præsertim cognitæ: atqui nouimus multos esse nobis meliores; quos proinde Deus magis diligit: quare & nos eos præ nobis diligere debemus.

Ad hæc ordine sic respondemus. Ad primum, quamuis vocabulum *sicut*, vel *tanquam* interdum æqualitatem designet, aliàs tamen & quidem sæpius similitudinis tantùm vel qualiscunque conuenientiæ notam esse. Sic enim de Christo dicit Moyses Deut. 18. *Prophetam de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus*: Quod postea exponit similem mei. Repetitur autem Act. 3. & 7. cùm tamen latissimũ esse discrimen dignitatis inter Moysen & Christum nemo Christianus ignoret; idque doctè explicatum sit ab apostolo Heb. 3. Sic quoque dictum est Matth. 5. *Estote perfecti sicut & pater vester* &c. Et alia eiusmodi innumera. Dicendum igitur est secundo dilectionis mandato præcipi, vt eo modo diligamus proximum quo nosmetipsos. Qui modus in eo consistit, vt ei ex animo bene velimus, bene faciamus, nullam inferamus iniuriam; quin potius afflicto compatiamur, solatium & opam præstemus, atque omnino ad beatè viuendũ auxilio simus: idque totum non propter nostram sed ipsius vtilitatem ac bonum, vt in hoc præcepto breuissimè contineantur illa duo, quibus homo ad proximum ordinatur: alterum affirmatiuum Matth. 7. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis*; alterum negatiuum vt Tob. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Non ergo simpliciter dici potuit, Diliges te vel proximum sicut Deum, quia non eo modo diligẽdus est Deus quo rectè diligitur homo, vt patet ex declaratione iam data, sed modo longè excellentiori. Eum sensum quem dedimus, confirmat Augustinus libro 1. de ciuit. cap. 20. de vera religione cap. 46. & tract. 17. in Ioan.

Ad secundum dicendum est, Moysen vt omnino impetraret quod volebat, petitioni suæ id disiunctiuè addidisse, quod sciebat Deum nec facturum, nec facere posse cùm sit immutabilis. Aut certe hyperbolico sermone vsum ad significandã magnitudinem amoris sui erga populum. In quem sensum etiam apostoli verba Rom. 9. non malè accipiuntur; tametsi dici potest apostolum non dixisse *opto*, sed, *optabam*, vel vt ex Græco verti etiam potest, *optarim*; vt subaudiatur, si liceat, vel aliquid tale Ad Chrysostomi autem & Theophylacti commentarium respondetur, eos seu gehennam seu separationem à Christo non intelligere in priuatione amicitiæ Dei, sed tantùm in carentia gloriæ electorum. Ita enim ipsi manifestè exponunt, additq; præterea Theophylactus illud, si modò fieri possit. Porrò quod ait idem apostolus, *Nos autem vt reprobi simus*, hunc sensum habet: Dum vos rectè agitis, non ego potestatem prætendo qua possum vos punire, imò non recuso haberi vt reprobus, id est tanquam contemptus ac potestatis expers.

Scripturæ tertio loco propositæ neque damnant amorem sui simpliciter, neque enim quo quis se magis, quàm proximum diligit; sed quo quis in suis actionibus atque officijs humanis priuata ac temporalia commoda præcipuè ante oculos habet; eaque vel bono publico, vel saluti proximorũ, vel etiam honori Dei præponit: sicut contrà is dicitur quærere Deum, qui Dei honorem præcipuè, A spectat alijsque rebus anteponit. Hunc sensum monstrat quod Phil. 2. additum est, *non quæ Iesu Christi*.

Ad quartum respondemus, proximum propriè neque propter se, neque propter nos diligendum esse, sed propter Deum. Veruntamen quia proximus diligitur per modum associationis in summo bono, vt supra dictum est; hinc ab eo bono quod proximo vult is, qui diligit, seipsum non excludit. Scripturæ autem allatæ, non aliud significant, quàm apostolis ministerium prædicationis commissum fuisse, non propter ipsos, sed propter alios. In cu- B ius tamen muneris executione etiam suæ saluti consulebant.

Ad authoritatem Augustini ex 8. lib. de trinit. cum Magistro responderi potest, eas voces, tantum & quantum, non ad magnitudinem dilectionis referri, sed vel ad ea bona quæ tum proximo tum nobis diligendo velle debemus; vel, quod eodem recidit, ad communem dilectionis modum, de quo in solutione primi argumenti dictum est. Quæ autem ex secondo libro de doctrina Christiana Augustini argumento actio obiicitur, procedit à paritate rationis. Nam respectu veritatis, eandem habet rationem ipse homo & proximus C eius. Quodque mox ex libro de amicitia obiicitur: intelligendum secundùm leges amicitiæ de ijs quæ licita sunt & honesta. Inter quæ illud est, vt vitam temporalem periculo quis exponat pro æterna salute proximi; vel etiam pro vita temporali eius qui reipublicæ sit magis necessarius. Quā in re tamen adhuc ille se magis diligit ad finem suum vltimum.

Ad Chrysostomum & Theophylactum iam responsum est.

Ad primam rationem respondet S. Thomas, dilectionem non solùm habere quantitatem ex D parte obiecti, quod est Deus: sed etiam ex parte diligentis. Et proinde licèt proximus melior Deo sit propinquior: quia tamen non tam propinquus est diligenti, quàm ipse diligens sibi, non esse consequens vt proximum magis quàm se diligere debeat. Bonauentura verò respondet, quòd debeat quidem quisque proximum quem nouit se meliorem, diligere ad maius præmium ratione præsentis meriti, non tamen maiori dilectionis affectu.

Ad secundam respondet idem Bonauentura, quod charitas non separat gloriam Dei à nostro E bono spirituali. Responderi etiam potest, quòd dilectio multorum proximorum propter numerum extensior sit quidem, non tamen esse debeat intensior quàm dilectio sui.

Ad tertiam dicendum, quòd membrum vnum pro salute alterius sese periculo obiiciens, non tam id facit intensione seruandi alterius membri, quàm totius corporis: cuius salus ex tali membro potiùs quàm à se dependeat. Nam sine capite corpus saluũ esse non potest, sine brachio potest. Idcirco autem pro toto pars se exponit: quia bonum partis à toto dependet, atque ita actus ille ex amore sui pro- F ficiscitur. Deinde vt propriè loquamur, non tam dicendum est, membrum sese exponere periculo pro salute alterius membri, vel etiam totius: quàm totum pro salute sui ipsius, vel membri præstantioris, obiicere periculo aliud membrum: cũ actiones sint totius suppositi. In corpore autem ciuili vel mystico, propriè quidem & ordinariè interdũ vnus pro alio vitam temporalem impendit, sed ita vt nihilominus sui maiorem seruet dilectionem; quã videlicet magis sibi, quam alteri velit summum bonũ, ad quod tanquã bonũ vniuersale semper respiciendum

dam est, & secundùm eius voluntatem vt legem omnis dilectio nostra regulanda est. Nam bonum commune creatum cedere debet bono vniuersali increato.

Postrema ratio conuincit quidem, quod placere nobis debeat, vt Deus magis diligat proximum meum quàm me: & proinde vt proximus nobis melior magis participet summum bonum; cùm sciamus id Deum velle: non autem requirit, vt ego eum magis diligam, id est, vt eum mihi in dilectionis officijs anteponam.

§. 4. *Propinquos præ alijs esse diligendos & quo ordine.*

S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 7. 8. 9. 11. & 13.

CVm nec amor proximorum inordinatus esse debeat, illi magis inter proximos diligendi sunt, qui nobis secundùm carnis originem sunt propinquiores. Quod satis probat peculiare decalogi præceptum de honorandis parentibus: vbi vocabulum honorandi non tantùm reuerentiam & obedientiam, sed vel maximè subsidij ac beneficiorum præstationem Hebræa phrasi significat. Iis autem rebus præcipuè declaratur dilectio erga alterum.

Probat & illud apostoli 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit* &c. Vbi per domesticos apostolus propinquos intelligit; vt matrem, cognatam &c. vt ex contextu patet. Vide ibidem nostrum commentarium.

Idem & ex opposito ostenditur. Nam Leu. 20. mortis supplicium peculiariter in eum statuitur, qui maledixerit patri vel matri. Grauius ergo peccat agens contra dilectionem parentum, quàm aliorum; ac proinde ad parentum dilectionem magis obligatur.

Hunc diligendi ordinem asserit Hieronymus scribens in 44. cap. Ezech. super illud: *Ad mortuum non ingredietur, nisi ad patrem & matrem* &c. Naturæ, inquit, probatur affectus: vt ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur & mater, filius & filia, frater & soror. Et glossa ordinaria Ambrosio ascripta ad illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*; primò Deum diligendum esse dicit, secundò parentes, tertiò filios, deinde domesticos alios.

Ratio autem huius doctrinæ est: quia cùm post Deum homo seipsum maximè diligere debeat, vt suprà ostensum est; quantò alius quisque ipsi coniunctior est, tantò magis ab eo dilectionis officijs est prosequendus. Quòd & Augustinus testatur libro de vera religione capite 47. dicens, hominem iniustum esse, nisi coniunctioribus prodesse malit. Coniunctiones autem etsi variæ sunt; vt consanguineorum, conciuium, commilitonum, condiscipulorum &c. inter eas tamen illa quæ est secundùm naturalem originem, id est propinquitatis, seu consanguinitatis coniunctio, simpliciter prior ac potior est atque constantior; quia est secundùm id quod pertinet ad substantiam, ideoque immobilis. Nam aliæ coniunctiones sunt accessoriæ & dissolui possunt. Magis ergo à nobis diligendi sunt, qui huiusmodi coniunctionis vinculo nobis sunt colligati. Pluribus hanc rationem explicat S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 7. & 8.

Iam si de ordine dilectionis propinquorum inter se quæratur, adhibenda est distinctio. Nam gradus dilectionis ex duobus attendi potest, vt superiori capite indicatum est: nempe, vel ex parte obiecti, vel ex parte diligentis. Ex parte obiecti id quod habet maiorem rationem boni respectu nostri, magis est à nobis diligendum; vt pater & mater magis quàm vxor aut filij aut fratres; quia parentes diliguntur tanquam principium substantiæ nostræ. Quæ dilectionis ratio redditur Ecclesiastici 7. cùm dicitur: *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Diliguntur item tanquam ij à quibus multa eaque maxima beneficia filij acceperunt. Quæ ratio spectatur verbis ibidem sequentibus. *Et retribue illis quomodo & illi tibi.* Ex parte verò diligentis, id magis est diligendum quod diligenti coniunctius est. Quo modo magis diliguntur vxor & filij, quàm parentes. Nam vxor viro coniuncta est tanquam vna caro Matth. 19. Vnde apostolus Eph. 5. *Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.* Et infrà: *Vnusquisque vxorem suam, sicut seipsum diligat.* Filij verò parentibus coniuncti sunt tanquam aliquid ipsorum. Genitum enim est velut pars gignentis, non contrà. Quo fit vt hac posteriori ratione filij quoque magis diligendi sint quàm parentes.

Quibus autem potiùs in pari necessitatis articulo, cæteris item paribus sit subueniendum, si quæratur; breuiter respondeo, scripturæ, rationi & doctorum sententijs consentaneum esse hunc tenendum ordinem: vt primò subueniatur patri, deinde matri, tum filijs, deinde coniugi, postea alijs iuxta gradus propinquitatis. Videre licet de hoc argumento S. Thomam quæstione supradicta art. 9. & 11.

§. 5. *Solutio eorum quæ superiori doctrinæ videntur contraria.*

S. Thom vbi sup.

COntra hunc dilectionis ordinem quo propinquos præ alijs diligendos esse diximus, multa obijci possunt, atque hæc præcipuè.

Primò quod Augustinus sentire videtur omnes homines æqualiter diligendos esse. Nam libro 1. de doctrina Christiana capite 28. Omnes, inquit, homines æquè diligendi sunt. Sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur. Et tract. 30. in Ioan. Quis est, inquit, qui non iudicat personaliter? qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit non acceptari personas. Nam cùm homines diuerso modo pro suis gradibus honoramus: tunc timendum est, ne personas accipiamus. Item libro 19. de ciuit. capite 16. secundùm hæc temporalia bona dicit sanctos patriarchas filiorum sortem à seruorum conditione distinxisse. Ad Deum autem colendum in quo æterna bona speranda sunt; omnibus domus suæ membris pari dilectione consuluisse. Et in expositione epistolæ ad Gal. ad illud capite 6. *Operemur bonum ad omnes* &c. Omnibus, inquit, pari dilectione vita æterna optanda est, sed non omnibus eadem possunt exhiberi dile-

ctionis officia Et libro de vera religione capite 47.
loquens de viro forti, Si, inquit, aliquem familia-
rium suorum promptius quàm quemlibet alium
alloquitur; non eum magis diligit, sed ad eum ha-
bet maiorem fiduciam. Et mox addit: Cùm itaque
omnibus quos pariter diligit, prodesse non possit,
nisi coniunctioribus prodesse malit, iniustus est. His
simile est illud Bernardi à S. Thoma citatum: Amor
gradum nescit, dignitatem non considerat.

Secundò obiiciuntur scripturæ, quæ dilectio-
nem propinquorum solùm quia propinqui sunt, vt
carnalem reiicere ac damnare videntur; vt Matth.
12. cum Christo nunciatum esset matrem eius, &
fratres stare foris quærentes loqui ei, respondit:
Quæ est mater mea, &c. ac deinde propinquitatem
obedientia præceptorum Dei æstimandam esse do-
cens monstratis discipulis ait: *Quicunque fecerit volũ-
tatem patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.*
Quem in locum scribens Hieronymus: Aposto-
los, inquit, cognationi prætulit, vt & nos in compa-
ratione dilectionis carni spiritum præferamus. Et
Beda in eundem locum verbis à Magistro cita-
tis: Non iniuriosè, inquit, negligit matrem, nec
mater negatur; sed religiosiores monstrantur copu-
læ mentium, quàm corporum. Alia scriptura est
Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes maximè autem ad do-
mesticos fidei.* Cùm igitur probatio dilectionis exhi-
bitio sit operis, teste Gregorio hom. 30. in euange-
lia, consequens erit eos maximè diligendos, qui fi-
de & charitate sunt nobis coniunctiores. Sed &
alibi ab intensiori amore propinquorum reuocare
nos videntur scriptura, vt Deuter. 33. vbi cùm in
commendationem Leuiticæ tribus dixisset Moy-
ses quòd parentes, fratres, filios tanquam ignotos
ducerent, addidit: *Hi custodierunt eloquium tuum &
pactum tuum seruauerunt.* Et psal. 44. sponsa Christi
monetur, vt obliuiscatur populum suum & do-
mum patris sui: atque ita futurum vt rex con-
cupiscat decorem eius. Simile illud Luc. 14. *Si quis
non odit patrem & matrem, & vxorem*, &c. Ex quo
saltem consequens videtur, extraneum meliorem
diligendum esse præ propinquo malo, vel minùs
bono.

Tertiò ad hanc eandem rem quædam ex Augu-
stino aliisque patribus loca producuntur. Augu-
stinus enim libro de vera religione capite 46. asse-
rit necessitudines istas propinquitatis carnalis esse
ex peccato; ac neminem aptum esse regno Dei, qui
non eas oderit. Et postea: Ipsa igitur, inquit, hu-
mana natura sine carnali conditione diligenda est.
Omnes sub vno Deo patre cognati sunt, qui eum
diligunt & faciunt eius voluntatem. Et epistola
38. Christum docuisse dicit cognationes & neces-
situdines temporales contemni. Cui similis est lo-
cus lib. 1. de serm. Domini in monte capite 25. &
hom. 38. inter 50.

Ambrosius autem lib. 1. offi. capite 7. ad ple-
bem suam loquitur hoc pacto. Neque enim minus
vos diligo, quos in euangelio genui, quàm si con-
iugio suscepissem. Non enim vehementior est na-
tura ad diligendum, quàm gratia. Plus certè dili-
gere debemus quos perpetuò nobiscum putamus
futuros, quàm quos in hoc tantùm seculo. Et quæ
sequuntur.

Planissimè verò Prosper lib. 3. de vita contem-
platiua cap. 15. supradictum ordinem improbare
videtur, cùm inter cætera ait: Neque enim ideo
proximum tanquam seipsum diligit quisque; quia
sibi frater aut soror, pater aut filius, mater aut
filia, nepos aut neptis est. Carnaliter quippe amat,

A qui taliter amat. Et mox: Nam si propinquos no-
stros quamuis incompositos, turpes ac malè mora-
tos, plusquam quoslibet sanctos, quos à nobis se-
cundùm sanguinem vocamus extraneos, diliga-
mus, non solum carnaliter diligimus, sed etiam gra-
uiter in tali eorum dilectione peccamus. Non dis-
similis est locus apud Basilium serm. 2. de corri-
piendis monachis.

His accedere videtur & Magister in textu
§. F. sentiens magis diligendos esse bonos, qui no-
bis carne non sunt coniuncti, quàm malos carne
coniunctos. Sanctior est enim, inquit, copula cor-
B dium, quàm corporum. Et Bernardus de modo
bene viuendi sermone 5. iisdem ferè quibus Magi-
ster, verbis vtens.

Postremo loco nec rationes desunt, quibus ista
sententia probabilis fiat. Primò quia cum amoris
obiectum sit bonum; oportet vt meliora magis a-
mentur. Vnde Augustinus libro de vera religione
capite 48. eam esse vult perfectam iustitiam:
qua potiùs potiora, & minùs minora dili-
gamus.

Secundò, quia Deus meliores magis diligit, cu-
ius voluntati nos conformari oportet, si rectè dili-
gere volumus. Vnde idem Augustinus in psal. 93.
C rectos corde eos esse dicit: qui hoc volunt quod
Deus vult; cùm Dei voluntas sit nostræ voluntatis
regula.

Tertiò, quia in statu beatitudinis nulla carna-
lis propinquitatis habita ratione, magis quisque à
quocunque alio diligetur quo melior est Deoque
coniunctior.

Vt ad hæc obiecta breuiter respondeamus,
sciendum circa id quod primo loco obiiciebatur,
quorundam fuisse opinionem quam in textu Ma-
gister recitat; omnes proximos pari charitatis affe-
D ctu diligendos esse, etsi non pari charitatis effectu,
id est, operum exhibitione prosequendos. Quam
sententiam meritò Magister reiicit & S. Thomas
refutat 2.2. q. 26. art. 6. quia sicut in naturalibus, ita
& in spiritualibus oportet inclinationem rei pro-
portionatam esse actui eius conuenienti. Quare
sicut terra maiorem habet grauitatem quàm aqua;
eò quòd natura petat locum inferiorem, ita maior
esse debet affectus charitatis erga eos quibus ma-
gis debemus externa beneficentiæ opera. Dicen-
dum igitur est, Augustinum in verbis ex libris
E de doctrina Christiana, & de vera religione citatis,
non loqui de æqualitate affectus seu actus dilectio-
nis, quoad eius intensionem: sed de paritate
eius boni ad quod omnes diligendi sunt, id est
ipsius Dei, vel æternæ beatitudinis in genere.
Sensus enim est, omnes ad vnum bonum quod
est Deus diligendos esse, sed eos beneficentiæ
operibus ad illud bonum magis promouendos, qui
sunt nobis coniunctiores. In tractatu autem in
Ioannem, non aliam requirit æqualitatem quàm
quæ personarum acceptionem excludit. Itaque æ-
qualitatem intelligit proportionis, non quantita-
F tis. Et libro 19. de ciuit. non aliud vult quàm om-
nibus domesticis nemine excepto consulendum
esse ad consequenda bona æterna, sicut omnibus
omnino hominibus nullo excepto optandam esse
vitam æternam, altero illo in epistolam ad Gal. lo-
co significauit. Bernardus autem gradus & digni-
tates intelligere videtur huius seculi, quorum con-
sideratio inducit personarum acceptionẽ, quemad-
modum Iacobus apostolus docet c. 2. suæ epistolæ.

Ad secundum respondetur ordine dilectionis
præponi quidem propinquitatẽ spiritualẽ carnali,

A oon autem propinquos spirituales cacnalibus; nisi quatenus ijs vt melioribus mains bonum quod habcnt, vel quod merentur, velle debemus. Vnde Augustinns tract. 10. in Ioan. In beata virgine, inquit, hoc magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem patris, non quia caro genuit carnem. Absolutè igitur vera sunt verba Hieronymi & Bedæ; quia coniunctio spiritualis præstantior est cognatione carnali, & qui meliores sunt recto iudicio semper pluris æstimandi sunt, quàm peiores vel minùs boni, non tamen semper magis diligendi.

Porrò apostolus ad Gal. comparationem tantùm facit fidelium cum infidelibus, propterea quòd
B ij maximè tunc inter se erant permixti; ideoque scire oportebat vtris potiùs esset benefaciendum. Alia autem scripturæ loca monstrant hactenus negligendam esse carnis propinquitatem, quatenus impedimento nobis esse queat ad cultum & amorem Dei.

Quæ tertio loco proferebantur Augostini verba ex lib. de vera religiona, ab ipso authore retractata sunt lib. 1. retract. cap. 13. vbi docet huiusmodi sententias eò spectare, vt credantur primi coniuges non generaturi posteros nisi peccassent. Quam opinionem vt erroneam apertiùs posterio-
C ribus alijs suis scriptis improbauit, vt ostendimus in 2. sent. Similiter & alterum locú ex lib. 1. de serm. Domini in monte retractauit lib. 1. retractat. cap. 19. Quæ authoris correctio ad quæcunque similia apud ipsum extendi debet.

Ambrosium S. Thomas interpretatur de dilectione, quatenus respicit beneficia spiritualia; cuiusmodi ratione officij maximè tenetur pastor impendere ouibus spiritualibus, licèt affectus dilectionis intensior absolutè sit erga quosdam alios.

Prosper autem non aliud sentire videtur, quàm
D dilectionem non sola cognatione, sed generaliter communione humanæ naturæ æstimandam esse; ita vt neminem à dilectione nostra liceat excludere. Quod enim quibusdam coniunctioribus amplius aliquid præstandum sit, postea significat dum ait: Ita sanè vt eis quos nobis coniunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat & vita commendat, nos ampliùs impendamus. Quod de fama & vita propterea dicit; quia qui infames sunt & improbæ vitæ etiam propinqui secundùm exteriorem conuersationem fugiendi sunt.

E Porrò Magister in textu nihil definit dicens hanc latebrosam esse quęstionem nec à se plenè absoluendam. Quod autem ex Bernardo citatur, non est Bernardi, sed incerti authoris quamuis tam verba Magistri, quàm quæ Bernardi nomine citata sunt, facilè commodum sensum admittunt; vt videlicet meliores magis amentur æstimatione rei dilectæ, non intensione dilectionis: quod aliter diximus, vt suprà notauimus; meliores magis amandos esse, quantum est ex parte coniunctionis cum diligente. Quæ etiam solutio ad primam rationem adhibenda est.

Ad secundã dicendum Dei dilectionẽ, cùm sit eius substantia, nec intensionem nec remissionem suscipere. Dicitur autem Deus aliquos magis aut minus diligere ratione boni quod eis confert; idq; bifariam, vel secundùm bonum præsens, vel secundùm bonum prædestinatum, priori modo eos qui acto meliores sunt magis diligit, etiamsi fortè vel reprobi sint, vel ad minorem gloriam prædestinati quàm alij. Posteriori magis eos diligit quibus maiorem gratiam finalem & gloriam prædestinauit, etiamsi fortè nunc vel adhuc impij sint, vel minùs boni quàm alij. Vtrique diuinæ dilectioni nobis cognitæ ac manifestatæ nostram dilectionem conformare debemus: hactenus, vt ea bona velimus iustis & prædestinatis, quæ Deus illis dat vel dare constituit. Non tamen iubemur id facere maiore dilectionis affectu, vt ante diximus. nec ideo tenemur eis temporaliter priùs aut potiùs succurrere.

Ad postremam respondetur ex S. Thoma 2. 2 q. 26, art. 13. aliam esse rationem vitæ futuræ & præsentis. Ibi enim cessante ea causa qua necesse est vt vnusquisque sibi magis coniuncto, secundùm quamcunque necessitatem magis prouideat, quàm alieno (quod in hac vita necessarium est) totus ordo dilectionis accipietur ex sola cõiunctione ad Deum, qui erit omnia in omnibus.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAM.

§. 1. *Dilectionem inimicorum omnibus esse in præcepto.*

QVOD non soli perfecti, sed omnes omnino teneantur diligere inimicos suos, apertissimè ex ipso dilectionis præcepto ostenditur. Quo dictum est; *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Si enim proximi nomine omnis homo comprehenditur, vt ad distinctionem 28. ostendimus, & de omni proximo sine dubitatione præceptum hoc dilectionis accipiendum est, manifestè liquet, homines inimicos à nobis diligẽdos esse, nec id quocunque modo, sed sicut nosipsos. Quare glossa illa Ambrosio ascripta, quam citat Magister qua dicitur; quòd inimicos non sicut seipsum quisque debeat diligere, sed sufficere vt diligat & non odio habeat, tanquam adulterina (vt quæ apud nullum probatum authorem, nedum Ambrosium extet) reijcienda est.

S.Tho 2.2 q.25. a 8.

Expressa autem dilectionis inimicorum præcepta multa extant in sacris literis, vt Math. 5. *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* Quæ verba præcepti vim habere docent sequentia; *vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.* Et iterum: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Similia repetuntur Luc. 6. vbi etiam orare pro calumniantibus nos iubemur, & hæc generalis ratio præcepti subiungitur: *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quin & scriptura veteris testamenti eandem inimicorum dilectionem non vno loco præcepit, vt Exod. 23. de boue & asino inimici reducendo ac subleuando, & Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.* Quam sententiam repetit apostolus Rom. 12. Consentit & illud Petri 1. cp. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Idem porrò Christus, Stephanus alijque sancti exemplo ostenderunt orantes pro suis interfectoribus.

Nec minùs firma probatio est ex pacto orationis dominicæ, quo sic petimus à Deo nobis dimitti debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus

nostris. *Si enim* ait Dominus Matth. 6. *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis.* Repetitur id Matth. 18. & Marc. 11. estque & huic similis locus in scriptura veteris testamenti, videlicet Ecclesiastici 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur, &c.*

Ex his quoque manifestum est illud Matth. 5. *Audistis quia dictum est: odio habebis inimicum tuum,* non ita intelligendum esse, quasi vel præceptum vel licitum aliquando fuerit simpliciter odisse inimicum; sed quia vel permissum id fuit carnali populo vel quia id dictum antiquis erat, iuxta peruersam Pharisæorum intelligentiam; occasione accepta ex eo quod legebatur Leuit. 19. *Diliges amicum tuum.* Vnde argumento à contrarijs consequens putauerint odiendum esse inimicum, aut certè dilectionem eius non esse præceptam. Vel denique quia vetus ille populus certas ob causas, prohibitus fuit temporaliter benefacere quibusdam suis inimicis. Nam Deut. 23. de Ammonitis ei præcipitur, *Non quæres eis bona cunctis diebus.*

Postremò ne de patrum sententia dubitemus, locum Matth. 5. & 18. Hilarius, & Hieronymus Luc. 6. Ambrosius & Beda, Rom. 12. Chrysostomus & Theophylactus in suis commentarijs, aliíque doctores consimiliter intellexerunt. Quam re admonenda frequens est & Augustinus vt hom. 24. inter 50 vbi cum pactum texisset orationis dominicæ, ait: Quod vt veraciter dicere possimus, etiam inimicos nostros oportet vt diligamus. Et in Psal. 54 idem pluribus inculcat, quod regulam præscriptam, nunc præceptum esse dicens, vt diligamus & inimicos. Alia loca sunt serm. 4 de sanctis, lib. 1. de serm. domini in monte cap 46. & serm. 74. de diuersis cap. vlt. Gregorius quoque idem apertè docet hom. 27. in euangelia.

quandoquidem non diligens inimicum, & nondum remittens debitum ei à quo non rogatur, exauditur in oratione dominica, qua sibi petit sua dimitti peccata.

Similis apud eundem locus est lib. de perfect. iust. cap. 8. Meritò, inquit, in oratione dicimus: *Dimitte nobis, &c. sicut &, &c.* si tamen quod dicimus faciamus, vt vel ipsi etiam diligantur inimici: vel si quisquam adhuc in Christo paruulus hoc nondum facit; pœnitenti tamen quod in eum quisque peccauit & veniam petenti ex intimo cordis ignoscat, si vult vt eius orationem pater cælestis exaudiat. In hunc sensum & alibi loquitur vt lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 5. hom. 40. inter quinquaginta sermone 74. de diuersis, & serm. 15. in nouis.

Quin & scriptura non amplius à nobis exigere videtur. Nam Dominus Luc. 17. *Si peccauerit,* inquit, *frater tuus increpa illum. Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Non ergo aliud in præcepto esse videtur, quàm vt inimico pœnitenti & veniam roganti dimittamus; non autem vt dimittamus ei in nocendi voluntate atque actu perseueranti. Quòd autem non omnium sed tantùm perfectorum sit diligere inimicos. Disertè affirmat Theophylactus in illud Matth. 5. *Estote ergo perfecti.* Nam hominum alios diligere, inquit, alios odio habere imperfectum est; omnes autem diligere perfectorum.

Ad huius difficultatis enodationem duplici opus est distinctione, & eius quod est diligere inimicum, & eius quod est alteri dimittere debita. Potest enim dilectio inimicorum considerari vel in communi, vel in particulari. In communi quidem, quatenus quis in genere diligens proximum, ab illa generalitate inimicum suum non velit exclusum, licèt actuali amoris affectu vel effectu peculiariter erga eum non moueatur. In particulari verò, quatenus quis motu dilectionis peculiariter mouetur erga inimicum, vel bene ei optando. Item dimittere quis alteri debitum dicitur, vel actu, vel animi præparatione; actu quidem si priusquam ad orandum accedat, vel certè in ipsa oratione expressa cogitatione offensam proximo remittat; animi verò præparatione, si aduersus eum non gerat animum hostilem, neque vindictam expetat, sed ita sit affectus, vt pœnitenti & veniam roganti libenter remitteret.

His constitutis respondendum est, quòd omnis Christianus inimico nondum pœnitenti sed adhuc inimicitias exercenti tenetur eam præstare dilectionem, quam præstare tenetur omni proximo: vt videlicet à generali dilectionis affectu, oratione, & similibus inimicum suum non excludat. In particulari verò suæ orationis vel affectus intensionem ad inimicum dirigere non tenetur, quia nec tenetur id facere erga omnes proximos non inimicos. Eidem quoque dimittere debitum tenetur in animi præparatione, actu autem dimittere non ita tenetur, etiamsi de inimico ei cogitatio occurrat, quin si id omittat, exaudiatur in sua oratione qua dicit: *Dimitte nobis, &c.* quemadmodum apertè Augustinus docet hom. 40. At si inimicus pœnitentia ductus veniam roget eum qui offensus est, tenetur ille etiam in particulari dilectionis affectum & effectum exhibere ei, qui iam pœnitendo desijt esse inimicus; atque eum effectum imprimis vt peccatum ei sine dilatione ex animo dimittat,

§. 2. *Dubitationis cuiusdam circa prædicta solutio.*

S. Tho. 2. 2. q. 25. art. 9.

VT intelligamus quomodo & quatenus diligendus sit inimicus, explicanda est difficultas quæ circa superiorem doctrinam oritur ex verbis Augustini ench. 73. vbi cùm dixisset munus magnum esse, si erga eum sis beneuolus, vel etiam beneficus qui tibi nihil mali fecerit: illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis esse; vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis. Et subiunxit: Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere; tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dominica dicitur; *Dimitte nobis debita nostra sicut, &c.* Procul dubio verba sponsionis huius implentur; si homo qui nondum ita profecit vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti vult vtique dimitti, cùm orat & dicit, *sicut & nos, &c.* id est, sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris. Ex quibus verbis apparet non esse homini Christiano absolutè ad salutem necessarium vt diligat inimicum.

ipse

ipse alioqui non exaudiendus in oratione, qua sibi sua petit dimitti peccata.

Quod ergo dicit Augustinus perfectorum esse filiorum Dei diligere inimicum, multósque in oratione dominica exaudiri, qui nondum inimicum diligant: id de ea dilectione intelligendum, qua in particulari quis erga inimicum adhuc inimicè agẽtem mouetur atque in particulari bene ei facit. Addit enim Augustinus: & ei qui tibi malum vult, & si potest facit; tu bonum semper velis, faciásque cùm possis. Quod sanè non est necessarium ad hoc vt quis suorum accipiat peccatorum veniam.

Videtur tamen idem Augustinus significare cùm dicit quod ad eam perfectionem se debeat omnis fidelis extendere; non quidem ad necessitatem salutis pertinere, sed tantùm præceptum esse; vt quis loco & tempore etiam in particulari bene velit, & benefaciat inimico suo, tametsi in inimicitia adhuc perseueranti, eumque qui eam perfectionem nondum assequitur, peccare, non ita tamen vt actu orationis dominicæ frustretur, atque à gratia Dei excludatur. At verò in articulo necessitatis ita tenetur quisque inimico etiam adhuc hostilem animum gerenti beneficium necessarium impendere; vt si id facere nolit neque orans veniam impetrare à Deo possit, neque ad salutem peruenire: cùm in tali casu omnino debeat, si filius Dei esse vel permanere velit, inimico succurrere. De quo casu etsi nonnulli (vt S. Thomas) interpretantur illud Prou. 25. *Si esurierit, &c.* satis tamen manifestum est etiam extra necessitatem oblata euidenti occasione affectum beneuolentiæ, atque etiam beneficentiæ inimico ex præcepto exhibendum esse; præsertim cùm nec Moyses Exod. 23. beneficentiæ opus inimico exhibendum præcipiens, necessitatis exemplum posuerit. Vnde & in noua lege id præcipitur, quod non cadit sub articulo necessitatis; vt orare pro persequentibus & calumniantibus. Sed aliud est quippiam esse præceptum, aliud esse tale, vt nisi fiat à gratia Dei homo excidat; vt in his patet in quibus venialiter delinquitur. Nihil ergo repugnat, quò minùs exaudiatur quis à Deo suorum debitorum remissionem petens, idemque proximo suo debitori & adhuc nocenti debitum non remittens, paratus tamen ei remittere pœnitenti & veniam petenti, etiamsi fortè talis nondum remittendo peccet venialiter. Consistit enim cum huiusmodi affectu ea inimici dilectio, qua illi & resipiscentiam optet & vitam æternam etiam in particulari.

Porrò locus Luc. 17. nõ significat non priùs remittendum fratri peccatum in nos commissum, quàm pœnitentia ductus veniam roget: sed remissionem prius apud nos in corde factam, tunc etiam ore & alijs beneuolentiæ ac reconciliati animi signis declarandam: id quod ante eius pœnitentiam facere non semper expedit.

Ad Theophylactum respondemus, imperfectos intelligi bifariam, vel qui iusti quidem sunt, sed inferiori gradu quàm ij quos secundùm modum huius vitæ perfectos agnoscit scriptura: atque ita imperfecti odisse dicuntur inimicos; quia iniurias ab eis acceptas non statim remittunt quod perfecti faciunt, sed tunc demum quando rogantur. vel eos qui Christiani quidem sunt, non tamen faciunt ea quæ fides præscribit; perfectos verò qui ea faciunt. Ac de his accipiendum illud: *Estote ergo perfecti, &c.* Quo sensu & ab Hieronymo in eundem locum dictum est, Christum præcepisse ea quæ perfecta sunt, nimirum perfectione omnibus ad salutem necessaria.

Quòd si denique obijcias Deum non dimittere debitum nisi roganti: & proinde nec hominem ex præcepto ad amplius aliquid teneri; primùm respondeo; non iam cogitandum homini quid Deus faciat quàm quod sibi faciendum præceperit. Deinde Deum priusquam rogetur multò maius beneficium præstare inimico quàm ab homine præstari possit; videlicet voluntatem eius ita mutando, vt ex inimico amicus, ex malo bonus fiat. Id quod homo saltem hactenus imitari debet, vt inimico licèt adhuc sæuienti non vindictam exoptet, sed pœnitentiam & gratiam petat à Domino.

§. 3. *Vtrùm sit maioris meriti amicum, an inimicum diligere?*

CVm quæritur, vtrùm maioris meriti sit amicum diligere an inimicum? neutrum ita ab altero separandum est, vt seorsim in aliquo esse ponatur. Nam & qui amicum diligit non diligens inimicum, mercedem non habet Matth. 5. & si quis inimicum diligeret non diligens amicum, æquè à mercede alienus esset: cùm charitatem omnis meriti fontem non habeat, qui vel hunc vel illum à dilectione excludit. Sensus igitur quæstionis est, vtrùm in homine amicum simul & inimicum rectè atque ordinatè diligente, maioris meriti sit actus quo amicum diligit, an quo inimicum? Vbi imprimis statuendum est: recto charitatis ordine amicum magis esse diligendum quàm inimicum; vtpote tam diliganti quàm Deo magis coniunctum. Id quod manifestum relinquitur ex ijs, quæ suprà de dilectionis ordine dicta sunt. S.Tho. 2.2. q. 27. a. 7.

Eo igitur constituto videri nihilominus potest, dilectionem inimici maioris esse meriti. Primùm, quia Dominus Matth. 5. non in amicorum dilectione perfectionem statuit, dum post præceptum dilectionis inimicorum subijcit: *Estote ergo perfecti, &c.*

Deinde quia apostolus Rom. 5. ostendit in eo commendatam erga nos eximiam Dei charitatem, quòd cùm adhuc inimici essemus, pro nobis mortuus sit; cùm alioqui vix pro iusto quis moriatur.

Tertiò, quia dicit Augustinus ench. 73. multo maioris bonitatis esse, si quis inimicum diligat, quàm si amicum; & vult perfectorum esse diligere inimicos, imperfectorum diligere amicos. Qui & in psal. 108. scribens, dicit, reddere bona pro bonis mediocrium esse, reddere autem bona pro malis esse bonorum. Quibus consonant hæc Gregorij verba lib. 9. moral. cap. 13. Conditoris auribus maximè illa oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Et hæc Lactantij lib. 6. diuinarum instit. cap. 12. Qui bonum facit vel consanguineo, vel proximo, vel amico; aut nullam, aut certè non magnam laudem meretur, &c.

Quartò, quia dilectio amici plærumque impurior est, vt quæ coniunctum ferè habeat carnalem affectum & respectum commodi temporalis; cùm è diuerso diligendi amici non sit alia ratio quàm Deus.

Quintò, quia dilectio inimici, magis indebita est, ideoque Deo gratior.

Postremò, quia difficilius est diligere inimi-

A cum quàm amicum. Quare cùm difficultas operis prouertens ex parte obiecti augeat virtutis ac meriti rationem; plus merebitur quis diligendo inimicum quàm amicum.

Veruntamen his non obstantibus dicendum, simpliciter ac cæteris paribus dilectionem amici quàm inimici maioris esse meriti, quemadmodum post Magistrum sentiunt plærique Scholastici, Durando licèt reclamante cum quibusdam alijs.

B Ratio autem præcipua iam suprà indicata est; quia obiectum in amicorum dilectione & secundum se melius est, & diligenti magis coniunctum; ac proinde magis participat obiecti charitatis rationem, siue id æstimetur ex propinquitate ad summum bonum, tanquam primarium charitatis obiectum, siue ex coniunctione cum ipso diligente. Quare & actum qui circa obiectum illud versatur, simpliciter & ex suo genere meliorem esse oportet; ideoque & maioris apud Deum meriti. Sicut maximi meriti est diligere Deum, propterea quòd Deus sit per se & summè diligibilis.

C Idem ex opposito ostenditur. Peius est enim odisse amicum quàm inimicum; quare & melius amare. Hoc enim & de Dei dilectione respectu dilectionis proximi similiter ex odio opposito concludi potest. Item peius est odisse parentes quàm extraneos, ideoque melius est eos amare.

Rursum ex eo docetur, quia ordinata dilectione amicum tanquam magis coniunctum intensius diligimus quàm inimicum. Maioris autem meriti respectu præmij essentialis est intensior ex charitate dilectio quàm remissior. Potest deniq; & ex eo ostendi: quia si fingamus hæc duo separari, vt
D sit aliquis tantum diligens amicum, & alius tantum diligens inimicum; ibi haud dubiè præferemus ac vel meliorem vel minùs malum censebimus eum, qui tantum amicum, quàm qui tantum inimicum diligit.

Vt igitur ad argumenta diuersæ partis respondeamus dicendum est; Christum hanc in omnibus fidelibus requirere perfectionem, vt eorum dilectio non in amicis sistat, sed vsque ad inimicos protendatur, sicut protenditur dilectio patris cælestis. Et sicut hinc non est consequens, meliorem esse Dei patris dilectionem qua diligit inimicos, id est,
E malos, quàm qua diligit filium suũ vnigenitum; ita nec consequens id est in hominibus. Quin potiùs ex ea comparatione charitatis diuinæ contrarium colligi potest.

Ad secundum similis est responsio. Maior est enim dilectio, quæ vsque ad inimicos extenditur, quàm quæ tantùm vsque ad amicos peruenit; sicut eò maior est calor ignis quò remotiora calefacit. Sed sicut maior ac præstantior est actio ignis in viciniora, sic ibi melior dilectio erga coniunctos, id est, amicos.

Ad patrum authoritates respondetur eos comparare dilectionem, qua tantùm diliguntur amici,
F cum ea quæ præter amicos etiam inimicos complectitur, vti ex verbis eorum est manifestum.

Ad quartum respondemus cætera non esse paria, quando dilectio amici ex commixtione carnalis cuiuspiam affectus impura redditur. Quo casu nihil prohibet dilectionem inimici maioris esse meriti; vt qua inimicus purè diligitur propter Deum.

Ad quintum dicendum rationem indebiti per se non augere rationem meriti. Nam dilectio Dei & maximè debetur, & plurimum meretur.

A Ad Postremum ex S. Thoma responsio est 2. 2. in fine quæstionis 27. ad rationem meriti plus facere bonum quàm difficile; nec difficultatem augere meritum, nisi vbi sequitur rationem boni. Atqui in proposito difficultas non oritur ex parte obiecti quatenus bonum, sed quatenus à bono, id est, diligibili deficit; id est, alijs verbis, non ex obiecti excellentia sed defectu. Est enim inimicus minùs diligibilis quàm amicus: atque inde eius dilectio difficultatem habet, quemadmodum & in cognoscibilibus accidit, vt eorum quædam diffi-
B culter à nobis cognoscantur, non propter eorum naturæ excellentiam, sed imperfectionem: quorum proinde cognitio non est præstantior earum rerum cognitione, quæ facilius cognoscuntur.

IN

C DISTINCTIONEM

TRICESIMAMPRIMAM.

§. 1. *Charitatem semel habitam amitti posse.*

QVæstio quam hac distinctione primo loco tractat Magister, non inter problematicas sed fidei quæstiones reponenda est. Certa enim fide te- S. Tho. 2. 2. q. 24. ar. 12.
D nendum est, charitatem seu gratiam seu iusticiam. (Hæc enim tria vel eadem sunt vel inseparabiliter connexa) semel habitam in hac vita amitti posse. Quod quidem fit quoties quis committendo peccatum mortale iusticiam deserit. Facere autem id potest homo quantumcunque iustus, quamdiu in huius vitæ mutabilitate positus nondum ad terminum peruenit.

Est autem huius doctrinæ multiplex & copiosa probatio, tum ex scriptura sacra, tum ex patrum & conciliorum authoritate, tum ex ratione, tum ex ipsa rei experientia.

E Scripturæ quæ id probant multiplices sunt. Nam aliæ testantur quosdam à iusticia semel accepta peccando excidisse; vt angelos præuaricatores, primos parentes. Saulem, Dauidem, Salomonem, Petrum aliosque apostolos, & primitiuæ ecclesiæ credentium nonnullos, quos notat epistola ad Heb. 6. & 10. Vnde & cuidam in Apoc. 2. dicitur: *Charitatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque vnde excideris.* Et cum Luc. 10. Dominus 70. dixisset nomina eorum scripta esse in cælis; postea tamen ex illis quidam retro abierunt Ioan. 6. Et idem Ioannes in epistola sua docet, charitatem omissione boni operis extingui cum ait: *Qui viderit fratrem suum necesse habere & clauserit viscera sua ab
F eo, quomodo manet charitas Dei in illo.* 1. ep. 3. Aliæ scripturæ idem sub parabola ostendunt, vt Luc. 15. sub parabola ouis aberrantis, drachmæ perditæ & filij prodigi; cui prima stola quam reliquerat restituitur, per quam charitas significatur. Et Matth. 12. sub parabola spiritus immundi, qui domum suam vnde eiectus fuit, repetit. Et 13. sub parabola seminis quod cecidit in petrosa. Aliæ docent posse excidere à iusticia hominem semel iustificatum; vt quæcunque ad perseuerantiam hortan-

tur, quæcunque vetant hominem esse sine timore quæcunque vigilare & orare nos admonent, ne intremus in tentationem, quæcunque docent priora iustitiæ opera per subsequentem transgressionem venire in obliuionem coram Deo, quæcunque denique quacunque ratione iustos Dei filios charitatem Dei & proximi habentes, à grauioribus peccatis absterrent. Loca scripturæ quibus hæc singula probentur, passim obuia sunt. Quibus adiungimus illam scripturam Sap. 4. quæ raptum esse quendam testatur ne malicia mutaret intellectum eius. Huc denique pertinent omnes scripturæ quæ relapsos inuitant ad pœnitentiam: nimirum præsupponentes fieri posse, vt primam iustificationis gratiam peccando quis amittat.

Quare & omnia ea patrum scripta, quibus contra Nouatianos docent post baptismum lapsos per sacramentum pœnitentiæ in gratiã recipiendos esse. hoc ipsum manifestè conuincunt; vt Cypriani, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini & aliorum. Quamquam & alibi sæpe & multũ inculcatur à patribus ea quæ modò diximus in scripturis esse passim obuia, vt superuacaneum sit eorum sententijs recitandis immorari. Tantum adijcimus vnum & alterum Augustini locum, vbi hanc rem tradit apertissimè. Prior est lib. de corrept. & gat. cap. 8. & 9. vbi dicit Deum quibusdam dedisse fidem, spem, dilectionem, quibus non dedit perseuerantiam. Posterior tract. 45. in Ioan. vbi exponens illud: *Sed non audierunt eos oues*: dicit multos in ecclesia esse castos, sobrios, stantes & laudantes Deum, qui aliquando blasphemabunt, fornicabuntur, inebriabuntur & cadent & damnabuntur: quia non sunt oues secundùm prædestinationem, sed tantùm secundùm præscientem iusticiam. Similis est apud Gregorium locus lib 14. moralium cap. 19. vbi ostendit quomodo fuerint ecclesiæ membra qui iusticiam perdere potuerunt.

Et sanè notandum pro huius doctrinæ certitudine, Iouinianum hæreticum iam olim tanto patrum consensu damnatum fuisse; quòd inter alia (vt Augustinus refert, hæresi 82.) diceret hominem post acceptum regenerationis lauacrum non posse peccare; eo nimirum peccato quo gratiam regenerationis amitteret.

Quibus accessit doctrina ac definitio concilij Tridentini sess. 6. cap. 13. vbi de perseuerantiæ munere, & cap. 14. vbi de lapsis & horum reparatione agitur, & cap. 15. vbi docetur quolibet peccato mortali gratiam iustificationis, etsi non fidem, amitti. Idem declarant canones aliquot eiusdem sessionis vt 15. 16. 17. 23. 27 & 28. sed præcipuè 17. quo damnantur, qui iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dicunt; reprobos verò vocari quidem sed gratiam non accipere, & 23. quo ei dicitur anathema, qui hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum.

Porrò ratio vna manifesta & sufficiens hæc est; quia cùm in hac vita Deus qui est summum bonum nondum videatur per essentiam; ideoque possit humanæ menti bonum aliquod videri, quod reuera non sit bonum sed charitati repugnet: poterit & apparens illud bonum libera voluntate eligi. Quo quidem voluntatis actu, non tantùm vt causa meritoria charitas amittitur, sed etiam effectiuè vt à contrario expellitur; quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 10. Ideoque veritatem obtineri in charitate quantumcunque magna & perfecta secundùm modum huius vitæ.

At verò id quod fieri posse monstrat ratio, etiam reipsa fieri docet quotidiana & nimium frequens experientia; tum eorum qui baptismalem innocentiam cum ad maiorem ætatem venerint, peccando amittunt; tum adultorum, qui post gratiam reconciliationis in eadem vel alia crimina subinde relabuntur.

§. 2. *Solutio eorum quæ contrà obijciuntur.*

NVnc breuiter respondendum ad quædam in contrarium argumenta. Primùm enim hæ scripturę objiciuntur. *Aqua multæ non poterunt extinguere charitatem.* Cant. 8. *Quos iustificauit, illos & glorificauit.* Et infrà: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et iterum: *Certus sum enim quia neque mors neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei*, Roman. 8. *Charitas nunquam excidit.* 1. Cor. 13. *Si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* 1. Ioan. 2. *Qui natus est ex Deo non peccat, & non potest peccare*, cap. 3. S. Tho. ubi sup.

His addi potest illud Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Quam scripturam citans author libri de amicitia cap. 2. tom. 4. apud Augustinum; dicit amicitiam quæ deserit, nunquam veram fuisse. Quod idem affirmat Hieronymus ep. 41. ad Rufinum in fine dicens: Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit. Cui sententiæ consonat illud quod ex Augustino citat Magister, charitatem quæ deseri potest, nunquam veram fuisse.

Idem ostendere videntur & alia à Magistro citata testimonia Patrum, Augustini, Gregorij, Ambrosij & Bedæ. Non dissimilis est apud Augustinum locus lib. 5. contra Iul cap. 3. vbi dicit quòd reproborum neminem adducit Deus ad pœnitentiam salubrem & spiritualem. Et tract. 14 in Ioan. quòd nemo reproborum accipiat testimonium Christi. Simile & illud Gregorij lib. 34. moral. cap. 8. eum qui sanctitatem amittit, ante oculos Dei sanctitatem nunquam habuisse.

Quod & Prosper confirmare videtur cùm dicit, charitatẽ nulli vicio mobilitatis esse obnoxiam lib. 3. de vita contempl. cap. 13. Quæ omnia probare videntur veram charitatis, sanctitatem, iusticiam non posse amitti.

Sed ad ea sic respondemus. Scriptura Canticorum non de quacunque charitate loquitur, sed de ea qua sibi mutuò copulantur sponsus Christus & sponsa ecclesia.

Quæ objiciuntur ex epistola ad Rom. de solis agunt prædestinatis. Præmiserat enim apostolus hæc verba: *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri, &c.* Deinde interposuit illud: *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Et mox ab eo loco: *Quis ergo nos separabit, &c.* personam electorum in se suscipiens ea dicit quæ sequuntur vsque ad finem capitis. Iam verò prædestinatorum charitatem extingui non posse finaliter, sensu composito verum & indubitatum est.

Quis porrò sensus sit huius sententiæ, *Charitas nunquam excidit*, postea suo loco dicemus circa hanc eandem distinctionem.

Quod ex epistola Ioannis priori loco adducitur, similiter in persona electorum ab eo dictum est. Omnes enim electi in finem permanent. Neque obstant huic interpretationi præcedentia ver-

ba: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Namreprobi in ecclesia electis permixti, dum se ab ecclesia separant, exeunt de medio electorum, sed non erant ex numero electorum. Quod si fuissent, non vtique electorum societatem deseruissent.

Posterior locus non aliud significat, quàm eum qui ex Deo natus est, durante illa filiatione peccare non posse eo peccato quo charitas violetur. Quod autem Ioannes non senserit charitatem semel habitam non posse amitti, patet ex eadem epistola. Nam cap. 2. dicit: *Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis*, ergo sentiebat eos qui in charitate erant, peccare posse & interdum peccare. Et cap. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, &c. quomodo manet charitas Dei in eo?*

Sententia quæ ex Prouerbijs adfertur, ostendit verum amicum sic erga amicum affectum esse, vt nec in aduersis eum deserere velit. Quod & de charitate similiter verè dicitur; nimirum eâ sic Deum ab homine diligi, vt nunquam à dilectu velit separari; sed sicut in amicitia humana ita in charitate diuina accidit, vt quamuis verus & sincerus vtrobique sit amor; extingui tamen possit & extinguatur interdum propter mutabilitatem voluntatis humanæ à bono deflectentis. Vnde consimili modo intelligi possunt & aliæ eiusdem generis sententiæ. Quamquam nec liber de amicitia earum authorem habet. Et sententiam Hieronymi ad Ruffinum scribentis haud veram fuisse, dissoluta eorum inter ipsos amicitia commonstrat.

Id verò quod primo loco Magister citat, in Augustino non reperitur; tametsi legitur apud Gratianum de pœnitentia. Potest nihilominus eum Magistro respondere; id aliquando verum dici, quod constans & stabile est atque permanens, quodque habentem ad legitimum finem perducit. Vnde sicut scriptura negat, eum habere Dei donum qui eo quod habet, non vtitur quomodo oportet; ita dicere possumus eum non habere charitatem, qui per eam cum possit & debeat, non attingit beatitudinem. Qui est proprius vsus charitatis. Atque hæc responsio ad quæcunque similia loca accommodari potest. Nam & Augustinus contra Iulianum pœnitentiam non quamcunque, sed salubrem nominat, id est, ad salutem perducentem. Quæ enim id non efficit, quoniam frustrà fuit, tanquam frustrà fuerit, æstimatur. Et in Ioannem scribens, negat testimonium Christi à reprobis accipi perseueranter, vt ipse idem exponit. Item iuxtà Gregorium sanctitatem ante oculos Dei nunquam habuit, qui eam amisit: quia à Deo omnium bonorum remuneratore sanctitas amissa, tanquam nulla fuerit, remunerationem non accipit. Itaque sensus est, ante oculos Dei iudicis & remuneratoris.

Ad postremum respondemus rectè à Prospero vitium mutabilitatis à charitate remoueri. Non enim charitatis sed hominis vitium est, quod bono derelicto ad malum decliner.

Quod autem Magister, & ei consentiens Gratianus de pœnitentia dist. 2. istiusmodi patrum sententias de perfecta charitate intelligendas censent; si de charitate huius vitæ loquuntur, quemadmodum certè apparet eos loqui, non est recipiendum. Nam vt suprà ostendimus, charitas quantumcunque magna & perfecta, quæ terminum nondum attigit, contrario moto liberi arbitrij deperdi potest. Si verò eam perfectam intelligunt charitatem, qua capacitas cuiusque impletur, qualis est in altero seculo; verum est quidem eam amitti non posse, sed non ad eam speciatim respexerunt patres in ijs quæ obijciebantur. Cæterùm exactior huius argumenti tractatio ad controuersiam de iustificatione pertinet.

---

§. 3. *Charitatem amissam quocunque gradu recuperari posse.*

SIcut huius vitæ quantalibet charitas amitti potest, ita & quæ amissa fuerit, recuperari poterit, quocunque etiam gradu; siue æquali, siue maiori, siue minori, nunquam tamen numero eadem (licet hoc ex Magistri opinione, qui non aliam quam increatam agnoscit charitatem dicendum foret) sed specie tantùm. S. Tho. 3. p. q. 89. ar. 2. & 3.

Recuperari posse charitatem probant imprimis omnia ea quæ faciunt ad statuendum sacramentum pœnitentiæ, atque omnino ad probandam reconciliationem relapsorum. Nam vt qui labuntur, charitatem amittunt; ita qui reconciliantur eam recipiunt. Vnde Apoc. 2. Qui charitatem primam reliquerat, monetur vt pœnitentiam agat & prima opera faciat.

Idem probant exempla primorum parentum quos *Sapientia eduxit à delicto suo* Sap. 11. Dauidis qui post adulterij & homicidij crimē Spiritumsanctū reddi atque in se innouari petijt & impetrauit; Petri aliorumque apostolorū, qui post negationem, scandalum & incredulitatem gratia spiritussancti repleti sunt. Probant & parabolæ de oue post errorem reducta, de drachma perdita & inuenta, de filio post absumptam patris substantiam in gratiam recepto, iterumque prima stola donato.

Ratio autem præcipuè petenda est ex bonitate & misericordia Dei; qui etiam post acceptum semel charitatis donum relapsis spem veniæ dedit per Christum; qua charitatem aliaque animæ ornamenta amissa reciperent, eamque misericordiam nullo peccatorum numero astrictam esse voluit.

Rectissimè igitur patres concilij Tridentini sess. 6. cap. 14. & can. 29. tam contra veteres Nouatianos, quàm contra recentiores quosdam hæreticos docent & definiunt; eos qui ab scepta iustificationis gratia per peccatum exciderint, excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare, rursumque iustificari posse.

Neque porrò dubium est quin quocunque gradu recuperari charitas possit: quia sicut nullum propiciationis numerum Deus propositum habet, post quem non amplius posset in gratiam recipi peccator; ita nullum charitatis gradum præstitutū habet, vltra quem proficiendi spem pœnitenti deneget. Pertinet autem ad gratiam Dei non solùm ipsa charitas, sed & pœnitentia quæ charitatem impetrat. Quare secundùm modum charitatis, quam diuina bonitas reddere decreuit, etiam modum & quantitatem inspirat pœnitentiæ; vt pro eius ratione modò æqualem, modò maiorem, modo minorem charitatem conferat, quemadmodum docent patres concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. his verbis: Iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundùm mensuram quam Spiritussanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. In quibus verbis etsi agatur de iustificatione per baptismum; eadem tamen est ratio quod ad rem præsentem attinet de iustificatione relapsorū. Verum-

rumtamen tafticia feu charitas per pœnitentiam reftituta poftmodum ad maiorem perfectionem excrefcere poteft. Docent id exempla pœnitentium Petri, Dauidis & aliorum, qui poft lapfum reconciliati multò perfectiori amore Deo iohæferunt, quàm antè.

Idemque docet authoritas Gregorij libro 7. regiftri epift. 53. quæ eft ad Secundinum. Et homil. 34. in euangelia; vbi tractans illud Luc. 15. *Gaudium eft in cælo fuper vno peccatore* &c. dicit quofdam pœnitentes, quia fe errafle à Deo confiderant, damna præcedentia lucris fequentibus compenfare. Ac deinde fubiungit: Maius ergo de peccatore conuerfo, quàm de ftante iufto gaudium fit in cælo, quia & dux in prælio plus eum milıtem diligit, qui poft fugam reuerfus hoftem fortiter premit: quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geffit.

Teftatur quoque Chryfoftomus homil. 87. in io Ioan. Petrum poft pœnitentiam maiore erga Dominum concepta fiducia, interrogaffe eum pro Ioanne, qui in cœna pro fe Dominum interrogare non fuit aufus: eidemque tanquam plus cæteris diligenti præpofitutam ouium Chrifti fuiffe commiffam.

Confirmat hanc doctrinam gloffa interlinealis Leuit. 7. fub initium his verbis. Acquè placet Deo virtus iuftorum & digna pœnitentia peccatorum, quæ reftituit in gradum priftinum Dauid & Petrum. Et ad illud Malach. 13. *Placebit Domino facrificium Iuda, ficut dies feculi.* Quomodo, inquit, in principio placuete Deo, fic poft peccatum & pœnitentiam placere incipient omni forde peccatorū purgata. Ex quibus patet tum ad æqualem tum ad maiorem charitatis gradum refurgere poffe pœnitentem. Nam quòd ad minorem refurgere poffit, minùs eft dubitabile.

§. 4. *An fides, fpes, charitas maneant in futuro feculo?*

S.Tho.1. 2.67.ar. 3.4.5. & 6.

AD quæftionem vtrùm In futuro feculo maneant virtutes Theologicæ, habemus apertam apoftoli refponfionem, qui 1. Cor. 13. charitatem commendans, eiufque fupra cætera charifmata excellentiam prædicans, *Charitas*, inquit, *nunquam excidit, fiue prophetiæ euacuabuntur, fiue linguæ ceffabunt, fiue fcientia deftruetur. Ex parte enim cognofcimus & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eft, euacuabitur quod ex parte eft.* Et mox: *Videmus nunc per fpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et Rom. 8. *Spes quæ videtur non eft fpes. Nam quod videt quis quid fperat? Si autē quod non videmus, fperamus, per patientiam expectamus.* Ex quibus apoftoli verbis manifeftum eft, charitatem quidem non excidere fed permanere in futuro feculo; fcientiam verò, fidem & fpem excidere & non permanere.

Quæ doctrina apoftoli, quod ad fidem & fpem attinet, non magnam habet dubitationem. Cùm enim fides, vt fuo loco dictum eft, in fua ratione includat, vt fit rerum non vifarum feu non apparentium Heb. 11. Spes quoque rerum fit futurarum atque abfentium: vt quę adhuc in expectatione pofitæ fint; fatis clarum eft neque fidem neque fpem permanete in futura beatitudinis ftatu: vbi fublata cognitionis obfcuritate & expectatione, in beatam

A poffeffionem communicata ab omnibus videbitur Deus ficutieft, quemadmodùm & Auguftinus docet libro 14 de trinit. cap. 2.

Verùm de charitate dubitari poteft, cur non & ea euacuari dicenda fit; quandoquidem in hoc feculo, ficut ex parte cognofcimus & ex parte prophetamus, ita etiam ex parte diligimus? Quod fi refpondeas cum Magiftro ipfam quoque charitatem euacuari, in quantum eft ex parte; quia nimirum tolletur eius imperfectio & addetur ei perfectio: cur non idem de fide vel faltem de fcientia dici poterit; nempe eam non fimpliciter deftruendam (quod tamen affirmat apoftolus) licèt ex parte cognofcamus; fed hactenus tantùm; quia quod ex

B parte eft, euacuabitur fublata eius imperfectione & addita perfectione? præfertim cùm Hieronymus in epiftola ad Paulinum, quæ Biblijs præfigitur, de fcientia noftra fic loquatur: Difcamus in terris, quorum fcientia nobis perfeueret in cælo.

Ad quod refpondendum eft, nos aliter ex parte diligere, aliter ex parte cognofcere. Ex parte enim diligimus tantùm defectu quantitatis; quia non tantam in hoc feculo habemus charitatem, quantam habebimus in futuro; cùm fit tamen vtraque eiufdem rationis. Cognofcimus autem ex

C parte; quia ipfe cognofcēdi modus huic vitæ conueniens fuo genere imperfectus eft, etiamfi & ad omnia cognofcibilia fe extenderet, & intenfione valde perfectus effet. Eft autē hic modus quo tenuiò in fe, fed in fpeciebus intelligibilibus à phantafmate abftractis cognofcuntur. Quo modo fublato, aliet qui fuo genere perfectus eft, quo nimirum Deus per effentiam videbitur & res omnes in feipfis vel in verbo cognofcentur, in futuro feculo fubftituetur. Vnde etiam fi fcientia huius feculi perfecta effet, ea perfectione cuius eft capax, effet adhuc mutanda:

D quia modus fciendi congruens huic vitæ, non congruit futuræ. Charitas autem fi effet in hoc feculo perfecta; eadem omnino permaneret in futuro. Non enim diligendi modus mutabitur, ficut fciendi.

Hieronymus autem fcientiam permanere fenfit quantum ad res cognitas, vel etiam quantum ad habitum ipfum, non quantum ad modum cognofcendi. Dicto ferè modo quæftionem hanc explicat Auguftinus lib. de fpiritu & lit cap. 24. & libro 22. de ciuit. cap. 29.

E

§. 5. *Quis fuerit ordo charitatis in Chrifto homine.*

NOn idem fuit ordo charitatis in Chrifto homine, qui in cæteris hominibus rectè diligentibus iuxta modum huius vitæ. Nam Chriftus fecundùm animam fuit ab initio conceptionis perfectus comprehenfor, vt oftendimus ad diftinctionem 14 ideoque ille dilectionis ordo qui beatis, non qui viatoribus competit, ei tribuendus eft. Atqui in beatis totus ordo dilectionis accipitur ex fola coniunctione ad Deum, quemadmodum ad diftinctionem 29. in fine annotauimus. Quare talem dilectionis ordinem in Chrifto ab initio fuiffe fatendum eft; quo vnumquemque hominem & angelum eò magis minulue per iufticiam Deo effet coniunctus: præfertim cùm in illa Chrifti anima

S.Tho. 3. q.10. & 1.2. q.26.ar.13

F

fuerit ab initio omnium rerum cognitio, sicut ostendimus ad distinctionem 16. & proinde Christo fuerint exactè nota omnium & singulorum merita.

Cæterùm cùm illa hominum cum Deo coniunctio bifariam accipi possit; vel secundùm iustitiam præsentem, vel secundùm iustitiam finalem ac perpetuò mansuram: duplex quoque ordo dilectionis Christi erga homines attendendus est: alter quo eos diligit magis minusúe, quatenus præsentem iustitiam maiorem vel minorem habent, alter quo eos diligit secundùm illud & ad illud quod per ipsius gratiam perpetuò futuri sunt. Igitur iuxta priorem ordinem non solos electus Christus diligit, vel olim in terris agens dilexit, verùm etiam multos reprobos: eos nimirum qui ad tempus iusti sunt aut fuerunt; imò & quosdam reprobos magis quàm quosdam electos ea ratione dilectos à Christo fuisse, non est negandum: cùm reproborum quidam quibusdam electis ad tempus sint meliores. Iuxta posteriorem verò ordinem, solus electos diligit Christus, eosque magis vel minus, prout in æterna beatitudine per iustitiam & gloriam erunt Deo magis minusúe coniuncti. Atq; hic ordo propriè conuenit charitati; quâ videlicet proximus diligitur non ad qualecunque bonum, etiam spirituale, cuiusmodi est temporalis iustitia; sed ad consecutionem summi boni, id est, ad æternam beatitudinem.

Vnde absolutè dicendum est cum Magistro Christum, cuius humana voluntas diuinæ voluntati semper fuit per omnia conformis, charitatis habitu nunquam dilexisse reprobos, sed eos tantummodo, quos idem ipse vt Deus ab æterno ad salutem prædestinauit; id est electus. Quare nec pro mundo, id est reprobis orauit patrem, sed pro eis solis quos de mundo ei dedit pater Ioan. 17. vti pleniùs ostensum est ad distinctionem 17.

Ex quibus præterea consequens est, charitatem Christi quoad numerum diligendorum minùs latè patere quàm charitatem nostram. Nos enim qui reprobos ab electis in hac vita discernere non possumus, ac proinde omnes promiscuè diligendi præceptum accepimus, multos reprobos diligimus vitã æternã ijs optantes, & quantũ in nobis est procurantes. Non est autem istud Christo peculiare, sed beatis omnibus commune, vt solos diligant electos. Vnde etiam fit, vt sancti cum Christo regnantes vindictam petant aduersus eos pro quibus dum hic essent orauerunt: non dico aduersus omnes eos, sed quosdam, scilicet reprobos quos tunc non nouerãt Apoc.6.

Quod autem tunc non omnes diligant, non accidit charitatis diminutione sed subtractione rerum diligendarum consequente scientiæ perfectionem. Nam statui viatorum propter ignorantiam consilij diuini conuenit ab ijs omnes omnino diligi. At statui beatorum propter eiusdem diuini consilij manifestationem, conuenit ab ijs eos solos diligi, quos norunt ad summi boni adoptionem à Deo esse prædestinatos. Hoc autem quoniam ab initio cognouit Christus, etiam vt homo, patet hunc dilectionis ordinem in eo semper fuisse.

Quòd si obiicias Christum magis dilexisse Ioannem, quàm Petrum; vti ex eo apparet, quod Ioannes peculiariter vocatur discipulus quem diligebat Iesus; cùm tamen Petrus Christum cæteris discipulis magis dilexerit Ioan. vlt. & ad maiorem tum dignitatem in hac vita, tum gloriam vt creditur in futura euectus fuerit. Respondemus dilectio-

A nis nomine in scriptura sacra interdum designari exteriorem dilectionis actum, vel manifestum atque oculis conspicuum dilectionis signum. Vnde Marci 10. de quodam, qui se omnia decalogi mandata à iuuentute obseruasse affirmabat, dicitur quod Iesus eum intuitus dilexerit, id est, benigno atque amabili aspectu diligere se eum ostenderit. Ita accipiendum quod Ioannem peculiariter dilexisse Christus dicitur; non quòd alios discipulos, vel non dilexerit, vel minùs dilexerit; sed quia certæ cuiusdam significationis gratia suum erga Ioannem amorem externis signis & familiari
B consuetudine magis quàm erga alios declarauerit. Qua de re vide Augustinum tract. vlt. in Ioan.

IN

DISTINCTIONEM

TRICESIMAMSECVNDAM.

C

§. 1. *Deus quatenus & quo gradu omnem creaturam diligat.*

DIsserit hac distinctione Magister de dilectione Dei erga creaturam. De qua quantum hoc loco satis est, articulatim pauca dicenda sunt. S.Tho. 1. q. 20. ar. 1. 2.3. & 4.

Primò, dilectionem qua Deus nos diligit, non
D esse eandem cum ea qua nos diligimus Deum, vt opinatur Magister, persistens in ijs quæ dixerat libro 1. distinctione 17. sed diuersam. Illa enim Dei essentia est, æterna atque immutabilis: hæc autem animi qualitas creata in tempore, mutationi obnoxia. De qua re satis dictum ad distinctionem citatam.

Secundò, Deum omnia quæ sunt diligere sine exceptione. Omnia enim à Deo sunt, & in quantũ à Deo sunt, bona sunt; in quantum autem bona sunt, diligibilia sunt; maximè ei à quo facta sunt.
E Vnde illud Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid cõstituisti aut fecisti.*

Tertiò, Deum omnia diligere ab æterno. Immutabilis enim est voluntas Dei, qua res diligit, vel simpliciter vt sint, vel vt præter naturam certa ijs bona communicet. Neque enim tantùm diligere dicitur Deus benefaciendo, verùm etiam proponendo ac volendo benefacere. Quod quidem propositum æternum esse constat. Hinc scriptura docet quosdam à Deo dilectos ante mundi constitu-
F tionem Eph. 1. Et Iacob dilectus fuisse dicitur antequam natus Rom. 9. Vnde Augustinus lib. 5. de trinit. cap. vlt. Deus, inquit, absit vt temporaliter aliquando diligat, quasi noua dilectione quæ in illo ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt.

Aliquando tamen propter effectum diuinæ dilectionis temporalem, dicuntur quidam incipere diligi à Deo & fieri amici Dei: vt diligere temporaliter sit benefacere, sicut diligere ab æterno est bene velle. Vnde subiicit ibidem Augustinus:

Sed cùm conuertuntur homines & inueniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur; vt eo modo dicatur quo potest humano affectu capi, quod dicitur. Quæcunque enim in talibus mutatio significatur, non in Dei voluntate est, sed in rebus Dei voluntati subiectis, quemadmodum pleniùs dictum est lib. 1. distinctione 8.

Quartò Deum non omnia diligere æqualiter. Quamuis enim vna eademque sit Dei dilectio, quæ est eius essentia: effectus tamen eius dilectionis neque vnum quiddam sunt, neque bonitate æquales omnes inter se, sed alij alijs meliores. Ea igitur magis diligit Deus, quæ simpliciter meliora sunt, ea verò minùs diligit, quæ simpliciter minus sunt bona: vel quod in idem redit, ea magis diligit quæ sibi, id est summo bono sunt viciniora, ea minus quæ ab eodem sunt remotiora. Vnde Augustinus tract. 110. in Ioan. Quis dignè potest eloqui quantum Deus diligat membra vnigeniti sui, & quantò amplius vnigenitum ipsum?

Neque repugnat quod Sap. 6. dicitur de Deo: *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.* Nam pro *æqualiter* Græcè est *similiter*. Neque aliud significatur, quàm vniuersalem esse atque ad omnia extendi Dei prouidentiam, nullo excepto.

Quintò etsi omnia in quantum sunt, & bona sunt, diligat Deus, non tamen eum diligere peccatum, imo nec peccatorem vt talem. Cuius ratio est manifesta: quia peccatum neque bonum est, neque opus Dei, neque omnino ens aliquod est; ac proinde nec diligibile. Peccator quoque vt talis, neque bonus est neque à Deo factus. Hinc dicit scriptura Sap. 14: *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Et in psal. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et sap 7. *Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat.*

Sexto quamuis propter præsentem iustitiam Deus omnes iustos diligat, nec id quomodocunque sed tanquam amicos suos: & propter præsentem iniquitatem oderit omnes peccatores tanquã suos inimicos: peculiari tamen ratione eum ab æterno diligere omnes electos, & odisse omnes reprobos, iuxta illud: *Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui*, Ea ratio est quia illis ab æterno vult maximũ hominis bonũ perpetuò mansurum; videlicet felicitatem æternã: his autem ab æterno vult maximum hominis malum perpetuò duraturum, nempe miseriam æternam.

Septimò & postremò ad quæstionem vtrùm magis diligat Deus peccatorem prædestinatum an iustum reprobum? respondendum, si dilectio intelligitur secundùm præsens beneficium, magis diligi à Deo iustum reprobum; si autem intelligitur secundùm æternum benefaciẽdi propositum, hoc pacto magis diligi peccatorem prædestinatum, Simpliciter enim maius est bonum, quod ab æterno huic Dei voluntate præordinatum est, quàm quod illi. Et conformiter respondendum ad quæstionem vtrum illorum magis oderit Deus? Nam si odium Dei præsentem hominis statum respiciat, magis odit peccatorem prædestinatum; si verò statum respiciat perpetuò mansurum, magis odit hoc pacto iustum reprobum, tanquam cui ob præuisum & nunquam remittendum peccatum, deputauerit ab æterno nunquam finiendum supplicium.

In DISTINCTIONEM TRICESIMAMTERTIAM

§. 1. *Quæ sint virtutes cardinales & earum officia.*

CVm virtutum aliæ sint intellectuales, aliæ morales: quarum illæ perficiunt intellectũ, hæ appetitũ: sed ita vt ab illis quidem nemo simpliciter bonus dicatur, ab his autem dicatur; quædam ex ijs sunt quæ cæterarum respectu principales seu cardinales atque interdum etiam generales vocantur, nimirum prudentia, iusticia, temperãtia, fortitudo. Inter quas sola prudentia, intellectualis est virtus, cæteræ morales. Quamquam & prudentia quodammodo moralis est: quia licet secundùm essentiam suam sit in intellectu, ex parte materiæ tamen circa quam versatur, cum moralibus conuenit: cùm sit recta ratio agendorum, & rectitudinem appetitus præsupponat.

Dicuntur autem hæ quatuor principales seu cardinales virtutes: vel quòd sint quatuor genera virtutum, quibus reliquæ virtutes tanquam species subiiciantur. Nam hoc pacto de ijs interdum tam Philosophi quàm ecclesiastici doctores locuti sunt: vel potius quòd versentur singulæ circa id quod in vnaquaque materia virtutis præcipuum est. Qua ratione cæteræ virtutes ad istas, non vt species ad genera pertinebunt, sed vt minùs principales ad principaliores; & vt partes, quas vocant potentiales, ad rota sua reducendæ sunt. Quod ita declaramus. Bonum namque consistens in consideratione rationis, principaliter inuenitur in ipso rationis imperio: quod ad prudentiam pertinet. Bonum autem quod est in operationibus secundùm rationẽ debiti, principaliter inuenitur in cõmutationibus & distributionibus, quæ sunt ad alterũ cum æqualitate; quod pertinet ad iusticiã. Item bonũ refrænãdi passiones principaliter est circa delectationem tactus; quod temperantiæ tribuitur. Bonum verò quo firmiter statur in eo quod ratio dictauerit contra impetum passionum, præcipuè reperitur in periculis mortis: Quod præstat fortitudo.

Ex qua declaratione patet etiam harum virtutũ inter se discrimen secundùm formalem cuiusque rationem, siue illa generalis sit siue specialis. Vnde vlterius propria singularum officia facile est cognoscere. Nam prudentia recta ratione dictat & præcipit agenda, iusticia suum cuique tribuit, temperantia reprimit voluptates, fortitudo firmat contra aduersitates & pericula.

Distinguuntur & subiectis. Prudentia enim est in intellectu, iusticia in voluntate. Temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, vt S. Thomas vult, at secundùm alios hæc vtraque in voluntate, perinde vt iusticia.

Est autem hic quaternarius virtutum numerus apud scriptores celeberrimus. Nã præter authores Ethnicos Aristotelem, Ciceronem & alios etiam scriptura sacra Sap. 8. eas recenset. Et earum apud sacros scriptores Ambrosium, Augustinum, Gregorium atque alios frequentissima est mentio, quorum loca hic annotare nihil est necesse. Disserit autem doctè & methodicè de ijs S. Thomas 1. 2. q. 61.

§. 2. *An dicta virtutes in Christo fuerint, & in beatis mansuræ sint.*

S.Tho. 1. 2 q. 67. ar. 1.

DE virtutibus moralibus ac potissimùm de cardinalibus quæri hoc loco solet, vtrũ in Christo eas fuisse, & in beatis permansuras esse dicendum sit? Sunt enim non pauca argumenta quæ partem negantem suadere videotur atque bæc præcipuè.

Primò. Frustrà est habitos cuios non est actus: atqui harum virtutum actus nulli erunt in cælo. Neque enim ibi quisqnam rè sua carebit quam iusticia reddat; neque malum erit, quod prudentia caoeat; neque libido quam coerceat temperantia; neque molestia quam toleret fortitudo: & omnino actiuæ vitæ opera ad quam morales virtutes hominem perficiunt, post hanc vitam cessabunt teste Gregotio lib. 6. moral. cap. 28. & Augustin. serm. 16. Parif. Vnde & apostolus. Tit. 2. dicens, Christi gratia oos erudiri, vt *sobriè, iustè & piè viuamus,* addidit *in hoc seculo*; quasi in seculo futuro, harum virtutum actibos non sit locus. Quare eiosmodi virtuosi babitus in illo statu non suot ponendi.

Secundò: Fortitudo & temperantia suot in parte irascibili & concupiscibili, vt suprà dictum est. Quæ potentiæ eum extinguaotur morte hominis vnà eum sensu, vtpote organicæ: non possunt esse in animabus separatis, multoque minùs attribuendæ suot angelis. Quare saltem hæ virtutes post bãc vitam non maneot.

Tertiò. Ab apostolo sola charitas ita commeodatur; vt nunquam excidere dicatur: exciduot igitur reliquæ omnes virtutes.

Quartò, virtutes morales sunt media consequendæ beatitudinis tanqoam vltimi finis, quemadmodum de cardinalibus nominatim affirmat Augustinus lib. 12. de trinit. capite 14: Atqui media cessare debent habito fine.

Quintò Augustinus epistola 52. dicit, in futuro seculo voicam fore virtutem, quæ sit & virtus & virtutis præmium. Idemque in libro de patientia capite vltimo tractans versiculum psal. 9. Paoperum, inqoit patientia ooo peribit in æternum; non quia & illic patientia erit, vbi quod toleretur non erit: sed non peribit, qoi infructoosa noo erit: fructum autem habebit æternom, ideo non peribit in æternum. Et docet à simili, quia qui ad laboris soi promissa peruenerit, gratulans dicit: Non perdidi laborem meum. Vnde secundùm Augostinum non aliter remanet patientia quàm labor, scilicet quoad fructum. Et libro 14. de ciuit. capite 9. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est nisi vbi toleranda sunt mala, sed æternum erit quò per patientiam peruenitut, Et in psal 91. Nemo, inquit, patiens est in bonis. Et apud eondem Augustinum libro octoginta trium quæstioonm q. 31. & 61. tales assignantur harum virtutum definitiones, cuiusmodi cum statu beatorum consistere non possunt.

Postremò. Pro hac sententia disertè facere videntur Lactantij verba dicentis lib. 3. c. 28. nullam esse virtutem si desit aduersarius Et lib. 5. cap. 7. & 22. nec non lib 6. cap. 15. qoibus locis patientiam negat vim suam nomenque retinere posse: si nihil sit quod pati cogamur, & vbi vicia non sunt, nec virtutibus locum esse, sicut nec victoriæ quidem vbi aduersatius nullus est.

Quod autem nec in Christo fuerint dictæ virtutes, vel earum saltem aliquæ; videtur iisdem ferè argumentis ostendi, præsertim primo & quarto. Cùm enim in Christo oullus fuerit ad delectationẽ motus inordinatus; non videtur in eo temperantia locum habuisse: Et cùm ab ioitio conceptionis fuerit secundùm animam beatos: non videtur opus habuisse medijs ad beatitudioem ducentibus.

Portò diuersam quæstionis partem tam ratio quàm autboritas conoincit. Ratio qoidem: quia cũ virtutes morales siot animæ ornamenta, neque imperfectiooem aliquam necessariò coniunctam habeant, sicut de fide & spe sopradictum est ad distinctionem 26. ac præterea possint harum virtutum actus aliqui statui beatorum conuenientes assigoari, planè consentaneũ est rationi, vt eas fateamur post hanc vitam permansoras. Quòd autem aliquis earũ tunc vsus futurus sit per actus illi statoi conuenientes, docet aotboritas. Nã Augostinos hac sibi proposita quæstione libro 14. de trinit. capite 9. atque obiecta sibi ex aduerso Ciceroois seotentia ex Hortensij dialogo, respondet: Si Deo reganti subditum esse, iustitiæ est, immortalis est omnino insticia, nec io illa beatitudine desinet. Ac deinde subinogit. Fortassis & aliæ tres virtutes prudentia sioe vllo iam periculo erroris, fortitudo sioe molestia tolerãdorum malorum, temperantia sine repugnantia libidinum, erunt in illa felicitate: vt prudentiæ sit nullum bonum Deo præpooere vel æquare: fortitodinis ei firmissimè cohærere; temperaotiæ, nullo defectu noxio delectari. Nuoc autem quod agit iosticia io subueniendo miseris, quod prudentia io præcaoeodis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs, quod tamperantia in coercendis delectationibus prauis: noo ibi erit, vbi omnino oihil mali erit. Ac per hoc ista virtutum opera, quæ huic mortali vitæ suot necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in præteritis habebuntur. Hæc Augustioos. Quibus verbis vsum quatuor virtutum cardioalium io futura vita vtcunque expressit. Repetuntur hæc ferè verbatim in glossa ordinaria titulo Bedæ ad illud Exod. 26. *Quod appendes ante quatuor columnas.* Quod autem dicit Augustinus immortalem omnino esse iusticiã, sumptũ est ex Sap. 1. Qoi tamen locus de iusticia generali, quæ complectitur omnes virtotes, & significat rectitudinem hominis ad legem Dei, potiùs videtur accipiendus, quàm de speciali quæ cardinalium virtutum vna est.

Rectè verò S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 1. eandem quæstiooem tractans, distinguit in huiusmodi virtotibus, quod materiale est ab eo qood formale; docetque eas in futura vita non maoere quantum ad id quod in eis materiale est; quia ibi locum non habent delectatiooes ciborum & venereorum, nec timores periculorum, nec rerum ad vsum vitæ pertinentium distribotiones aut commutationes: sed tantùm secundum id quod in eis formale est; quatenus videlicet vniuscuiusque ratio rectissima erit circa ea quæ ad illom statum pertinent; & vis appetitiua perfectè mouebitur secundùm ordinem rationis. Per quam declarationem non excludontur actus harum virtutum simpliciter à beata vita, sed ij tantùm qui circa materiam suam vt præsentem versantur. Vnde patet responsio ad primum argumentum in contrarium.

Ad secundũ respondet S. Thom. sicut in anima

separatæ potentiæ irrationales non sunt actu, sed radicaliter tantū in eius essentia, iis nec virtutes earū potentis esse in actu in ea esse, sed nihilominus in ratione & voluntate permanere vt in radice. Cæterùm post resurrectionem restitutis vnà cum corpore potentijs organicis, nihil absurdi fore, si in irascibili fortitudo & in concupiscibili temperantia ponatur; quatenus hæc potentia perfectè disposita erit ad obediendum rationi. Iuxta quam S. Thomæ responsionem fatendum foret; sicut non numero sed specie tantùm eædem restituentur organicæ potentiæ, ita & virtutes ijs inhærentes specie tantùm easdem cum ijs quæ hîc habebantur, futuras esse. Vnde alij malunt fortitudinem & temperantiam in rationali appetitu, id est voluntate collocare: quatenus & illa in irascibilem & concupiscibilem diuidi potest, vt faciunt Bonauentura & Scotus. Quam tamen quæstionem vt dubiam relinquit Durandus.

Vtrùm verò sint & in angelis morales virtutes, quod à plærisque negatur, à Scoto dubitatur, in glossa verò paulò antè citata affirmatur, quæstioni impertinens est, cùm sit alia hominum, alia angelorum natura.

Ad tertium: quamuis apostolus eo loco non de moralibus virtutibus agat, sed de Theologicis & alijs quibusdam donis; responderi tamen etiam potest, virtutes morales excidere non quantum ad habitum, sed quantum ad actus huic vitæ proprios, vt iam ostensum est. Qui actus secundùm se imperfectiores sunt ijs quos futuros diximus in beatis, quemadmodum ad distinctionem 31. de scientia eiusque actu annotatum est: cùm charitas virtus etiam secundùm modum actus sui quem habet in hac vita, nunquam excidat.

Ad quartum respondetur, virtutes cardinales non solùm esse media consequendæ beatitudinis, sed etiam retinendæ: sicut victus temperatus respectu sanitatis. Per hoc enim quod totum hominem bene ordinant ad se & proximum consequenter, eum bene disponunt ad fruendum Deo.

Quod quinto loco obiicitur ex Augustino, in futuro seculo vnicam fore virtutem, de charitate dictum est qua adhæretur Deo; sed ita vt in ea quatuor virtutes cardinales comprehendat. Dicatur, inquit, hæc & prudentia, quia perspectissimè adhærebit bono quod non amittatur; Et fortitudo, quia firmissimè adhærebit bono, à quo non auellatur; & temperantia, quia castissimè adhærebit bono, vbi iam non corrumpatur: & iustitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui meritò subiiciatur. Et addit. Quamquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, &c.

Alia quæ ex eodem atque etiam ex Lactantio obiiciuntur, non de habitu virtutum sed de actu qualem hîc habent intelligenda sunt. Neque enim dubium est etiam in hac vita virtutis habitum permanere posse, licet materia virtutis exercendæ non semper occurrat. Quòd autem virtutis nomen interdum actui tribuatur apud scriptores, & qua ratione id fiat, dictum est ad distinctionem 27. libri 3.

Ad argumentum quod ex definitionibus singularum virtutum petitur; iam patet ex Augustini responsio. Sumptæ enim sunt illæ definitiones ex actibus nobis notis & præsenti vitæ congruentibus, quibus alij perfectiores & excellentiores succedent.

Ex dictis id postremò satis est manifestum, si in beatis post hanc vitam virtutes morales sunt permansuræ; multo magis dicendum Christo in hac vita eas adfuisse, licèt iam secundùm animam beato. Versabatur enim perfectissimè in operationibus vitæ tam actiuæ quàm contemplatiuæ. Vnde & actus aliqui omnium virtutum cardinalium, etiam secundùm statum huius vitæ in eo fuerunt: vt iustitiæ in reddendo debito; prudentiæ in cauendis tentationum insidijs; fortitudinis in perferenda acerbissima passione; temperantiæ in vsu cibi & potus.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAMQVARTAM

§. 1. *Septem esse dona Spiritussancti.*

ENumerat Isaias cap. 11. Septem Spiritussancti dona (quæ prædicit in Christo futura) hoc ordine: sapientiam & intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam, pietatem & timorem Domini. Ex quo loco manauit doctrina tam veterum doctorum quàm Scholasticorum de numero septenario donorum Spiritussancti. Quod igitur ad hunc numerum attinet, quamuis subtili consideratione à diuersis diuersimodè reddatur huius numeri ratio, & à Bonauentura octo modi assignentur, secundùm quos hic donorum numerus accipi possit: vix vllus tamē est modus, qui curioso perscrutatori satisfaciat, vt idem Bonauentura agnoscit. S.Tho. a. q. 68. ar. 4.

Vnde ea subtilitate omissa sufficiat dicere, hunc numerum septenarium positum pro vniuersitate donorum Spiritussancti; quibus internos homo perficitur & sanctificatur: Quem illius numeri vsum constat esse frequentissimum in sacris literis. Nam & loco eius quod est 1. Reg 2. *donec sterilis peperit plurimos*, in Hebræo legitur, *peperit septem*. Et hæc ipsa Spiritussancti dona significata sunt eodem numero in Christo futura Zach. 3. cùm dicitur: *Super lapidem vnum septem oculi sunt*. Et eodem numero in Christo signantur Apoc. 5. vbi Ioannes videt *agnum habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Quare nihil est necesse, ad septenarium numerum contrahere dona Spiritussancti, sed sub his septem ab Isaia enumeratis & Christo attributis etiam cætera comprehendere licebit: præsertim cùm propheta in consequentibus etiam alia quędam adiungat, vt iustitiam, æquitatem & fidem.

Quod autem ab Isaia initio capitis septem enumerentur Spiritussancti dona, quæ & septiformis gratiæ nomine significari, atque à quibus etiam spiritus ipse septiformis vocari solet, manifestè docent Hieronymus in illum Isaiæ locū, Ambrosius lib. 1. de Spiritusancto cap. 20. & Augustinus libro 1. de sermone Domini in monte capite 4. vbi ea accommodat beatitudinibus à Christo recensitis, & libro 2. de doctrina Christiana capite 7. vbi eadem gradatim explicat ab vltimo ascendens vsque ad primum, & sermo. 17. de sanctis, vbi ea vocat septem notissima dona, & rursum cum beatitudinibus comparat. Sed &

sermo 209. de tempore, septiformem vocat Spiri-
tussancti gratia n. Qui sermo licet Augustini non
sit, doctus tamen est & vetustus. Gregorius item
lib. 1. moral. cap. 28. septem filias Iob, septem Spi-
ritussancti dona mysticè interpretatur. Ac rursus
eorum meminit lib. 35. cap. 7. & hom. 19. in Ezech.
Et Bernardus in peculiari sermone de donis Spiri-
tussancti. Quibus præter alios adiungere licet Ori-
genem hom. 6. in Numeros, & 3. in Isaiam.

Sed contra hunc numerum obiicit Caluinut;
in Hebræo tantùm sex distincta nomina haberi.
Nam vbi nos legimus *Spiritum pietatis & timoris do-
mini* in Hebræo textu idem vocabulum repetitur;
vltimo nimirum & penultimo loco, significans ti-
morem. Quare hunc septenarium donorum noma
rum, errori atque imperitiæ doctorum asscribit. Cui
respondemus sex quidem tantummodo vocabula
esse in Hebræo; sed cùm postremum illud non te-
mere fuerit secundò repetitũ, dicente propheta: *Et
replebit eum spiritus timoris Domini*; rectè septuaginta
interpretes vnum vocabulum bis positum, duabus
diuersis vocibus reddidisse; prius quidem per *εὐσέ-
βειαν pietatem*, posterius verò per *φόβον θεοῦ, timorem
Dei*: vtpote intelligentes vocabulo Hebræo bis po-
sito, non idem aliquod donum, sed duo diuersa si-
gnificata esse: præsertim cùm timor Domini in scri-
ptura sacra non vnam habeat significationem, vti
exemplis facilè est declarare, & infrà cum de timo-
re agetur, patebit. Eã ergo rationabilẽ 70. interpre-
tum versionem, primùm secuti sunt patres, apud
quos eorum interpretatio vsum habuit; vt septem
dona eo loco à propheta enumerata intelligerent:
deinde secutus est & ipse Hieronymus in sua ver-
sione, vt non vtrobique timorem Dei, sed priori
loco pietatem, posteriori timorem Domini red-
deret. Quomodo sanè eum vertisse ne quis du-
bitat, vel ex ipso eius commentario palam est.

Valent autem hæc quæ diximus, non ad osten-
dendum quòd oon sint plura quàm septem Spiri-
tussancti dona, sed quòd ab Isaia initio capitis 11.
septem fuerint enumerata, eoque numero quo so-
let vniuersitas significari, facilè reliqua com-
prehendi.

---

§. 2. *Vtrùm dona differant à virtutibus?*

S. Tho. 1. 2. q. 68. ar. 1. & q. 69. a. 1

DE distinctione septem donorum Spiritussan-
cti à virtutibus variè sentiunt doctores. Qui-
dam enim diuersa ab illis esse docent, alij negant.

Qui distinguunt rursus variant. Quidam enim
ita distinguunt, quòd virtutes hominem perficiũt
modo humano, dona modo plusquam humano.
Alij quòd virtutes perficiunt voluntatem, dona in-
tellectum. Alij quòd virtutes ordinantur ad bene
operandum, dona ad resistendum tentationibus.
Rursum alij quòd virtutes ordinantur ad agendũ,
dona verò ad patiendum. Bonauentura sic videtur
distinguere, quòd virtutes faciunt rectè agere, dona
expeditè; S. Thomas ita distinguit, quòd virtuti-
bus homo disponitur ad actiones suas quatenus
à ratione mouetur, donis verò quatenus mouetur
à Deo.

Cæterùm nullam harum distinctionum solidè
consistere posse, videtur ostendi his subiectis ratio-
nibus.

Primò, quia charitas est excellentissimum Dei
donum iuxta apostolum 1. Cor. 13. & Augustinum
A lib. 10. de trinit. capite 19. ad quam proinde per-
tinet non minùs quàm ad aliud quodcunque do-
num, perficere hominem modo plusquã humano;
Et tamen constat charitatem esse virtutem.

Secundò, quia eiusdem virtutis est rectè, re-
ctiùs & rectissimè agere circa suum obiectum: vt
patet tum ex virtutis ratione, quæ intensionem
& perfectionem admittit, tum ex virtutibus per-
fectorum, qui per eas operantur perfectè.

Tertiò, quia virtutes in beatis erunt perfectis-
simæ: quibus proinde frustrà addi videntur dona à
virtutibus distincta respectu similium actuum &
B obiectorum.

Quartò, quia donum timoris ponit Augusti-
nus in incipientibus lib. 1. de serm. domini in mon-
te cap. 4. lib. 2. de doctrina Christiana capite 7. &
serm. 17. de sanctis. Non ergo per illud donum
perfecto quodam modo supra virtutes homo ope-
ratur.

Quintò, quia manifestum est quasdam virtu-
tes perficere intellectum, vt fidem & prudentiam,
sicut & quædam dona voluntatem, vt fortitudi-
nem, pietatem, timorem.

Sextò, quia non minùs manifestũ est etiam alias
duas distinctiones confundi: quandoquidem & vir-
C tutes ad patiendum atque ad resistendum tentatio-
nibus ordinantur, & dona ad agendum ac bene o-
perandum.

Septimò, quia eiusdem habitus est rectè & ex-
peditè agere.

Octauò, quia in opere virtutis homo mouetur
ab vtroque & à ratione & à Deo, loquendo de
virtute Christiana, prout à Magistro definitur.
Quare hæc diuersitas principiorum mouẽtium seu
impellentium non videtur posse inducere realem
distinctionem inter virtutes & dona, sed rationis
D tantùm.

Sunt & alia argumenta quibus ostendi videtur
ea reipsa non distingui. Primum quia virtutes Dei
dona sunt, quemadmodum contra Pelagianos de
virtutibus Christianis docent Augustinus & Pro-
sper atque alij veteres.

Secundum, quia septem Spiritussancti dona ab
Isaia enumerata, sæpe à patribus virtutes appellan-
tur, vt ab Hieronymo in illum prophetæ locum,
commentante, & Gregorio lib. 1. moral. capite 12.
aliàs 28. Augustino lib. 1. quæst. euang. q. 8.

E Tertium, quia virtutis definitio cõuenit donis,
sicut & doni definitio virtutibus. Nam & dona sunt
qualitates mentis quibus bene viuitur &c. & virtu-
tes sunt beneficia quædam diuinitus homini
collata.

Quartum, quia quædam tam virtutibus quàm
donis communiter annumerãtur; vt sapientia, scien-
tia, intellectus, fortitudo.

Quintum, quia cùm virtutes sufficienter perfi-
ciant hominem circa omne obiectum quo perfici
potest in via vt patet per tres Theologicas & qua-
F tuor cardinales, frustrà videntur poni dona à virtu-
tibus realiter distincta.

Postremum, quia cùm variæ adferantur distin-
ctiones, vt suprà ex parte ostendimus; nulla tamen
est in qua satis animus acquiescat, quemadmodum
post Bonauenturam etiam Durandus annotauit.

Ex quibus omnibus probabile fit, quod
docet Magister in textu & post eum Scotus in
hanc distinctionem: septem dona reuera virtutes
esse. Quod & similiter de octo, vel secundum alios
septẽ beatitudinibus apud Matthæũ enumeratis, &
de fructibus spiritus ab apostolo recensitis Gal. 5.

dicendum

dicendum existimamus. Quamuis rationis discrimen ipsis vocabulis significatum, inter ea quatuor sit omnino agnoscendum. Quatenus enim perficiunt hominem ad bene agendum virtutes vocantur; quatenus diuinitus dantur, dona; quatenus ad beatitudinem ducunt, beatitudines; quatenus denique fructum vitæ æternæ pariunt operanti, fructus dicuntur.

§. 3. *Singula dona ad quas virtutes pertineant.*

S.Tho. 1. 2. q. 68. & 2. 2. q. 52. a. 2. &c.

AD quas virtutes referenda sint singula dona, poterit ita breuiter declarari. Sapientia, scientia & intellectus sunt virtutes intellectuales; de quibus agit Magister proxima distinctione. Fortitudo moralis virtus est, atque è cardinalibus vna. Consilium ad prudentiam pertinet. Pietatem Scotus misericordiam intelligit & iustitiæ subiungit; sed iuxta Hebraicæ & Græcæ vocis exigentiam, rectiùs pietatis nomine ea virtus intelligitur qua erga Deum eiusque cultum bene afficimur, & nihilominus ad iustitiam referri potest, iuxta illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.* Timorem Domini Augustinus locis suprà memoratis humilitatem intelligit; quam sanè cõstat esse virtutem, quæque à Scholasticis temperantiæ subijcitur; eò quòd medium teneat circa honores tanquam delectabilia quædam. Eam etsi non plenè cognitam, philosophi modestiam vocauerunt. Alij verò inter pietatem & timorem Domini, quæ suprà diximus eodem vocabulo apud Hebræos expressa, ita distinguere malunt; vt pietas cultum Dei significet, quatenus nascitur ex consideratione misericordiæ & bonitatis Dei, timor autem Domini, eundem significet Dei cultum, quatenus oritur vel excitatur in nobis ex consideratione iusti ac seueri iudicij Dei erga peccatores.

Si quæras quare his donis non etiam fuerit annumerata prudentia? dupliciter responderi potest, vel eam indicatam esse nomine consilij, vt modò diximus. Est enim prudentia habitus consiliatiuus, vel intellectus nomine contineri. Quamuis enim hoc Isaiæ loco Hieronymus vocem Hebræam verterit intellectum; idem tamen eandem Prou. 1. & 3. & alijs scripturæ locis prudentiam vertit.

§. 4. *Septem dona in Christo fuisse, & in beatis esse mansura.*

S.Tho. 1. 2. q. 68. art. 6.

SIue dona re distinguantur à virtutibus, siue ratione tantum; non est dubium quin fuerint in Christo, cui disertè à propheta tribuuntur, & de quo testatur alibi scriptura quod fuerit plenus gratia, & spiritum non ad mensuram acceperit, quodque de eius plenitudine omnes accepimus Ioan. 1. Et quòd in eo sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi Col. 2.

Verùm de alijs hominibus quibus ex plenitudine capitis Christi ea dona tanquam membris communicantur quæritur, verùm in ijs post hanc vitam permansura sint? Sed ad hoc quoque non A dubia est responsio. Nam si dona sint ipsa virtutes; cùm suprà sit ostensum charitatem ac virtutes morales permansuras in patria, idemque de intellectualibus quæ imperfectionem non includunt, sit sentiendum: consequenter idem de septem donis dicendum erit; quandoquidem iam ostendimus quæ dona ad quas virtutes referantur. Sin autem diuersa sunt, ne sic quidem locus est dubitandi, quin permaneant: cùm diuersitatem illam (si agnoscenda est) in donis constituat perfectio quædam quæ non sit in virtutibus. Quare si virtutes manent, multò magis dona remanere, vtpote quæ sint habitus quidam perfectiores, magisque diuini, o- B portebit. Testatur id Ambrosius lib. 1. de spiritusancto cap. 20. dicens, ciuitatem cælestem pleno septem spiritualium virtutum meatu satiari.

Quod ergo de virtutibus suprà dictum est eas in beatis futuras, tametsi non secundum actus huic vitæ congruentes, sed statui beatitudinis proprios: idem de donis similiter intelligendum, siue eadem sint cum virtutibus, siue diuersa. Hoc autem indicare voluisse videtur Gregorius lib. 2. moral. cap. 36. quando dona septem enumerans & exponens, singulis attribuit aliquid transitorium, & aliquid permanens. Dicit enim sapientiam reficere men- C tem spe & certitudine æternorum. Quorum spes transit, certitudo remanet. Intellectum verò dicit audita penetrare, & mentem illustrare; quorum illud transitorium est, hoc permanens. Consilium quoque, inquit, prohibet esse præcipitem, quod est huius vitæ duntaxat, & ratione animum replet, quod potissimum expectamus in futura vita. Atque ita de reliquis. Denique cum de timore Domini, qui postremum & secundum Augustinum infimum obtinet locum inter dona, dictum sit psal. 18. quod permaneat in seculum seculi: multò magis id sta- D tuendum de alijs omnibus. Sed de timore in consequentibus plura.

§. 5. *Distinguendum esse multiplicem timorem.*

S.Tho. 2. 2. q. 19. a. 1. 2. & 3.

VT intelligatur quis timor Christo ac beatis tribuendus sit & quis ab ijs remouendus, E rectè Magister multiplicem timorem distinguit. Est autem in genere triplex; videlicet naturalis, mundanus, & timor Dei. Hic verò rursus trifariam diuiditur; scilicet in seruilem, initialem & filialem, vt in vniuersum quintuplex timor censeatur.

Naturalis timor non in parte rationali est, sed in appetitu irascibili; ea nimirum passio, qua naturaliter animal fugit malum imminens. Qui timor per se neque laudabilis est neque vituperabilis, licèt in homine talis esse possit per accidens, quatenus imperari potest à voluntate. Reliqui timores sunt in appetitu rationali.

Mundanus timor, quem etiam humanum Augustinus, Cassiodorus & Scholastici vocant, dicitur, quo vel quodcunque temporale malum, vel cuiuscunque temporalis boni amissio ita timetur, vt propterea iustitia deseratur, aut illicita committendo, aut debita omittendo. Qui timor semper atque ex toto genere vitiosus est, & in sacris literis sæpe reprehenditur, vt Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

Et 1. Pet. 3. *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*. Vnde & Ioannes Apoc. 21. timidis, id est, timore mundano imbutis, partem fore dicit in stagno ardenti. De hoc etiam timore loquitur Ecclesiasticus 7. quando monet ne quis iudicandi munus appetat, nisi valeat virtute irrumpere iniquitates; *ne fortè*, inquit, *extimescas faciem potentis*, id est, metu potentię eius personam accipias & iudicium subuertas. Qua ratione & illi in scriptura vituperantur qui hominibus placent psal. 52. & Gal. 1. id est, qui ne gratiam apud homines amittant, Deum offendunt.

Similis timor est, cùm quis non amore iustitiæ, sed solo metu gehennæ vel etiam temporalis pœnæ à malo opere abstinet, & quod legis est operatur. Quo timore correpti fuerunt filij Israel, quando Dominus legem daturus terribiliter ad eos descendit in monte Sina Exod. 19. De quo Apostolus Rom. 8. *Non enim iterum accepistis spiritum seruitutis in timore*. Et 2. Tim. 1. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*. Et Heb. 2. *Vt liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti*. Est autem & hic timor viciosus, non quidem ex se, id est, quatenus timor pœnæ est, sed quatenus seruilis, id est, quatenus malum semper habet coniunctum; nempe latens in animo peccandi desiderium. Quod quidem malum in eo significatur, quod seruilis dicitur. Seruile enim est solo timore pœnę abstinere à malo, & malum quod velis, præ timore non facere.

Porrò initialis timor medius est inter seruilem & filialem. Filialis timor qui alijs nominibus sanctus, castus, ingenuus, amicalis & reuerentialis vocatur; is dicitur, quo quis metuit Deum offendere, & per offensam, id est, per culpam ab eo separari, vel certè Deum reueretur tanquam supremum omnium Dominum ac peccatorum iustissimum vindicem. Hic timor laudabilis est omnibusque præcipitur, iuxta illud Psalm. *Timete Dominum omnes sancti eius*, &, *Beatus vir qui timet Dominum*. Vnde & reprehenduntur qui eo carent, vt in psal. *Non est timor Domini ante oculos eorum*. Hinc per Malachiam Dominus dicit: Malach. 1. *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Item Ierem. 10. & Apoc. 15. *Quis non timebit te ô Rex gentium*. Initialis ergo timor cum sit inter seruilem & filialem medius; is rectè intelligitur, qui à malo retrahit & ad bonum impellit, partim timore pœnæ, partim amore iusticiæ; ita vt simul & pœnam & offensam respiciat, nimirum alterum habens commune cum timore seruili, alterum cum filiali.

Notandum est autem in hac multiplici timoris acceptione solum tertium, quartum & quintum vocari timorem Domini, atque eiusmodi esse per quem vel simpliciter, vel aliquo saltem modo ad Deum acceditur & à peccato receditur. Nam per secundum à Deo receditur & peccato appropinquatur. Primus autem ex se indifferens est vt diximus.

---

§. 6. *Explicatur distinctio timoris initialis à seruili & filiali.*

S. Tho. 2. 2. q. 19. ar. 5. 6. & 8.

TImorem initialem à seruili & filiali varij variè distinguunt. Inter quos illi optimè sentire videntur, qui docent, timorem initialem specie quidem differre à seruili timore; cæterùm à filiali

A non aliter distingui quàm secundùm perfectum & imperfectum. Quod vt planius euadat, sciendum timorem seruilem à filiali secundùm speciem distingui. Cùm enim, tam actus quàm habitus distinguantur secundum obiecta; timoris autem seruilis obiectum sit malum pœnæ, filialis verò malum culpæ, consequens est duos hos timores essentialiter differre. Quod & Augustinus tract. 9. in epistolam Ioannis, & in psal. 127. satis declarat: vbi duos timores seruilem & castum per eadem hæc obiecta distinguit.

B Porrò seruilis timor, quamuis quatenus seruilis est, cum charitate non maneat; ac proinde non sit in eo qui per charitatem factus est filius Dei, attamen secundum ipsius timoris substantiam, id est, quatenus pœnam respicit, manere eam nihil prohibet, abiecta interim seruilitate: sicut fides informis quæ charitatem præcedit, cum charitate remanet, sed ablata informitate. Vnus ergo idemque timor est, quo quis timet gehennam ante & post acceptam charitatem, quamuis post acceptum charitatis ac filiationis donum desinat esse seruilis.

C At verò timor initialis cùm nullam significet habitudinem ad seruilem timorem, sed potiùs ad filialem; non est coniūgendus seruili, tanquam in eadem specie cum eo consistens, sed potiùs cum filiali. Dicitur enim initialis quatenus competit statui incipientium agere vitam spiritualem. In quibus inchoatur quidam timor per inchoationem Charitatis. Quem timorem constat esse filialem. Sic ergo comparatur timor initialis ad filialem, sicut charitas imperfecta ad perfectam. Quare sicut inter charitatem perfectam & imperfectam non est essentiale discrimen, sed accidentarium tantùm

D secundum magis & minus, ita & inter timorem filialem & initialem. Vnde vlteriùs intelligitur obiectum timoris initialis idem esse cum eo circa quod versatur filialis, nimirum offensam ac separationem à Deo.

Quòd si obijcias de timore pœnæ qui manet in filijs, & proinde seruilis esse desinit; qui cùm neq; filialis sit timor, sed eiusmodi quem perfecta charitas pellit foras, propterea quòd pœnam habeat: videtur reliquum esse vt initialis dicatur. Respondemus de nomine non magnopere laborandum esse; ac fortasse nihil obstare quò minùs ille timor

E etiam initialis vocetur, aut certè generaliori acceptione timoris initialis comprehendatur: dūmodo sicut obiecto ita & specie timor ille pœnæ remanens in filio, distinguatur ab eo quem diximus habere imperfecti rationem respectu timoris filialis.

---

§. 7. *An timor seruilis bonus sit & vtilis ad iusticiam?*

IN timore seruili duo sunt consideranda, timor & seruilitas: Quorum alterum bonum est, alterum malum. Bonum est enim timere pœnam, malum verò seruiliter timere, id est ita timere malum pœnæ, vt nondum ametur bonum iustitiæ: vt verè dixerit S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. timorem seruilem in quantum seruilis est, contrariari charitati. Verùm cùm seruilitas ista ad substantiam eius timoris, qui seruilis dicitur, non pertineat, sicut nec informitas ad substantiam fidei, quæ vocatur informis: consequitur timorem seruilem secundùm substantiam suam bonum esse, licèt seruilitas ei ad- S. Tho. 2. 2. q. 19. ar. 4.

F

iuncta

iuncts mala sit. Vsque adeo autem fatendum est bonum esse hunc pœnæ timorem, vt apostolus eum testetus esse donum spiritussancti Rom. 8. dicens enim: *Non iterum accepistis spiritum seruitutis in timore*, satis significat & à spiritusancto hunc timorem proficisci, & ab eo quibusdam aliquando datum fuisse; nempe populo veteris testamenti in ipsa legis acceptione. Idem sigoificauit 2. Tim. 1. cùm ait: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*; eum videlicet qui olim datus fuerat populo Israelitico.

Atque hic timor ita commendatus in scriptoris, vt secundùm quorundam expositionem dicatur esse initium sapientiæ Prou. 1. Ita enim diserè eum locom Beda exponit, sicut & ante eum intellexit Augustinus tract. 9. in epistolam Ioannis & frag. 21. & Basilius in psal. 32. De eo quoqoe dictum est ab Ecclesiastico 1. iuxta patrum concilij Trideotini declarationem: *Timor Domini expellit peccatum, & qui sine timore est non poterit iustificari.* Quò pertinet & illud Isa. 26. *A timore tuo Domine concepimus & peperimus spiritum salutis.* Denique pertioent huc omnes scripturæ, quæ metu gehennæ ac seueritatis iudicij dioini, deterrent homines à peccando, & ad iosticiam excitant; vt Matth 10. Luc. 12. Marc. 9. & alibi.

Frequens est aut huius rei doctrina apud patres, ac potissimùm apud Augustinum varijs locis. Nam lib. 2. coorra epistolam Petil. cap. 83. Timor pœnarum, inquit, etsi nondum habet delectationem iustitiæ, saltem intra claustra cogitationis coercet malam copiditatem. Et in psalm. 5. Timor magnum est præsidium *procedentibus* (Magister *proficientibus*) ad salutem. Cùm autem quisqoe peroenerit, consummata dilectio foras mittit timorem. Et epistola 120. ad Hooratum: Præmissus timor io eos oostrum pellit inde consoetudinē malorum operom, & seruat charitati locum. Et rursus in psal. 127. inter alia quæ de gemino timore disserit, de timore seruili sic ait: Timent qoidam, sed non amant iusticiam. Cùm autē per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iosticiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus, & iam incipit homo iostè viuere &c. Quo etiam loco bonum esse hunc timorem atque vtilem affirmat. Et in psal. penoltimum: Nisi, inquit, timore incipiat homo Deum colere, non peroeniet ad amorem. Apud euodem tract. 9. in epist. Ioan. leguntur hæ senteoriæ; Timor locum præparat charitati: Timor ideo intrat vt charitatem introducat, & si nullus est timor, non est qua intret charitas. Præclara est & illa eius sententia serm. 13. de verbis apostoli: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iosticiæ. Cui similis est illa tract. 41. in Ioan: Si nondum potes amare iusticiam, time vel pœnam; vt peruenias ad amandam iusticiam. Vnde & in lib. de catech rudibus ca. 17. laudat eos qoi timore æterni supplicij accedunt ad baptismum. Et in epistola 50. ad Bonifacium, docet etiam Paulum, cuius tam mirabilis fuit conuersio, timore adductum. Quem, inquit, maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem; nimirum respiciens ad illud Actorum 9. vbi de eo dicitur, quod tremens ac stupens dixerit; *Quid me vis facere.* Quo exemplo probabile fit, neminem adultum iustificari nisi præuio aliquo huiusmodi timore. Quod & superiores quædam Augustini sententiæ satis innuunt, & espressius ab eo dicitur lib. de catech. rudibus c. 5. asserente rarissimè, imò nonqoam fieri: vt quis velit Christianus fieri, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Quem timorē seu terrorem ex consideratione seueritatis Dei, venientem & ad ædificandam charitatem adducentem, eodem capite saluberrimum appellare non dubitat. Rectè igitur Basilius timorem necessarium esse doceat quo erudiantur qui terrena sapiunt. Timor enim, inquit in Psal. 32. scribens, quidam introductorios necessariò ad pietatem condiscendam assumitur. Charitas verò à timore instructiuo exercitatos suscipiens, perficere solet. Alibi verò, vt in 1. Isa. timorem pædagogum esse dicit ad exercendam pietatem.

Ex his porrò perspicuom est, quàm sit sacris literis & patrū doctrinę cōscotaneum, quod in conc. Trid. legitur sess. 6. cap. 6. peccatores à iusticiæ diuinæ timore quo vtiliter cōcotiūtur ad considerandā Dei misericordiam se conuertendo in spem erigi, & quod habet canoo 8. eiusdem sessionis: Si quis dixerit gehenoæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis doleodo confugimus vel à peccaodo abstinemus peccatom esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit. Vode etiam decretum sessionis 14. cap. 4. quod est de contritione, vbi dicitur: Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egeront &c.

Est autem circa prædicta diligenter notandum, commeodari à scriptora & patribus seroilem pœnę timorem, non quatenus seruilis est (Vnde oec sub hoc nomine à patribus vsquam commeodatus legitur) sed quatenus timor qoidam est; per quem proposita comminatione pœnæ, retrahitur quis ab opere peccati, cui illam pœnám nouit esse decretam.

§. 8. *An peccet qui solo timore à peccatis abstinet?*

[S. Thom. vbi sup.] SOlet quæri an qoi solo timore pœnæ seu temporalis seu etiam æternæ, vel opus legis facit, vel à peccato abstinet, peccet; quod alijs verbis ita propooitur, vtrùm omne opus ex solo timore pœnæ procedeos sit peccatum? Partem negantem apertè videntur astruere hęc Moysi verba ad populum: *Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & non peccaretis.* Quod haud dubiè de timore seruili dictum accipi debet. Item ex apostolo suprà ostensum est, timorem seruilem esse donum spiritussancti, & quidem tale, per quod homo præparetur & perducatur ad iusticiam: igitur actus ex eo solo procedens, si nulla alia circunstantia vicietur, non esset peccatum. Absurdum enim videtur per id quod est iusticiæ contrarium cuiusmodi est omne peccatum, posse quempiam ad iusticiam præparari; cùm contrarium nequeat esse dispositio ad suum contrarium, sed potiùs elongatio à contrario.

His accedit authoritas Augustini, qui duobus locis supracitatis hortatur fideles; vt si non amore iusticiæ; saltam timore pœnæ bonum faciant. Qui etiam lib. de catech. rud. cap. 17. verè Christianum esse eum pronunciat, qui Christum colit vt non eat in ignem æternum; etiamsi nondum eò profecerit, vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam. Et similis sunt apud eum loca tract. 9. in ep. Ioan. serm. 18. de verbis apostoli, epistola 105.

& in psal. 127. præter alia superius allata quibus ostendebatur vtilitas timoris.

Accedit & ratio: Sicut enim regnum cælorum est summum bonum, ita gehenna summum malum; quare si quis eam tanquam summum malum timeat & ex eo timore à peccato abstineat, etiamsi iustitiam nondum amet, peccare non videtur, nihilo magis quàm si bonum opus faciat spe regni cælestis.

Huic sententiæ fauere videtur canon 8. sess. 6. Tridentini concilij, quo anathema dicitur ei qui metum gehennæ dixerit esse peccatum aut peccatores peiores facere. Quod similiter de actu ex eo procedente videtur intelligendum. Consequens autem apparet vt si actus eiusmodi peccatum sit, hominem ipsum faciat deteriorem, cùm peccatum eius sit naturæ, vt sicut reatum sic & malitiam augeat in eo qui peccat.

Porrò in contrarium est hæc ratio: Quod fit ex solo timore pœnæ, non fit ex amore iustitiæ, qui tamen ad opus bonum tanquam necessaria circumstantia requiritur. Quandoquidem nec gentilium opera in quibus nullus esset amor iustitiæ, reprehensionem peccati effugere potuisse videntur. Quamuis enim illi verum Deum non cognouerint, fuere tamen qui iustitiæ bonum aliquatenus amarent, & ex eo amore bona quædam & laudabilia facerent. At vbi hic amor deest, vti deest in homine qui tantum hoc spectat vt pœnas euadat; aliqui facturus quod prohibetur, aut non facturus quod iubetur non videtur opus humanum fieri posse quod peccatum non sit.

In hanc quoque sententiam non pauca proferri possunt ex Augustino. Nam serm. 15. de verbis apostoli sic ait: Qui timore pœnæ non concupiscit puto, quia concupiscit, & de spiritu & lit. cap. 32. testatur eum qui solo timore facit quod iubetur, licet bonum faciat, non tamen bene facere, & in epistola 144. docet eum qui tantum timet, esse inimicum iustitiæ. Generalis item eius sententia est lib. 1. confess. cap. 12. Nemo inuitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit. Quod autem inuitus faciat qui solo timore facit, manifestum est; quia non amat iustitiam, licèt opus iustitiæ in speciem faciat. Alius apud eundem locus est lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. vbi de eo qui solo timore præcepta seruat inter cætera dicit. Sicut autem præcepta qui facit procul dubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mauult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hunc in ipsa voluntate reus est reus, vbi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Sic ille. Annotari possunt & hæc loca. De spiritu & lit. cap. 8. & 14. de natura & gratia cap. 57. lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 9. In psal. 67. ad illud: *Si dormiatis inter medios*, & in psal. 77. ad illud, *Et in lege eius noluerunt ambulare*. In psal. 102. conc. 2. & in psal. 118. conc. 11. In euang. Ioan. tract. 85. & lib 2. de peccatorum meritis cap. 18. Consentit & Prosper qui ex varijs Augustini locis hanc intexuit sententiam numero 117. Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat, cui vult nocere; sibi tamen plurimum nocet & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate. Similis est sententia 222. & 257.

Ea his igitur hoc saltem consequens videtur, omnem eum peccare qui solo timore abstinet à peccato. Vtcumque enim se habeat opus exter- A num, & siue illud propter debitæ circumstantiæ defectum debeat dici peccatum, siue possit aliquo modo à peccato excusari; de quo videre licet Bonauenturam q. 2. in posteriorem huius distinctionis partem & Durandum in eandem distinctionem q. 4. Certè omnino fatendum est id quod patres affirmant, eum qui seruiliter timet & ex eo timore aliquid facit aut omittit, ipsa voluntate intus atque in animo reum esse; dum mallet quod iubetur omittere, vel quod prohibetur facere si liceret impune: præsertim si actualem huiusmodi in ipso B opere faciendo habeat voluntatem. Hoc autem vsque adeo verum est, vt etiam ipse actualis timor & opus externum ab huiusmodi timore procedens vicium contrahat & verè peccatum fiat ea illa circumstantia qua quis dolet talem pœnam peccato appositam esse, & coperet si impune permittetur peccatum perpetrare, quemadmodum apertè docent duo modò citati Scholastici doctores. Non enim solùm actu concupiscit contra legem Dei qui tali circumstantia timet, sed & displicet ei iustitia diuina, quæ talibus peccatis talia decreuit suppli- C cia. Cæterùm si quis ea recogitatione pœnarum, inquit Bonauentura, horret offendere Deum, nihil tamen actu contra Dei legem concupiscens etiamsi tantùm adhuc seruiliter timeat, potest id esse absque peccato. Quæstione igitur hoc pacto explicata ad argumenta vtriusque partis respondeamus.

Primùm autem ad ea quæ sunt pro parte negatiore, respondere potest Moysen Exod. 20. loqui de peccato exterorum actionis, quo manifestè lex violatur. Ab huiusmodi enim peccatis terror legis carnalem populum retrahebat, iuxta illud: *Lex* D *manum cohibet, non animam.* Apost. verò, vt suprà dictum est, non aliud velle, quàm timorē seruilem esse donum Dei quatenus timor est, non quatenus seruilis; sicut anima peccatrix Dei creatura est, quatenus anima non quatenus peccatrix. Vnde & timor seruilis hominem ad iustitiam præparat, non in quantum seruilis est, id est, ab amore iustitię separatus, & voluntatem peccandi coniunctam habens, sed in quantum timor pœnæ: cuius consideratione si nondum in totum, saltem ex parte qui seruiliter timet, à peccato reuocatur, cùm minus sit malum sola voluntate peccare, quàm ruptis ti- E moris repagulis in apertam legis præuaricationem erumpere.

Neque aliud sibi vult Augustini exhortatio ad eos qui nondum eò profecerunt vt ament iustitiam; quam vt timentes gehennam & eo timore quæ legis sunt facientes, saltem minus sint mali; atque hoc pacto paulatim ad iustitiam propinquent. Quos quidem verè Christianos esse, licèt nondum Deum & regnū eius vt oportet, diligentes omnino cum Augustino fatendum est.

Ad rationem propositam potest responderi, si nomine gehennæ sola pœna intelligatur, seposita consideratione peccati & separationis à Deo; sicut F eam intelligunt qui seruiliter timent, sic eam non esse summum malum. Si verò sic timetur, quatenus separat à Deo & excludit à regno Dei, quod secundùm apostolum Rom. 14. est iustitia & pax & gaudium in spiritusancto, non est ille timor seruilis, sed filialis procedens ex amore Dei & iustitiæ eius.

Ad canonem quoque Tridentini concilij iam patet responsio. Restringunt enim patres canonem ad eum gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimos

A vel à peccando abstinemus. Quem profectò si nulla preterea viciosa accesserit circumstantia, constat non esse peccatum.

Ad ea porrò quæ sunt pro parte affirmante, poterit in hunc modum responderi. Ad primum quidem, sicut non peccat infidelis timens ignem, aut mortem aut aliquid tale, & ex eo timore aliquid faciens quod secundùm se non sit malum, licèt timor ille non ex amore iusticiæ procedat, sed tantùm ex amore vitæ temporalis: (est enim eiusmodi timor velut informe quiddam, quod accedente noticia & amore vltimi finis formari possit, B quemadmodum de operibus infidelium moraliter bonis dicebamus ad distinctionem 41. lib. 2.) ita nec peccare fidelem, dum metuit gehennam, & hoc metu facit opus legis nulla alioqui circumstantia suum actum siue internum siue externum depravans; licèt non ex amore iusticiæ timor ille & opus inde subsecutum proficiscatur. Procedit enim ex amore quo naturaliter quisque sibi vult bene, & in genere felicitatem appetit. Qui amor velut informis accedente eo amore quo ipsum in particulari summum bonum super omnia diligitur, quodammodo informatur.

Quæ postremò in hanc partem testimonia ex C patribus proferuntur, non aliud conuincunt, quàm eum peccare vel actu vel habitu, qui solo timore pœnæ ab opere peccati abstinet; quia videlicet voluntatem gerit adhuc iusticiæ inimicam & legi Dei contrariam: cum quo nihilominus consistit, vt nec timor ipse, nec opus ex timore profectum peccatum sit, si nulla ipsum, vt diximus, viciet circumstantia.

D *§. 9. Vtrùm timoris donum fuerit in Christo & maneat in beatis.*

S.Tho.2. 2.q.19. ar.11.

AD id quod hac distinctione præcipuè quærit Magister, an donum timoris in Christo fuerit, & post hanc vitam in beatis sit permansurum, iuxta multiplicis timoris distinctionem suprapositam ita distinctè simul & gradatim respondemus.

Primò timor naturalis in Christo fuit, quemadmodum luculentè ostendimus ad distinctionem 15. E huius libri. In beatis autem ab omni malo & mali expectatione iam liberis atque securis, nec est, nec esse potest.

Secundò. Timor mundanus in Christo nec fuit vnquam nec esse potest. In beatis quoque dum beati sũt esse nõ potest. Ratio manifesta quia timor iste viciosus est & carnalis. Quamuis autem vtriq; timori iam dicto commune sit quod neque timor domini, neque donum timoris appellari debeat; mundanus tamen eiusmodi est, vt à timore Domini etiam abducat eique contrarietur, non ita naturalis timor, vtpote indifferens.

F Tertiò. Timor seruilis etsi secundùm substantiam sit Dei donum, vt suprà dictum est, non tamen fuit in Christo, aut esse potuit, sicut nec esse potest in beatis. Ratio est tum ex parte seruilitatis, tum ex parte timoris. Ex parte quidem seruilitatis: quia Christus perfectissimè dilexit iusticiam & odiuit iniquitatem psal. 44. beati quoque in amore iusticiæ perfecti sunt. Vnde seruilitas qua quis opus iusticiæ facit, aliquo modo coactus in illis locum habere non potest. Ex parte timoris autem, quia in Christo semper fuit & in beatis est, semperque futura est certa securitas non peccandi & consequenter non incidendi in pœnas quas Dei iusticia peccatoribus comminatur.

Quartò. Timor initialis neque in Christo, neque in beatis agnosci debet. Ratio est quia quatenus initialis est, includit aliquid imperfectum & coniunctum habet pœnæ timorem, quem iam ostendimus à Christo & beatis esse alienum. Cæterùm tam de seruili timore quàm de initiali intelligendum est illud Ioan. 1. ep 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Vtrique enim timori commune est pœnam habere, tametsi id principalius conueniat timori seruili, cuius obiectum est pœna, quàm initiali, qui vt talis, tantùm annexum habet pœnæ timorem. Et quidem seruilis timor quatenus seruilis simpliciter perit adueniente charitate, quatenus autem est timor, manet quidem sed ita vt quantum crescit charitas, tantum ipse minuatur, quemadmodum docet Augustinus tract. 9. in can. ep. Ioan. Quod & de initiali timore quatenus initialis est, id est, quatenus ratione imperfectionis suæ pœnam habet, similiter est intelligendum, licèt eum secundùm substantiam suam crescere crescenta charitate fateamur.

Quintò & postremò. Timor filialis fuit in Christo & manet in beatis non quidem secundùm eum actum quo metuitur offensa Dei vel separatio à Deo: Securi sunt enim omnes beati se neque peccaturos vnquam, neque à Deo in æternum separandos, sed secundùm actum quemdã reuerentię Dei ortæ ex considaratione iusticiæ & seueritatis eius erga delinquentes. Hanc timoris filialis permanantiam probat illud psal. 18. *Timor Domini sanctus*, vel 70. *castus, permanens in seculum seculi.* Quem locum sic intellexit Augustinus lib. de ciuitate Dei cap. 24. In epistola 120. ad Honoratum, serm. 214. de tempora & in enarratione psal. 18. Tametsi lib. 14. de ciuitate Dei cap. 9. non omnino asserere audeat; an timor castus permaneat secundùm substantiam, an verò tantùm secundùm effectum eo modo quo dictum est: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Hoc enim modo dumtaxat permansurum Dei timorem censet etsi dubitatiuè, Prosper Augustinum secutus libro tertio de vita contemplatiua capite tricesimosecundo. Testatur & Gregorius timorem castum in æternum permanere libro tricesimoquarto moral. cap. 17.

Quod autem Beda in primo capite Prouerb. dicit non modò seruilem timorem sed & filialem desiturum in altera vita; id intelligendum de priori actu filialis timoris: quo nimirum offensa patris timatur, non de posteriori, quo filius patrem reueretur. Iuxta quem sensum etiam Magister Bedam locutum interpretatur.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAMQVINTAM.

§. 1. *Quomodo differant sapientia, scientia & intellectus.*

S.Tho. 1. 2.q.68. ar. 4. & 7. 1.2.q.99. a. 9. & 45.

CVM supradictum sit sapientiam, scientiam & intellectum, vt inter dona spiritussancti numerantur, esse virtutes intellectuales; videndum nunc quomodo hæc tria inter se differant. Nam differre inter se sapientiam, & scientiam, apertè conuincit illud apostoli 1. Cor. 12. *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum.* Quas & diuisiones gratiarum ibidem nominat. Quod autem ab vtraque differat intellectus, satis declarant loca Isa. 11. Prouerb. 1. Ecclesiastici c. 4. & 15. Danielis 1. & Col. 1. in quibus partim sapientiæ, partim scientiæ, intellectus tanquam distinctum quoddam Dei donum annumeratur.

Sapientiam philosophi, teste Augustino libr. 14. de trinit. cap. 1. definiunt rerum diuinarum humanarumque noticiam. Sed hæc acceptio sapientiæ generalis est, comprehendens etiam scientiam & intellectum, atque omnino totum genus intellectualium virtutum; quemadmodum iusticia generalis comprehendit omnes virtutes morales. Strictiori acceptione sapientia significat rerum æternarum seu diuinarum cognitionem, vti tradatur eodem loco Augustinus. Nam & philosophus lib 6. Eth. cap. 7. sapientiam altissimarum causarum noticiam esse definit.

Cæterùm cùm diuinarum rerum noticia interdum cum pia affectione earundem rerum coniuncta sit, vt in bonis; interdum ab ea sit separata, vt in malis eiusmodi noticiam habentibus, quæri potest, vtro modo sapientia accipitur, cùm inter dona spiritussancti numeratur. Etenim priori modo sapientiam sæpenumero accipi in sacris literis, manifestum est, velut cùm dicitur, *Timor Domini initium sapientiæ*, cumque eam negat Sapiens introire in maleuolam animam, & habitare in corpore subdito peccatis Sap. 1. Item cùm dicit Iob 28. *Ecce timor Domini* (vel vt 70. *pietas*) *ipsa est sapientia.* Quam sententiam tractans Augustinus loco supra memorato, testatur sapientiam esse verum ac præcipuum Dei cultum. Accipitur nihilominus interdum & altero modo sapientia, vt videlicet piam illam erga Deum, resque diuinas affectionem non includat. Nam apostolus Romanorum primo, eos qui dicebant se esse sapientes, non negat verè sapientes fuisse, ex eo quod magna quædam de Deo cognouerant: sed in eis reprehendit, quod sibi suæque industriæ, non Deo manifestanti, præclaram illam noticiam attribuerent; Et 1. Corinth. 12. vbi sapientiam à scientia manifestè distinguit, non aliud quàm dona quædam gratis data ad aliorum ædificationem intendit recensere. His accedit, quòd sapientiam, sicut & scientiam & intellectum diximus esse virtutes intellectuales;

A quæ non necessariò rectitudinem affectus habent coniunctam. Vnde quamuis plærique sapientiam, vt inter dona sancti spiritus enumeratur, malint ita specialiter accipere; vt cognitionem recti eum affectione boni coniunctam significet, & Scotus in hanc distinctionem scribēs putet sapientiam esse habitum appetitiuum, eundem numero cum charitate; non tamen id vel certò vel admodum probabiliter docetur: præsertim cùm & Augustinus, vt diximus, sapientiam, vt à scientia distinguitur, generaliter ac nudè definiat

B rerum diuinarum cognitionem. Quibus adde quòd nec scientia, nec intellectus in sua ratione hoc includant, vt affectionem boni circa res cognitas habeant coniunctam: Quare idem de sapientia, vt alijs Dei donis annumeratur, non improbabiliter dici potest.

Scientiæ nomen per se generale est, & variè accipi potest. Sed vt ab Isaia, & apostolo inter spiritus dona annumeratur, rectè ab Augustino vbi suprà definitur; cognitio rerum humanarum. Vbi sub rebus humanis omnia creata

C intellige, quatenus ad diuina, & increata cognoscenda hominem velut manu ducunt. Neque verò, inquit, Augustinus, quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis; vbi plurimum superuacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuendum est: sed illud tantùm quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim sapere tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiscen-

D dam vitam beatam: aliud autem scire, quomodo hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur. Quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur apostolus. Sic ille.

Postremò intellectus à sapientia & scientia distingui probabiliter potest hoc pacto; quòd ad intellectum propriè pertineat intelligere, quòd argumenta corruptæ rationis, dogmata religionis nostræ, quibus in speciem aduersantur, non euertant. Cuiusmodi sunt, quæ contra sacrosanctam trinitatem, eucharistiam, incarnationem verbi, resurrectionem mortuorum, & similia re-

E ligionis capita difficiliora solent ab hæreticis & huius mundi sapientibus obijci.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAMSEXTAM.

F

§. 1. *Utrùm virtutes omnes sint inter se connexæ?*

QVÆSTIO de virtutum connexione tam inter philosophos, quàm Theologos multum agitata, propriè de moralibus virtutibus intelligenda est. S.Tho. 1. 2. q. 65. ar. 1. Non enim dubitatur, quin virtutes merè intellectuales, & à se mutuò, & à moralibus separari queant; sicut & suprà ostendimus, fidem & spem absque charitate subsistere

posse

A posse. Quæritur ergo, an virtutes morales eam habeant inter se cõnexionem, vt vbi vna sit, necesse sit & reliquas esse, & vbi vna desit, nulla sit aliarum. Quæ quæstio non parum difficultatis habet propter varia, quæ in vtramque partem adferri possunt. Nam imprimis virtutum omnium connexionem in charitate probant scripturæ, quæ in charitate cõstituunt legis complementum, vt Rom. 13. Galat. 5. Iacob. 2. vnde & 1. Corinth. 13. charitati omne genus virtutum attribuitur his verbis: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Hinc sanctus Augustinus
B tractat. 87. in Ioan. att. Meritò Magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus, & tractat. 83. vbi charitas est, quid est quod possit deesse, vbi autem non est, quid est, quod possit prodesse. Verùm hæc etsi satis probant charitatem sine reliquis virtutibus esse non posse; non tamen ostendunt reliquas non existere sine charitate, minùs verò earum omnimodam inter se conuincunt connexionem.
C Cuius proinde petenda est aliunde probatio. Sumitur autem ea potissimùm ex authoritate tã sanctorũ ecclesiæ patrum, quàm philosophorum & ex ratione, qua vt ita sentirent, persuasi videntur.

Primùm aperta est Hieronymi sententia in Isa. 56. omnes virtutes ita sibi hærere, vt qui vnica caruerit omnibus careat: & qui vnam habuerit, omnes habeat, & epistola ad Pammachium, eam Stoicorum sententiam probat, & in epistola ad Fabiolam de mansionibus mansione 38. Virtutes, inquit, hærent sibi, & inter se ita nexæ sunt, vt qui vna caruerit, omnibus careat. Quam sententiam ad san-
D ctum Hieronymum scribens sanctus Augustinus epistula 29. ita confirmat, vt confessus eum omnibus philosophis placuisse, etiam ipse ratione & exemplo eandem astruere conetur. Idemque libr. 3. de Trinitate, capit. 4. virtutes, inquit, quæ sunt in animo humano, quamuis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab inuicem. Eadem Ambrosij sententia est libr. 5. in Lucam ad illud capit. 6. *Beati pauperes*, Connexæ sibi sunt, inquit, concatenatæque virtutes; vt qui vnam habet, plures habere videatur. Sanctus Gregorius quoque compluribus locis eam sententiam sibi
E placuisse ostendit. Nam libr. 22. Moral. capit. 1. Sciendum est, inquit, quia quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitijs ex aliqua parte non subiacet. Et paucis interpositis. Et certũ est, quia nec castitas in eius corde vera est, cui humilitas deest; nec humilitas vera cui misericordia iuncta non est; nec misericordia vera, quæ à rectitudine iustitiæ existit aliena, &c. Similia sunt loca libr. 1. Moral. capit. 24. libr. 21. capit. 3 & apud eundem quisquis author in 3. Psal. pœnitentialem, ad illud: *Non est pax ossibus meis*. Sed & Prosper libr. 3. contra Collat. capit. 27. docens virtutes cum vitija habitare non posse, & libr. 3. de vita contemplat. capit. 3. asserens virtutem non habitare in ani-
F mo vitioso; idem cum superioribus de virtutum connexione sentire videtur, & sanctus Bernardus libr. 1. de consideratione ad Eugenium, connexionem hanc vocat suauissimum quemdam conceptum, complexumque virtutum; quo fiat, vt altera pendeat ex altera. Qui & sermone 1. de Annunciatione dicit, virtutes nec esse posse, si ab inuicem separentur.

Quod autem ad philosophos attinet, vt de Aristotele & Cicerone taceamus, quorum ille libr 3. &
A 6. Eth. Hic verò libr. 2. & 3. quæstion. Tuscul. eandem sententiam asserunt, iam paulò antè ex Sanct. Augustini ad Hieronymum epistola, eam omnibus philosophis placuisse ostendimus.

Rationem verò, qua eam probet sanctus Augustinus, tum alibi, tum in epistola memorata, hanc ponit; quia prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intemperans esse potest. Nam si aliquid horum fuerit prudentia non erit. Quare prudentia secum trahit alias. Sic & fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel iniusta. Atque ita de reli-
B quis. Quam probationem etiam videre est apud sanctum Gregorium libr. 2. Moral. capit. 3. & libr. 22. capit. 1.

Addit Sanctus Augustinus & exemplum, quo id declaret de Catilina Romano. Qui etsi omnium incommodorum patientissimus esset: vera tamen fortitudine præditus non fuerit. Nam neque prudens erat illa eius fortitudo. Mala enim pro bonis eligebat; Neque temperans; quia corruptelis fœdissimis fœdabatur. Neque iu-
C sta, eam contra patriam coniurauerat. Et ideo, inquit, nec fortitudo erat. sed duritia sibi, vt stultos falleret, nomen fortitudinis imponebat. Nam si fortitudo esset non vitium sed virtus esset. Si autem virtus esset, à cæteris virtutibus tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinqueretur. Ita sanctus Augustinus, Scholastici verò huiusmodi ratione vtuntur. Si quis, verbi gratia, temperantiam ponatur habere sine fortitudine, & in eo necessitatis articulo constituatur; vt vel moriendum ei sit, vel adulterium committendum: is me-
D tu mortis, cum fortitudine careat, adulterium eliget, & proinde nec temperantiam habere conuincitur. Quod simili modo de alijs virtutibus declarari poterit. Quare connexæ necessariò sunt inter se virtutes.

Porrò quæ nexum virtutum dissoluunt, nec pauciora, nec minùs efficacia videntur argumenta.

Primò enim Apostolus 1. Corinth. 7. cùm de continentia loqueretur, dicit vnumquemque habere proprium donum ex Deo, alium quidem sic, alium verò sic.

E Deinde, Apocal. 2. angelo Ephesi patientiæ virtus tribuitur, qui tamen charitatem primam reliquerat, & 1. Corinth. 13. agnoscitur misericordia & liberalitas in pauperes à charitate seiuncta. Quare si potest aliqua moralis virtus haberi sine charitate, poterit & haberi sine altera morali.

Huic sententiæ suffragatur & Patrum authoritas. Sanctus Hieronymus enim Dial 1. contra Pelagianos capit. 7. negat in vno aliquo homine dum in hoc mortali corpore viuitur, posse esse omnes virtutes. Contrariam verò sententiam, id est, eam quæ virtutes connectit, philosophorum non
F Apostolorum sententiam esse dicit, nec sibi curæ esse quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Et capit. 8. dicit, aut nullum aut rarum esse Episcopum qui omnes habeat virtutes, quas in eo requirit Apostolus Nec tamẽ, inquit si vnum, aut duo desint, iusti carebit vocabulo. Omnia enim habere, virtutis eius est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Idem Hieronymus super capit. 1. epist. ad Eph. in fine: Nunc Deus per partes in singulis est: in alio iustitia, in alio castitas, in alio temperantia in alio sapientia, in alio

fortitudo; & difficile est etiam in sanctis viris, atque perfectis, omnes pariter esse virtutes. Cùm autem in fine rerum adimplebitur omnia in omnibus, vt iuxta id quod Deus est cnoctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur & sint vniuarsi babentes omnia, quæ antè singola singuli possidebant. Et ad Hieronymum scribens Aogustinus epistola 29. post ea quæ suprà pro connexione virtutum citauimus in cootrarium versa disputatione candem sententiam impugnat: Non enim, inquit, ista diuina sententia est, qua dicitur: Qui vnam vitrutem habuerit, omnes habat; eiq; ne nulla inest, cui vna defuerit. Sed hominibus hoc visum est, &c. Et paulò pòst: Vnde pudicitia coniugalis in vitis fœminisq; religiosis, cùm proculdubio vittus sit, non tamen secum habet omnes virtutes. Nam si omnes ibi assent, nullum esset vicium; si nullom vicium, nullum omnino peccatum. Et multis interpositis: Si autem, quod puto esse verius, sacrisqua literis congruentius, ita sunt animæ intentiones vt corporis membra: profectò ita vt quisque illustratione piæ chatitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minùs, in aliquo oihil; sic potest dici babere aliam & aliam oon habere, aliam magis, aliam minùs habera virtutem. Et quæ sequuntur, in quibus asserit, quempiam nondum habere contiuentiam, qui tamen & patientiam habeat & misericotdiam. Idem sanctus Augustinus libr. de patientia capit. 26. in schismatico morienra pro fide Christi laudabilem patientiam agnoscit, quam tamen à charitata seiunctam in tali homine ipse eodem loco affirmat. Et in libr. 2. de peccarorom meritis capit. 19. dicit pro custodia humilitatis omnas iustos à Deo relinqui obnoxios quibusdam vicijs. Ac tursum in libt. da Sanct. Virginirate, capit. 46. & 47. ostendit in alijs alias esse virtutes. Ex quo loco Beda libr. 1. in Cantica da gratia contra Iulianum capit. 6. docer non omnia bona virtutum in omnibus sanctis asse; itaqoe eos magis bumiliari de virtutibus qoas non habent quàm quas habent. Sanctus Gregorius item homil. 13. Euangel. agnoscit aliqoos aastitate præeminentes, qui sa non exercent per bona opera; licèt eos neget Deo placera. Nota est & Prosperi sententia numero septima; Vna excepta chatitata omnes virtutes & bonis & malis esse communes. Lactantius verò libr. 5. diuin. institut. capit. 14. docat, reliquas virtutes, vt fidem, temperantiam, probitatem à iustitia posse secerni.

Præterea tam experientia, quàm ratione videtur hoc idem ostendi; experientia quidem, quia multi castitatem seruant, interim abriosi. Multi etiam iustitiæ virtutem colunt, neminem fraudantes, sed vnicuique qood suum est teddentes; qui tamen liberalitatem in egenos non exercent. Moltos denique certum est, coniugali contineotia præditos esse, qui virginalem non habent. Imò repugnant castiras virginalis, & coniugalis, & vidualis. Ratione verò, quia virtutes sunt habitus: habitus autem vt per operationes proprias acquiruntur, ita pet contrarias amittuntur. Cùm ergo possit quis exercere sa in operationibus vnius habitus & non alterius; itemque facere operationes vni habitui contratias, & non alteri. (Non enim & operationes inter se connexas esse quisquam docet) poterit ergo & habitum moralem voum absque altero acquirere, sicur & amittere.

Deinde planè absurdom, & à tatione vetorum babitoum alicoum esse videtur; vt eodem momento qoo post actus sequentes habitus aliquis acquiritur repente simul oriantur alij multi babitus, quorum actus nolli præcessetint, quemadmodum & illud vt quo momento perit vnus, persant & reliqui. Est & alia tatio. Cùm enim vna virtus non sit tota hominis perfectio, sed partialis tantùm, sicur vnus sensus in corpore animalis, nihil videtur prohibare quò minùs circa obiectum vnius virtutis sit homo bene dispositus, & non circa obiactum alterius, vt circa ea, quæ terrent, non aotem circa aa, quæ delectaot; sicut essa potest circa ea quæ tangontur, & non circa ea quæ videntor. Quare sicut sensus alius sine alio habati potest; ita poterit & virtus.

§. 1. *Quæstionis determinatio cum solutione argumentorum.*

PRo quæstioois explicatione (io qua Scotus à Sanct. Thoma dissentit, connaxionem vittutum simpliciter negaos) distinguendum est inter vittutam perfectam & imperfectam. [S. Thom. ubi sup.] Quæ distioctio non sumitor secuodùm habitum, & dispositionem, aut secondùm intensionem, & remissionam; sed secundùm alium quamdam perfectionis, & imperfectionis modum. Quamuis enim omnis vittus, vt talis, sit quædam animi perfectio, non tamen omnis virtos, perfecta virtus dicenda est. Est autem perfecta sicut & imperfecta duobus modis: Priori modo perfectam eam virtutem vocamus; quæ circa proprium obiectum bene disponit animum habentis in vniuersum ac generaliter, id ast, contra quoscunque impetus ex quaconque passione prooenientes. Imperfectam verò quæ circa proprium obiectum bene disponit animum non vniuarsè; sed tantùm contra impetus earum passioonm, quas ipsa propriè moderatur. Verbi gratia, temperantia tonc perfecta virtus est, quando circa delectabilia animum bene disponit, & firmat; non tantùm contra impetum inordinatæ delectationis, sed & contra eos, qui vel ex auaritia, vel metu mortis insurgera possunt. Nam alioqui imperfecta tantummodo virtua erit, vt in viro vel muliere qui non causa voluptatis, sed spe quæstos, vel metu mortis aut tormentorum stuprum, vel adulterium admittunt. Posteriori modo patfectam virtutem dicimos quæ charitata formata est, imperfactam quæ ea forma caret.

Quibus positis respondetur virtutes peiori modò perfectas, esse connexas in prudentia. imperfectas verò non necessariò connecti. Item posteriori modo perfectas essa connexas io charitate, imperfectas autèm non item.

Prioris probatio est; quia prudentia est ratio omniom agibilium in vniuersum, & non tantùm eorum quæ sunt certi generis; & proinda sicut vnaquæque virtus prudentiam, ita prudentia reliqoas secum trahit.

Poste-

Polierioris autem; quia charitas rectificat vo- A luntatem simpliciter & non tantùm circa certum genus agendorom. Est enim plenitudo legis. Idemque satis probatur per ea quæ docent, vnicam charitatem sufficere ad salutem, non ob aliud, quàm quia ipsa sine alijs bonis ad salutem necessarijs esse non potest.

Portò hæc distinctio perfectæ, & imperfectæ virtutis ad præsentem quæstionem soluendam, non à scholasticis primùm excogitata est, sed à Gregorio manifestè indicata. Nam lib. 22. motal. capite 1. ostendens virtutes quodammodo connexas, quodammodo non esse conneaas, ait: Vnaquæque e- B nim virtus tantò minor est, quantò desunt cæteræ. Et infrà: Vna itaque virtus sine alijs, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Vt enim de quatoor primis virtutibus loquar; prudentia, temperantia, fortitudo atque iusticia, tantò perfectæ sunt singulæ, quantò vicissim sibimet coniunctæ. Disiunctæ autem perfectæ esse nequaqoam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ iusta, temperans & fortia noo est, nec perfecta temperantia, quæ fortis, iusta, & prudens non est &c. Et similiter loquitur idem Gregorius lib. 21, cap. 3. & in psal. 3. pœ- C nitent.

His igitur constitutis non difficile est vtriusque partis sententias conciliare & argomenta soluere. Alia enim de perfectis, alia de imperfectis virtutibus accipienda sunt. Ob quam etiam causam in vtramque partem disputare potiùs, quàm definitum aliquid proferte voluit ad Hieronymom scribens Augustinus.

Quod autem negant interdom patres in vno homine etiam sancto omnes inesse virtotes; quanquam de excellentia virtutum accipi potest (alij enim alijs virtutibus excelluerunt) & sic Hieronymus rem explicat lib. 1. contra Pelag. capite 7. In- D tertoganti enim Critobulo. Et quomodo legimus, qui vnam habuerit, omnes videtur habere virtotes? respondet Atticus, participatione non proprietate. Necesse est enim, vt singuli excellant io quibusdam. Sic ille; potest nihilominus & de virtutibus intelligi; in quantum sunt habitus qoidam, quibos expeditè, & delectabilitet operamor. Nam ad hunc modum noo sunt omnes virtutes in ijs, qui charitatem habent, sed saltem secundùm præparationem voluntatis ad ipsa virtutum opera loco, & tempore exequenda: ita vt in charitate tanquam in radice omnes existere dicantur, iuxta illod Gregorij hom. E 27. in euang. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Hoc autem sufficere ad rationem virtutis Christianæ, quæ in charitate radicaliter existens cum alijs connexionem habeat, ostendimos ad distinctionem 27. lib. 2. Atque boc sensu nihil absurdi est, vt qui charitatem accipit, omnes simul virtutes accipere dicatur: & contrà, qui charitatem amittit, omnes simul amittere. Nam à charitate tanqoam forma perfectionem suam omnes simul accipiunt; qua recedente, eandem omnes simul amittũt, F etiamsi habitus operatorios, qui tantùm imperfectæ virtutis rationem tum retineot, remanere contingat.

Ad id quod obiicitur de castitate virginali, respondendum est, in eo qot castitatem virginalem non habet, sed coniugalem tantùm; existere posse temperantiæ virtutem etiam perfectā vtroque perfectionis modo; ac proinde connexas in eo esse virtutes morales; non quidem secundùm singulas species, quòd non oportet in his qoæ non sont ad salu- A tem necessariæ, cuiusmodi est castitas virginalis, sed secundùm earom genera, quæ sunt quatuor virtutes cardinales.

---

§. 3. *An virtutes omnes in eodem sint æquales.*

Virtutes in diuersis hominibus æqoales non esse, siue illæ sint eiusdem generis, siue diuer- B sorom, per se manifestum est. Cùm enim nec prudentia, nec charitas in omnibus bonis sit æquè magna, nihil mirum est, & alias virtotes in ijs inæquales reperiri: vt verbi gratia fortitudinem cum fortitudine, vel fortitudinem cum temperantia comparaeam. Sed vtrùm in eodem sint omoes æquales, quæstionem habet. S.Tho. 2. q. 6. ar. 2.

Cuius neganti parti non parum, & ratio fauet & experieotia. Ratio quidem; qoia virtus vt acquiritur, ita augetur, atque intenditur actuum frequentia. Contingit autem sæpenomero frequentati à quopiam actus vnius virtotis, magis quàm C alterius. Quare consentaneum est eam virtutem magis qoàm aliam aogeri atque intendi.

Experientia verò; qoia videmos plærosque promptiùs, & delectabiliùs exercere actum vnius virtutis, quàm alterius. Quod est argumentum habitus intensioris.

Scriptorá quoqoe & historiæ alios præ alijs à certis virtotibus commendant; vt Abrabam, & Petrum à fide, Ioseph & Ioanoem à castitate, Iob & Tobiam à patientia, Moysen & Dauidem à mansuetudine. Sic in martyribus fortitudo, in virgini- D bus pudicitia, in alijs aliæ virtutes excelluerunt: vt etiam de quolibet confessore meritò canat ecclesia: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi:* nimirum, vt S. Thomas ait, propter virtutis alicoios excellentioris prærogatiuam, quam vnusquisq; habuit præ alio. Vnde Augustinus in epistola 29. ad Hieronymom, putat esse verius sacrisque literis cõgruentius: vt sicut quisqoe illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minùs: sic aliam magis, aliam minùs, habeat virtutem, veluti maiorem pudicitiam, quàm patientiam.

Verũ idẽ Aogustioos diuersum sentire videtur Nam libro 6. de trinit. cap. 4. connexioni virtutum, E etiam æqoalitatem adiungit: ita vt qoicunqne fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æqoales sint & prudentia, & temperantia, & iusticia, si enim, inquit, dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prodentia; sequitur vt huios fortitudo minùs prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sont, quando est illius fortitudo prudentior. Atqoe ita de cæteris virtutibus.

Quam sententiam confirmant & hæc Gregorij verba hom. vlt. super Ezech. ad illud: *Et mensus est atrium.* Fidem, spem, charitatem, atqoe operationẽ, F quamdiu in hac vita viuimus, æquales sibi esse apud nosmetipsos inuenimus. Nam nunc & quantum credimus, tantom amamus, & quantum amamus, tantom de spe præsomimus. Et paulò pòst; Cùm ergo virtus, tempos, & locus operandi suppetit, tantò quis operatur, quantò Deum nouerat. Et infrà. Vnusquisq; qui in hoc vitæ exercitio versatur, tantum credit, quantum sperat & amat: & tantum operatur, quãtũ credit, amat & sperat. Verbis portò subsequẽtibus idẽ de qoatuor principalibus affectu: quas ita in quadro positas esse vult, vt vna aliã non

excedat. De quibus post multa sic concludit. Mensuretur ergo perfectorum fidelium vita per quadratum, & tantùm habeat spiritalis atrij latus vnum, quantum latera singula: quia vnusquisque tantum prudens est, quantum temperans; & iustus tantum, quantum prudens, temperans, & fortis fuerit. Hæc ille.

Quę cùm ita variè à patribus dicta sint, hîc rursum distinctione opus est perfectæ, & imperfectæ virtutis. Nam virtutes perfectæ, sicut connexæ sunt in radice prudētiæ, vel charitatis; ita in eadem omnes inueniuntur æquales. Quanta enim est prudentia, tantæ sunt reliquæ philosophicæ virtutes: Et quanta est charitas, tantæ sunt & reliquæ Christianæ: Et quantum vtralibet crescit, tantùm crescunt & reliquæ. Non quòd vna virtus secundùm speciem suam & proprij obiecti rationem non sit dignior & præstantior alia; sed quia in radice prudentiæ, vel charitatis omnes secundùm proportionem sunt inter se æquales: quatenus proportione quadam iuxta incrementum prudentiæ, vel charitatis simul augentur: sicut digitos eiusdem manus quantitate quidem inęquales, proportione verò æquales atque æqualiter crescere dicimus. Hinc Augustinus libro de bono coniugali capite 21. sanctos patriarchas etiam secundùm eas virtutes, quas in opere non habuerunt, sed in habitu solo: non dubitauit comparare cum ijs qui eas opere exercuerunt.

Quæ verò in contrarium producta sunt argumenta, conuincunt virtutes in eodem inæquales esse, non secundùm id, quod in eis formale est: id est secundùm rationem prudentiæ vel charitatis: sed secundùm id quod in eis vt materiale consideratur: id est secundùm inchoationem, quam quis habet ad actum virtutis. Constat enim, homines vel natura; vel assuetudine, vel aliquo infuso gratiæ dono magis inclinari ad actum vnius virtutis quàm alterius.

---

§. 4. Quòd vicia nec connexa sint inter se, nec paria.

S.Tho. 1. 2.q. 37. ar.1. & 2.

NOn eadem est ratio virtutum, & viciorum; neque quoad connexionem, neque quoad æqualitatem. Nam vt de connexione primùm loquamur, in vicijs contrarietas inuenitur, quæ nulla est in virtutibus. Vnde non potest vnum aliquid statui, in quo connectantur sibi inuicem omnia vicia: sicut in vno aliquo connectuntur omnes virtutes. Quamuis enim omnia vicia, & peccata in eo conueniant: quòd per ea receditur à regula rectæ rationis & mens auertitur ab amore summi boni; non tamen per ea accessio fit & conuersio ad vnum aliquod bonum creatum, sed ad diuersa nullam inter se connexionem habentia, imò interdum etiam contraria. Rectè igitur Augustinus data connexione virtutum, negat esse consequens; vt & vicia inter se connectantur, ita inquiens, epistola 29. ad Hieronymum: Quapropter dum quæritur etiam de vicijs, vtrùm ipsa similiter omnia sint, vbi vnum erit, aut nulla sint, vbi vnum non erit: laboriosum est id ostendere, propterea quia vni virtuti duo vicia opponi solent, & quod apertè contrariū est, & quod specie similitudinis adumbratur. Et paulò pòst: Verumtamen quia sunt audaces, qui timidi non sunt; & rursum timidi, quibus abest audacia, cùm sit vtrumque vicium, cogimur fateri vicia plura esse virtutibus. Vnde aliquando vicium vicio tollitur, vt amore laudis, amor pecuniæ: aliquando vnum cedit vt plura succedant: velut qui ebriosus fuerit, si modicum biberit, & tenacitatē, & ambitionem didicerit. Possunt itaque vicia etiā cedere vicijs succedentibus, non virtutibus, & ideo plura sunt. Virtus verò quò vna ingressa fuerit, quoniam secum cæteras ducit, profectò vicia cedent omnia quæcunque inerant. Non enim omnia inerant, sed aliquando totidem, aliquando plura paucioribus, vel pauciora pluribus succedebant. Hæc Augustinus. Qui etiam libro 4. contra Donatistas capite 20. ita simpliciter pronunciat. Neque enim vnum aliquod vicium omnia cætera consequuntur.

Iam quod ad æqualitatem attinet, neque hac in parte similiter de virtutibus & vicijs sentiendum est. Cùm enim possit viciorum æqualitas dupliciter intelligi; vel vt omnia vicia, atque peccata in quibuscunque sint, paris grauitatis, ac meriti esse censeantur. Quæ olim Stoicorum sententia fuit, à Cicerone expressa paradoxo 3. vel vt in eodem homine quæcunque vicia reperiuntur, sint omnia paris meriti, ac maliciæ. Priori sanè modo, nec virtutes inter se æquales esse, suprà diximus. Quo etiam dato, non tamen idem de vicijs esset consequens; quia vt ait Augustinus in epistola supracitata, vbi virtus nulla est, nihil quidem rectum est. Nec tamen ideo non prauo prauius est, distortoque distortius. Potest enim à recto plus minusue recedi, sicut in locis, ita in actionibus.

Vnde illa Stoicorum sententia de peccatorum paritate iam olim in Iouiniano hæretico fuit à Catholicis condemnata, vt patet ex Hieronymi libro contra illum edito: itemque ex Augustino, tum in epistola ad Hieronymum, tum alibi vt in libro de hæresibus, & in libro contra mendacium capite 15. Tradebāt quidem Stoici etiam virtutum paritatem, vt patet ex paradoxis Ciceronis, & Augustino ad Hieronymum, sed eam sententiam, quoniam in parte vera est, nempe de virtutibus, quę sunt in eodem, non ita legimus à patribus oppugnatam.

Hoc igitur posteriori modo etsi pares sunt virtutes: non tamen & vicia paria esse oportet. Nam virtutum paritas oritur ex earum connexione, vt superiori capite ostensum est. Quæ cùm locum non habeat in vicijs, vt iam ostendimus; patet nec paritatem in ijs simili modo agnoscendam esse. Imparitas autem viciorum & peccatorum, siue in eodem homine siue in diuersis variè æstimatur: velut ex obiecto, propensione maiore vel minore, causa, persona, loco, tempore, modo alijsque circumstantijs.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAMSEPTIMAM.

§. 1. *In duobus præceptis charitatis cætera omnia contineri.*

S.Tho.1.2.q.99.ar.1.q.100.ar.3.ad1.2.2.q.44.

CHristus Matth. 22. posteaquam duo præcipua legis mandata proposuisset; alterum de Deo, alterum de proximo diligendo, subiecit: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ*. Quod exponens Augustinus libro de perfect. iust. cap. 5. Multa sunt, inquit, in scripturis sanctis diuina præcepta quæ omnia commemorare nimis operosum est. Sed Dominus, qui verbum consummans & breuians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem, prophetásque pendere: vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referenda. Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere; ad hoc prohibemur, & iubemur, vt duo ista compleamus. Et ench. cap. penult. omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem de qua dicit apostulus: *Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel intentione aliqua carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritussanctus in cordibus nostris: nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est, & proximi. Et vtique in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Adde euangelium adde & apostolus. Deinde concludit: Quæcunque ergo mandat Deus, & quæcunque non iubentur, sed spiritali consilio mouentur: tunc rectè fiunt cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc sæculo & in futuro. Videre est & alia apud Augustinum loca, quibus eam Domini sententiam similiter ferè declarat, vt lib. 1. de doct. Christ. capite 35. & 36. epistula 52. lib. 1. quæst. euang. q. 33. lib. 19. de ciuit. capite 14. Et postremò in tract. de laudibus charitatis. Cuius loci verba sunt apud Magistrum in fine superioris distinctionis. Porrò Cyprianus ad eandem sententiam respiciens in serm. de orat. Dominica sic ait: Nam cùm Dei sermo Dominus noster. Iesus Christus omnibus veniret; & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ederet: præceptorum suorum fecit grande compendium: vt in disciplina cælesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret &c.

Ex his ergo intelligitur dupliciratione dictũ, à præceptis charitatis cætera omnia pendere. Vno modo; quia per charitatem omnia implentur, iuxta illud apostuli: *Plenitudo legis est dilectio*, Et; *Qui diligit proximum, legem impleuit*. Altero quia omnia quodammodo in his duobus continentur, vt iuxta hunc posteriorem modum, quem propriè Dominus spectasse videtur, hæc sit sententiæ sensus: Omnia præcepta diuina, siue ad mores & iudicia, siue etiam ad ceremonias pertinent, omnisque prophetarum doctrina, & sacrorum librorum historia, imò & cõsilia euangelica, & præcepta apostolica, & quæcunque alia rectè ab hominibus constituuntur: ita continentur his duobus dilectionis mandatis, vt vel ab eis dependeant, atque ex ijs eliciantur; vel ad eorum obseruationem referantur, adeò vt secundùm regulam huius geminæ dilectionis cætera omnia sint æstimanda, quoad necessitatem, siue vtilitatem maiorem vel minorem, ita vt interdum iuxta eiusdem regulæ exigentiam etiam omitti, mutari, abrogari vel dispensari debeant.

Notandum est autem id quod Dominus Mat. 22. dicit de duobus mandatis; posse, vel de ijs simul sumptis intelligi: quia nimirum in priore mandato comprehenduntur quæcunque erga Deum, in posteriori verò quæcunque erga proximum, & consequenter erga nosipsos rectè nos ordinant, atque instituunt: vel de vtrolibet seorsim sumpto, propterea quòd alterius præcepti obseruatio absque altero esse nequit. Nemo enim Deum, vt oportet, diligit, nisi mandatis eius obtemperet: quorum vnum est vt proximus diligatur. Nemo etiam proximum sicut diligendus est, id est propter Deum diligere potest; nisi Deum diligat tanquam finem, quò proximi dilectionem referat. Quam geminæ charitatis connexionem aliquot sententijs indicauit Ioannes 1. epist. 4.

Quòd autem non modò in priore, sed & in posteriore mandato dilectionis; omnia cętera pendeant, aperta est scripturæ authoritas. Christus enim Matth. 7. cùm dixisset: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines*, &c. (quibus verbis dilectionis proximi mandatum explicatur) subiecit: *Hæc est enim lex & prophetæ*. Et Paulus Rom. 13 omnia mandata dicit restaurari seu recapitulari, & summatim comprehendi in hoc verbo: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: eandemque proximi dilectionem legis plenitudinem, id est complementum esse testatur. Quod & repetit Gal 5. Nota quoque est ex Hieronymo in catalogo sententia Ioannis apostoli; qui cùm præ senectute longos sermones ad fratres facere non posset, illum vnum identidem inculcabat: *Filioli diligite alterutrum*. Interrogatus autem cur hoc solum in conuentu loqueretur, responsum dedit apostolo dignum. *Quia si solum fiat, sufficit*: Quod non aliud est quàm cætera omnia præcepta in eo contineri. Porrò Augustinus scribens in cap. 5. epistolæ ad Gal. rationem reddit, quare tum in epistola ad Rom. tum ad Gal apostulus cõsummationem legis in proximi dilectione constituerit, tacita dilectione Dei: cùm vtrumque præceptum ita sit, vt neutrum sine altero possit teneri. Ea ratio est: quia, inquit, in dilectione Dei possunt mentiri homines, eò quòd rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi faciliùs conuincuntur, quòd eam non habeant: dum iniqua cum hominibus agunt. Similis est locus in epistola 52.

§. 2. *Totam legem naturæ decalogo contineri.*

S.Tho. 1. 2. q. 100. ar. 11.

CVm lex naturæ pene in animis hominum obliterata esset per peccatū & peccati cōsuetudinem; voluit Deus populo quem sibi peculiarem de cunctis nationibus elegerat, scriptam dare legem, B qua certiùs instrueretur de his, quæ vel agere, vel omittere deberet. Vnde Iudaico populo peculiariter legis ac voluntatis diuinæ, etiam eius quæ cum naturali lege coincidit, cognitio tribuitur psal. 147. & Rom. 2. Quod enim de naturali lege loquatur apostolus, manifestum est; quia Iudæum ea lege scire dicit, non esse furandum, moechandum, sacrilegium faciendum. Quæ quidem sunt legis naturæ. Et Rom. 7. Peccatum non cognosci nisi per legem, & sine lege mortuum esse affirmat: Cùm tamen nunquam sit homo sine lege naturali.

Oportuit igitur totam naturæ legem contineri C decalogo, qui ad hoc dabatur: vt lex naturæ propemodum deleta in animis hominum reformaretur, & quodammodo resculperetur, atque vt eo, velut breui compendio, quicquid alibi ad legem naturæ pertinens præceptum, aut præcipiendum esset, cōprehenderetur. Vnde Augustinus q. 140 in Exod. Cùm tam multa, inquit, locutus sit Deus, duæ tantùm tabulę dantur Moysi lapideæ; Nimirum omnia cætera, quæ præcepit Deus ex illis decē præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur; si diligenter quærantur & bene intelligantur: quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex D duobus illis, dilectione scilicet Dei, & proximi in quibus tota lex pendet & prophetæ. Idem initio enarrationis in psal. 57. sic ait: Manu formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est; vt esset vnde iudicarentur, & quibus lex non esset data; sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est, & in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere E nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua compulsus est homo, dicente scriptura: *In cogitationibus impij interrogatio erit*. Vbi interrogatio, ibi lex; Sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex: non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui &c. Ambrosius quoq; epist. 71. ad Irenæum: Quia, inquit per inobedientiam prærogatiua naturalis legis corrupta, atque interdicta est; ideo scriptum legis æstimatum est necessarium. & quæ sequuntur. F

Quod autem lex naturę peccato fuerit obscurata, ac propè deleta de cordibus hominum vt propterea scripta lege opus esset, ostendunt scripturæ, quæ insipientiam, & ignorantiam agendorum tribuunt humano generi, Psal. 13. Rom. 3. Tit. 3. Docent & patres compluribus locis, quorum quędam hic annotasse sufficiat. Augustinus libro 14. de trinit. capite 15 ench. 26. & 27. libro de spiritu & lit. capite 27. & libro 1. confess. capite 18. Hieronymus libro 2. aduersus Iouinianum. Prosper contra Col- A lat. capite 21. & resp. 6. ad capit. Gall. & Cyrillus libro 2. in Ioan. capite 55. ad illud: *Omnis qui male agit odit lucem*. Quibus adde modò citatum Ambrosij locum, & quædam à nobis dicta ad distinctionem 23. & 24. libri 2.

§. 2. *Christianos teneri decalogo sub legislatore Christo.*

B

S.Tho. 1. 2. q. 100. & 108. ar. 3. p. q. 22. ar. 1. ad 3.

QVamuis Christiani non teneantur lege Mosaica quatenus eiusmodi, id est quatenus per Moysen lata est; eò quòd Moysi legislatio tantùm pertinuerit ad populum Israeliticum, idque vsque ad Christi aduentum & euangelij prædicationem duntaxat, in qua tota Mosaica constitutio finem accepit; tenentur tamen absolutè lege decalogi duplici ratione. Primùm quia decalogus non aliud est quàm explicatio legis naturæ, vt iam ostendimus. Atque hac ratione non soli Christiani, sed omnes homines lege decalogi tenentur. Est enim lex C naturæ toti humano generi communis, neque ad hoc, vt quempiam obliget, externa promulgatione indiget, sed sufficit eam cordibus singulorum inscriptam esse. Deinde quia legem decalogi Christus in euangelio confirmauit, & ad vitam consequendam necessariā esse docuit, atque adeo legem suam esse voluit; vt meritò Christus propterea legislator quoque dicendus sit, & non tantùm redemptor ac mediator noster. Vnde patres concilij Tridentini sess. 6. can. 21. anathema in eos pronunciant, qui dicunt Christum à Deo hominibus da- D tum vt redemptorem cui fidant; non etiam vt legislatorem cui obediant. Hac autem ratione decalogus non omnes omnino homines obligat, sed eos solos, ad quos legis Christi notitia peruenit.

Porrò loca scripturæ quæ Christo potestatem legislatiuam tribuunt plurima sunt, in vtroque instrumento, sed hæc præcipua. Isa. 2. & Mich. 4. *De Siō exibit lex*. Isa. 42. *legem eius insulæ expectabunt*. psal. 83. *Benedictionem dabit legislator*. Item Christus Matth. 5. vt legislator dicit & subinde repetit: E *Ego autem dico vobis* &c. Et ad finem totius sermonis in monte habiti, subiicit de eo euangelista; quod erat docens, sicut potestatem habens & non sicut scribæ & Pharisæi. Alibi quoque Christus mandatum suum inculcat vt apud Ioannem cùm ait: *Hæc mando vobis. Hoc est præceptum meum. Si feceritis quæ præcipio vobis*, Et eiusmodi, quale est & illud Matth. vlt. *docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*

His adde quod Christo tanquam legislatori Deus pater obtemperari iubet, dicens: *Hic est filius meus. Hunc audite.* Et Moyses Deut. 18. F *Prophetam*, inquit, *de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus, ipsum audies; qui autem verba eius audire noluerit, ego vltor existam ait Dominus*. Repetit hoc Petrus Act. 3. & Stephanus Act. 7. Vnde patet Christum non minùs propriè legislatorem esse, quàm Moysen, vtpote cuius præceptorum transgressio mereatur vltionem non tantùm vt legi naturæ contraria, sed etiam vt Christi præceptis aduersa, sicut & de lege Moysi dicitur Hebræorum 2. & 10. quatenus ille in ea promulganda Dei fuit minister. Hinc non dubitauit

apostolus.

epostulus ea, quæ Christus agenda tradidit legem Christi appellare 1. Corint. 9. & Gal. 6. & Domini mandata 1. Cor. 7. & 14. Rursum manifestè conuincitur id ex eo, quod passim in scriptura sacra, Christus non tantùm vocatur doctor, & medicus, & redemptor; sed etiam rex, princeps, dominus, magister, præceptor & pater noster. Quibus omnibus comperit potestas præcipiendi sub pœna inobedientiæ. Et sanè perabsurdum foret, à Christo remoueri potestatem legislatiuam, aut eius vsum, cùm vtrunque manifestè competat corpori eius ecclesiæ, cuius ipse est caput, de qua dixit. *Si ecclesiam non audierit, &c.* Quam quidem iubendi potestatem

B potestati iudicandi coniunxit, & vtramque Christo tribuit Gregorius lib. 22. moral cap. 13. tractans illud: *Et librum scribat ipse, qui iudicat*, ita inquiens: Dominus ad redemptionem nostram veniens, nouum nobis testamentum condidit, sed da eiusdem nos testamenti mandato discutiens quandoque etiam iudex venit; atque ita librum scribit ipse qui iudicat. Ipsa enim per se veritas dicit: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Erit ergo tunc author iudicij, qui nunc est conditor libri, vt tunc districtus exigat quod modò mansuetus iubet, &c.

C Pater igitur Christianos eundem habere & legislatorem cui obediant; & redemptorem, atque adiutorem, cui fidant; & iudicem à quo pro meritis præmia, vel supplicia expectent. Quòd autem idem Christus Dominus decalogi obseruationem à suis exigat, manifestum ex eo, quod interroganti cuidam: *Quid boni faciam vt habeam vitam æternam*, respondit: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, ac deinceps aliquot decalogi mandata recensuit, Math. 19. & initio ferè suæ prædicationis Matth. 5. protestatur dicens: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas, non veni soluere, sed adimplere.* Adimplet autem non tan-

D tùm subministrando spiritum gratiæ, per quam lex à nobis impleatur; sed & supplendo quædam, quæ in lege veteri minùs erant expressa, vt patet ex eodem loco.

Paulus quoque Rom. 13. & Iacobus 2. totius decalogi obseruationem à nobis requirunt, neutiquam contenti sola fide absque operibus. Et vt alia loca propè innumera prætereamus, illustris

E est illa apostoli sententia 1 Cor. 7. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Rectissimè proinde ab Augustino velut ore totius ecclesiæ dictum est q. 172. in Exod. Præcepta decalogi, excepto sabbatho, in nouo testamento obseruanda non dubitamus. Excipit sabbatum quia ceremoniale fuit. Quod tamen ipsum qua parte morale, nos etiamnum obligat, & ab ecclesia seruatur, commutatum in diem dominicum.

Denique Ecclesia omni tempore fidelibus decalogi præcepta proponens, eorumque ob-

F seruationem tanquam ad salutem necessariam ab eis exigens; vel solo hoc facto satis magnum huic doctrinę testimonium perhibet. Cui tamen propter huius nouissimi temporis hæreses accessit concilij Tridentini authoritas sess. 6. can. 9. vbi damnantur docentes in euangelio nihil præceptum præter fidem; cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, nemque decem præcepta nihil pertinere ad Christianos. Et can. 20. conformiter cum cap. 11. vbi damnantur qui hominem iustificatum, & quan-

A tumlibet perfectum dicunt non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & ecclesiæ, quasi euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum. Cui errori similis quidam damnatus fuit in concilio Viennensi.

Ex quibus patet & eos hac tempestate grauiter errare, qui asserunt, præcepta Dei etiam sub gratia viuentibus magis proposita esse, vt omnes mortis æternæ reos esse ostendant, quàm vt ab eis præstentur.

---

§. 3. *Præcepta legis dilectione Dei, atque iustitiæ, impleri.*

Legi diuinæ obtemperandum esse non solo timore pœnæ, sed amore iustitiæ ostendunt partim, quæ de timore seruili dicta sunt ad distinctionem 34. vbi quærebatur; an peccet is, qui solo timore pœnæ à peccatis abstinet: partim quæ ad hanc distinctionem diximus, ostendentes quomodo in præceptis charitatis cætera contineantur. Ex ijs enim manifestum est dilectione legem impleri, dicente scriptura: *Plenitudo legis est dilectio* Roman. 13. Imò & sine aliqua iustitiæ dilectione, seu recti officij amore, nullum legis præceptum impleri; quia vt verissimè dictum est ab Augustino lib. 1. confess. cap. 12. Nemò inuitus bene facit, etsi bonum est, quod facit. *S. Tho. 1. 2. quæst. 100. a. 9. & 10.*

Vnde idem Augustinus de mandati impletione loquens lib. de spiritu & lit. cap. 14. Mandatum Dei, inquit, si fit timore pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit, non liberaliter & ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Et lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. Quicunque terrenorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta seruant; non seruant, sed sibi seruare videntur. Neque enim fides in eis per dilectionem operatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis; Sic autem præcepta qui facit, procul dubio inuitus, ac per hoc in animo non facit. Mauult enim omnino non facere, &c. Et lib. de gratia Christi cap. 26. Quid boni faceremus, nisi diligeremus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur. Alia loca sunt de spiritu & lit. cap. 32. conc. 2. in psal. 32. serm. 19. de verbis apostoli, & tract. 9. in epistola Ioan. Neque tantùm amore iustitiæ, sed & Dei dilectione, atque ad hoc vt Deo placeatur, opera legis facienda sunt; non ita quidem, vt quotiescunque non eo pacto fiunt, peccetur: sed quia eò tendere, & conari debet Christianus, vt omnia sua in Deum referat, iuxta generalia præcepta 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* & Col. 3. *Omnia in nomine Christi facite.*

Vnde nec censetur propriè implere præceptum aliquod, qui non illud hoc modo facit, dicente Domino Ioan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Hunc legis implendę modum præscribere videtur Dominus Deut. 6. vbi legem dilectionis Dei ex toto corde, &c. vult in omni actione nobis propositam esse, ad me-

 ditan-

ditandum in ea. Qua de re scribens Augustinus libro 1. de doctrina Christiana cap. 22. ita intelligit dictum esse: *Diliges Deum ex toto corde*, &c. vt omnes cogitationes suas, & omnem vitam & omnem intellectum homo conferat in illum, à quo habet ea ipsa, quæ confert, ac deinde subiungit: Cùm autem ait, *Toto corde, tota anima, & tota mente*, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quę vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui; sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo proximum diligit, hoc eum eo debet agere; vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum, sic enim diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extrà patitur, cuius deriuatione minuatur. Hæc ille. Similis apud eum locus est ench. 121. Pertinent quoque huc quæ idem author disputat lib. 10 de ciuit Dei cap. 25. & contra Iulianum lib. 4. cap. 3.

Sed hoc loco notandum est, non hæc ita præcipi, quasi vel omnis omnino homo, vel is saltem, qui Dei cognitionem iam acceperit, hoc agere, atque eò niti debeat vt in omnibus semper expressam de Deo cogitationem gerat. Nam ex ipso dilectionis præcepto tenetur homo quandoque ab ea expressa cogitatione abstinere; vt mirò quodam modo ex Dei amore Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab actuali amore cessat. Quomodo ex iudicio rectę rationis debet homo aliquando somnum capere, & ab vsu rationis cessare, atque ita rectè agit, dum nihil agit. Sic enim & martyr, dum ex totis viribus Deum diligit, ipsas inferioris naturæ vires, & vitam, propter Deum amittit; vt hac ratione iuxta apostoli admonitionem Rom. 14. Deo non solùm viuat, sed & moriatur. Ad hunc ergo modum Deo seruit Christianos, dum non tantùm opera sua, sed & operum vacationes, atque quietem, & quicquid non per se malum ab homine, vel agendo, vel omittendo fieri potest, refert ad gloriam Dei, vel actu, vel habitu. Hoc enim apostoli vult illa generalis exhortatio 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

§. 4. *Quomodo decem præcepta fuerint in duabus tabulis digesta.*

S. Tho. 1. 2. q. 100. ar. 4.

DE numero præceptorum decalogi eorumque ordine inter se, satis inter scriptores conuenit ex authoritate scripturæ. Nam Exod. 34. & Deut 4. & 10. vocantur decem verba fœderis. Vnde decalogi nomen sumptum. Eademq; Exod. 20. & Deut. 5. certo atque eodem ordine enumerantur.

Cæterùm non perinde liquet, quo pacto decem illa verba fuerint in duas tabulas distributa; cùm id scriptura non explicet, & soper hac re diuersi diuersa senserint. Philo Iudæus in explicatione decalogi, & Iosephus lib. 3. ant. cap. 4. & post eos Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum, Origenes homil. 8. in Exod. Procopius Gazæus in 20. cap. Exod. singulis tabulis quinque præcepta inscribunt; sed

A ita, vt primum primæ tabulæ præceptum faciant; *Non habebis Deos alienos*; secundum, *Non facies tibi sculptile*; tertium de iuramento; quartum de sabbatho; quintum de honorandis parentibus. Reliqua verò suo ordine inscribunt alteri tabulæ: sic vt de non concupiscendo præceptum vnicum statuant; tametsi nonnihil ab alijs discordet Clemens, vt apud eum videre est. Nonnulli vt Hieronymus ad 10. cap. Osee, & Hesychius in Leuit. 26 tria tantùm præcepta collocant in prima tabula; sed ita vt primum

B sit, *Ego sum Dominus Deus tuus*; secundum, *Non habebis Deos alienos*; tertium, *Non facies tibi sculptile*. Itaque reliqua omnia in posteriorem tabulam reijciunt, expuncto sabbathi præcepto, tanquam ad Christianos non pertinente. Alij prioris tabulæ quatuor præcepta statuunt, posterioris septem vt ferè Græci, eatenus Clementis & Origenis, ac Iudæorum Philonis & Iosephi sententiam secuti, quòd duo distincta pręcepta faciant; alterum de dijs alienis; alterum de sculptili. Qua in sententia etiam est author

C operis imperfecti in Matth. apud Chrysostomum hom. 49. & author quæst. veteris & noui testamenti q. 7. inter opera Augustini.

Verùm maximè omnium probabilis est ea distinctio, quam multis locis tradidit Augustinus, & quotquot ferè post eum scripserunt; nempe vt in prima tabula inscripta fuerint tria præcepta ad Deum pertinentia, quorum primum etiam sculptilium prohibitionem complectatur; in altera vero septem ad proximum, ita vt duo sint de non concupiscendo distincta præcepta. Eam distinctionem habet Augustinus quæst. 71. super

D Exod. conc. 1. in psal. 32. tract. de decem chordis cap. 5. & 6. epistola 119. ad Ianuarium cap. 11. lib. 15. contra Faustum cap. 4. fragmento 2. cap. 11. & ser. 95. de tempore.

Rationem autem, & conuenientiam huius distinctionis, ex eo sumere licet, quòd tria præcepta primæ tabulæ, trinitatem diuinam nobis insinuent. Nam in Deo patre primo apparet vnitas quæ primo præcepto commendatur, dum multitudo deorum reijcitur. Filius autem veritas est, quam nobis commendat secundum præceptum, prohibens iuramenti falsitatem.

E Porrò spiritus sanctus sanctificatio est, & requies rationalis creaturę, quam pręcepit tertium præceptum. Hęc ferè Augustinus in dicta epistola ad Ianuarium & q. 71. super Exod. Item S. Thomas 1 2. q. 100. a. 4.

§. 5. *Explicatio illius exordij: Ego sum Dominus Deus tuus.*

PRimum decalogi præceptum duas partes habet, priorem; *Non habebis Deos alienos coram me*, posteriorem, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c. Non adorabis ea neque coles*. Nam quod præmittitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* non est præceptum est vnum ex decem, neque pars pręcepti, vt quidam opinati fuerunt, sed exordium totius decalogi; quo nobis insinuatur magnum legis mandatum, quod reliqua omnia complectitur. Cùm enim dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus*, admonetur homo eius cultus, & amoris, quem vni vero Deo debet; vt videlicet

S. Tho. 1. 2. q. 100. ar. 4. 2. 2. q. 22.

F

et at-

A ei atque in eum credat, eum timeat, in eum speret, eum diligat eique obediat tanquam supremo suo ac totius vniuersi domino. Quod quidem præceptum in Deuteronomio potissimùm inculcatur, partim in eo, quod ibi frequenter homini dicitur, vt Deum diligat, eique seruiat; partim in illo dilectionis Dei præcepto, quod Deut. 6. traditur & in euangelio repetitur, atque à Domino tanquam maximum & primum legis mandatum commendatur. Est autem hoc generale præceptum, ratio, & causa omnium decem quæ sigillatim traduntur decalogo. Nam & statim post primum repetitur Exod. 20. & Deut. 5. B tanquam ratio proximi. Et in Leuit. cap. 20. 21. & 22. ferè cuilibet præcepto pro ratione adijcitur hæc vel huiusmodi clausula, *Ego Dominus.*

Peccant autem contra generale hoc mandatum primùm infideles omnes; siue sint athei, qui dicunt in corde suo, *Non est Deus*, sub quibus comprehenduntur qui prouidentiam rerum humanarum Deo adimunt; siue sint apostatæ, id est, Christianæ religionis semel susceptæ desertores, siue Iudæi qui neque Christum recipiunt, neque trinitatem agnoscunt: siue Turcæ, qui similia cum Iudæis sapiunt; siue hæretici, qui C Christo per Ecclesiam Catholicam loquenti non credunt, sed aut falsis aut damnatis dogmatibus pertinaciter adhærent, aut de veris dubitare pertinaciter eligunt. Quibus etiam annumerandi veniunt qui vel credunt hæreticis, vel propter eorum suasibiles sermones & argumenta, nutant in dogmate fidei, tametsi citra pertinaciam.

Secundo cùm hoc generali præcepto timor Dei præcipiatur, dicente Domino Malach. 1. *Si Dominus ego sum, Vbi est timor meus?* contra illud peccant; quicunque, vel quia non statim D profertur in malos sententia, Ecclesiastæ 8. vel quacunque alia causa, absque timore vllo, mala perpetrant, & noxia securitate permanentes in sceleribus, confidunt se misericordiam consecuturos; aut certè mutationem vitæ in melius, ita de die in diem differunt, quasi certi atque securi de dono pœnitentiæ aliquando accipiendo. Contra quos agit Ecclesiasticus 5. & apostolus Rom. 2.

Tertiò, cùm hoc generali præcepto iubeamur sperare in Deum; quò pertinet æternæ vitæ per gratiam Dei, & merita exspectatio, contra illud E peccant, qui magnitudine, vel multitudine peccatorum suorum territi, veniam, & salutem desperant exemplo fratricidæ Cain, & proditoris Iudæ; tanquam maior sit quantacunque hominum iniquitas immensa Dei bonitate. Necnon & illi, qui considerantes suarum virium imbecillitatem, & prauæ cupiditatis vehementiam, superaturos se eam per Dei gratiam diffidunt. De quibus Ierem. 8. & Eph. 4. Item quicunque non in Deo confidunt, sed in carne, id est, in re quacunque carnali aut temporali, vt opibus, amicis, F robore, sanitate, maximè verò, qui libero suo arbitrio, eiusque viribus ita nituntur, vt existiment se per eas solas Dei legem implere, vel aliquid boni, quod ad salutem pertineat, facere posse; vel qui Dei gratiam agnoscunt quidem, sed eam præuenisse se bonis operibus autumant, aut eam libero suo arbitrio subijciunt, efficaciam eius non agnoscentes.

Quartò, cùm vel præcipuè Dei dilectionem à nobis exigat hoc generale mandatum, contra illud peccant generaliter quidem omnes legis diui-A næ præuaricatores; peculiarius autem, qui actu voluntatis elicito, se; vel aliam quamcumque creaturam, æquè, aut plus, quàm Deum diligunt, quem iubemur & super omnia diligere, & omnibus anteponere. De talibus, Christus Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.*

Grauissimè verò in hoc præceptum impingunt, Qui Deum qui summum, ideoque maximè amabile bonum est, oderunt. In quod horrendum vicium incurrunt qui penitus peccatis immersi, atque in ijs obstinati, eousque progrediuntur; vt quia considerant Deo displicere atque à B Deo puniri peccata quæ ipsi amant: optent, vel omnino non esse Deum, vel iniquum esse, ac secum sentire, vt peccata approbet vel impunita esse sinat. Quibus illud dicitur in psalm. 49. *Existimasti inique, quod ero tui similis.* Contra huiusmodi exclamat Augustinus tract. 90. in Ioan. O miseros homines, qui cum volunt esse mali, nolunt esse veritatem, Qua damnantur mali. Nolunt enim eam esse, quod est; cùm ipsi debeant nullo modo esse quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur.

Postremò, cum dominij insinuatio à seruis C obedientiam postulet: aduersantur huic præcepto, quicunque Deo subijci nolunt, siue contemnentes præcipientem, siue præceptum eius, iuxta illud Prou. 18. *Impius cum in profundum venerit contemnet.* De hoc peccato ita Samuel pronunciat 1. Reg. 15. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Exemplum autem eius nobis depingitur in rebelli populo Israelitico Isai. 30. & Ieremi. 44. & aliàs.

D

---

§. 6. De declaratione prioris partis primi præcepti.

PRior pars primi præcepti: *Non habebis Deos alienos coram me*, prohibet grauissimam illam Dei iniuriam, qua quicunque alius præter ipsum pro Deo habeatur, seu tanquam Deus colatur. Quod non ita dicitur quasi sit aliquis E alius, sed quia hoc sibi peruersitas humanæ mentis confinxit. Alienos ergo idem est, quod alios. Nam Hebræa & Græca vox non alienum propriè, sed alium, vel alterum significat. Vbi etiam notandum ex Hebræo verti potuisse singulari numero. *Non erit tibi Deus alienus*, vt ne quis existimet solam Deorum pluralitatem hic prohibitam. Quod autem sequitur, *coram me*, & in hebræo est, *super faciem meam*, 70. in Exodo verterunt, *præter me*, in Deuteronomio, *ante faciem meam*. Siquidem & vox Hebraica etiam, *contra*, &, *præter*, significat. Priori F sensu, quem expressit nostra versio, emphasim habet adiectio illa. Longè enim grauius est, vt pote ad contumeliam pertinens; siquis alicui coram, & ante oculos suum honorem detrahat, atque in alium transferat, quam si clam id faciat. Atqui coram Deo id facit, quicunque, facit, cum Deo sint omnia præsentia. Posteriori sensu tota sententia plenior, & magis absoluta redditur. Nam omnis Deus alius, & præter, & contra verum Deum est.

S. Tho. 2. 2. q. 100. a. 5. & 6. 2. 2. q. 122. a. 2.

Vt autem quàm latè pateat hæc prohibitio,

intelligamus; primum contra eam peccant, quicunque cuiquam alij præterquam Deo vero sacrificium offerunt, templa statuunt, altaria erigunt, sacerdotes constituunt, ludos, spectacula, vel quid simile instar cuiusdam sacrificij exhibent, aut manifesta professione oris, vel signi cuiuspiam, quale erat osculum manus, tanquam Deum laudant aut venerantur. Quibus modis olim cœca gentilitas suos Deos venerata est.

Secundò, quicunque diuinatoriam artem exercent, vel eam exercentes consulunt. Qua in re manifestè tribuitur creaturæ quod Deo proprium est; nempe ea nosse, quæ futura sunt, & quæcunque certas in natura causas non habent, sed ex hominum libero arbitrio, vel ex alia incerta, & mutabili causa pendent. Vnde Dominus per Isaiam 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Hoc superstitionis genus expressè prohibet Dominus Leuit. 19. Deut. 18. & alibi. De quo vide Augustinum lib. 21. de ciuit. cap. 6. & libr. 2. de doctr. Christiana cap. 20. & sequentibus. & concilium Toletanum primum in fine professionis fidei quæ ibidem subiungitur.

Tertiò, qui ex astrorum inspectione euenta atque opera hominum in particulari conantur prædicere (Græcis genethliaci dicti, vulgo mathematici) & qui talia prædicentes consulunt. Contra quam superstitionem instruit Dei populum Ieremias 10. cùm ait; *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, &c.* Sed & veteres sæpissime in hoc superstitionis genus inuehuntur, vt alibi plenius est ostendendum, & ex patre ostendimus ad distinctionem 14. lib. 2. Possunt autem, & hæc loca ex patribus annotari. Concilium primum Bracarense cap. 9. Concilium 4. Carthaginense. can. 89. Ambrosius lib. 4. hexam. cap. 4. Chrysostomus homilia tertia in 1. Thessalon. 3. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei cap. 1. libr. 2. de gen. ad lit. cap. 17. lib. 4. confess. cap. 3. ench. 79. epistola 119 ad Ianuarium cap. 7. & in psal. 31. ad illud, *Confitebor aduersum me, &c.* & Gregorius hom. 10. in euang.

Quartò, quicunque dæmones super quacunque re per se, vel alios, consulunt. Quamuis enim multa hominibus occulta, nouerint dæmones, vel experientia, vel naturæ sagacitate; quicquam tamen eiusmodi ab eis inquirere cultus est superstitiosus, propterea quòd fieri id nequeat absque aliqua cum diabolo societate. Atqui nullam ille cum homine societatem admittit, nisi ad hoc vt eum à vero Dei cultu abducat, & ad se diuinum honorem tandem transferri faciat. Vnde omnis huiusmodi cum diabolo communicatio est vt minimum inchoatio quædam apostasiæ à Deo: vt propter hanc causam meritò simpliciter eam prohibeat apostolus dicens 1. Cor. 10. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Sed de hac re nonnulla dicta sunt à nobis ad distinctionem 7. lib. 2.

Postremò, quæcunque aliæ superstitiones, quocunque nomine censeantur; vt quæ ligaturas, numeros, characteres & quæcunque signa neque diuinitus instituta, neque naturaliter efficacia, ad certum effectum consequendum præscribunt, hac eadem prohibitione damnata sunt, sicut & herbarum certo die, vel hora, vel ritu ac ceremonia collectarum asseruatio, & vsus

[A] ad quoscunque effectus, quos neque natura procreat neque ecclesiæ benedictio impetrat; atque aliæ innumeræ istiusmodi obseruationum formæ, à vanis, ac superstitiosis hominibus plærumque suggerente diabolo excogitatæ. De quibus omnibus vide Augustinum lib. 2. de doct. Christ. cap. 20. cum sequentibus, & decretum Martini Papæ apud Gratianum causa 26. q. 5. cap. Non liceat Christianis: vbi inter alia sic dicitur: In collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, nullas obseruationes aut incantatio-
[B] nes licet attendere, nisi tantùm cum symbolo, & Dominica oratione, vt tantùm Deus creator omnium & Dominus honoretur.

§. 7. Sanctorum cultum non pugnare cum dicta prohibitione.

[C] Sicut honor parentum, quem lex præcipit, non est contrarius dictæ prohibitioni; ita nec is honor, seu cultus, quo præter Deum etiam sanctos cum Deo regnantes honoramus, colimus, & inuocamus, ei aduersatur. Non enim eis diuinum cultum, id est, honorem aliquem Deo proprium, aut soli Deo debitum tribuit aut tribui à fidelibus permittit ecclesia; sed eum quem coniunctissimis Dei amicis, & secretorum eius conscijs, nostræque salutis amantissimis, tribuendum esse nouit: quem distinctionis causa δουλείαν vocat, cùm ille propriè
[D] λατρεία dici soleat. (S.Tho. 2. 2. q. 84. ar. 1. q. 103. & 3. p. q. 25.)

Neque cultus huiusmodi putandus est vlla ex parte Dei gloriam minuere, vel obscurare, sed potiùs augere atque illustrare; tum quia Deus hoc pacto non in se tantùm, sed in sanctis etiam suis agnoscitur mirabilis & gloriosus; tum quia hoc ipsum voluntatis diuinæ est; vt sicut reges, principes, sacerdotes, parentes, & quicunque potestatis, vel sanctitatis nomine excellentes, in hac vita sunt à nobis secundùm eius legem honorandi; tanquam participatione quadam possidentes aliquid diuinum, potestatem videlicet, vel san-
[E] ctitatem, ita quoque, & multò magis eos honoremus, qui regni cælestis iam cum ipso facti sunt consortes; propterea quòd & charitate perfectiores, & dignitate sublimiores, eam possideant apud Deum honoris excellentiam, quam nulla vnquam mutabilitate possint amittere. Hoc autem Deum velle vt sic à nobis illi honorentur tanquam iam priùs à Deo honorati, testantur sacræ literæ, vt 1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.* Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Esther. 6. *Sic honorabitur quem rex voluerit honorari.* Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.* Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo ei po-*
[F] *testatem, &c. sicut & ego accepi à patre meo:* Et 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius.* Aliaque huiusmodi.

Est autem in Ecclesia Christi vetus adeo sanctorum cum Christo regnantium, ac præcipuè martyrum cultus, ac veneratio; vt quod hodie calumniantur hæretici, iam olim putauerint Ethnici Christianorum persecutores, videlicet diuinos honores martyribus post mortem à Christianis impendi. Quod ne fieret, corpora

occiso-

occisorum in mare proijciebant, vel quoquo modo Christianis subtrahebant dicentes: Ne forte Dij efficiantur Christianorum; & illi qui Deos adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare, quemadmodum est apud Eusebium lib. 4. hist. eccle. capite 15. & lib 8. cap. 6.

Sed eam calumniam facile semper à se depulit ecclesia, dum diligenter, & doctrina, & opere distinxit inter honorem Deo proprium, & eum qui diuinis ac Dei amicis hominibus attribuitur. Vnde Augustinus Fausto Manichæo similiter calumnianti quòd idola gentium in martyres Catholici conuertissent lib. 20. cap. 21. inter alia respondet; populum Christianum nulli martyrum, sed soli Deo martyrum sacrificare. Ac deinde subijcit: Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis, & societatis quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei. Sed illos tantò deuotiùs, quantò securiùs post certamina superata: At verò illo cultu, qui Græcè latria dicitur, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum, & quæ sequuntur. In quem prorsus sensum accipienda sunt quæ idem doctor alibi tradit; licèt verbis paulùm diuersis, vt lib. de vera relig. cap. vlt. Non sit nobis, inquit, religio cultus hominum mortuorum. Honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Honoramus eos charitate, non seruitute. Religionis & seruitutis nomine cultum latriæ intelligens, de quo dictum est. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Item ep. 44 Scias, inquit, à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum. Quod deinde exponens addit. Nihil denique vt numen adorari quod sit factum, & conditum à Deo; sed ipsum Deum qui fecit, & condidit omnia. Est apud eundem locus obseruatione dignus serm. 101. de diuersis, vbi refert S. Eulogium diaconum interrogatum: Nunquid & tu fructuosum colis? respondisse, Ego non colo fructuosum, sed eum colo, quem colit & fructuosus. Et addit Augustinus. Quomodo nos admonuit vt martyres honoremus, & cum martyribus Deum colamus, &c. cultum haud dubiè eum intelligens qui soli Deo debetur.

Nam de martyrum veneratione post Dionysium lib. eccle. hierarch. cap. 3 ita loquitur in eodem sermone. Habent honorabilem locum martyres sancti. In recitatione ad altare Christi, loco meliori recitantur, non tamen pro Christo adorantur &c. Concludit autem his verbis. Ideo carissimi veneramini martyres, laudate, amate, prædicate, honorate, Deum martyrum colite. Similis est locus lib. 8. de ciuit. cap. 27. Eandem cultus distinctionem sollicitè tradiderunt & alij patres, vt Epiphanius hæresi 79. quæ est Collyridianorũ qui per errorem Deiparæ virgini sacrificabant, & Cyrillus lib. 6. contra Iul. vbi superioribus similes quasdam eius calumnias refellit.

Porrò fructum quem ex sanctorum veneratione referunt fideles, his verbis ostendit Augustinus loco iam citato contra Faustum: Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate cõcelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. Sic ille. Cæterùm de intercessione & inuocatione sanctorum, & quomodo preces nostras cognoscant, nihil hoc loco dicemus, quod ea de re tractandi locus sit oportunior ad distinctionem 45. lib. 4.

§. 8. *Ecclesiasticas ceremonias superstitione carere.*

Breuiter nunc ostendendum est ceremonias, quibus ecclesia vtitur, vel in sacramentis, vel extra, longè abesse à superstitione, quam primo præcepto, vetitam diximus. Ostenditur autem hoc modo. Si debito decentique modo exspectetur effectus aliquis à Deo, etiamsi naturali virtute haberi non posset, nulla est superstitio. Atqui sic facit ecclesia, dum in sacramentis ad spiritualem effectum institutis, hoc ipsum, ad quod instituta sunt, expectat, imò & in benedictionibus quarumcunque rerum, vt salis, aquæ, cereorum, ramorum, fructuum; quamuis peculiarem institutionem, & promissionem diuinam non habeãt, non aliud agit quàm quod potestatem à Christo sibi concessam exercet. Eam verò concessit Dominus quando dedit discipulis suis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem Mat. 10. & quando ad eos dixit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil nocebit.* Luc. 10. Neque enim prorsus temporaria fuit ea potestas, cum Christi discipulis, quibus tunc loquebatur, interemorituta; sed sicut diabolus Christianos infestare nunquam desinit, ita potestas illa nunquam penitus ecclesiæ deficit. Et sicut rebus corporalibus, in quibus quandam aduersus nos potestatem propter peccatum accepit diabolus, frequenter vtitur ad nocendum hominibus; ita ad eius nocumenta repellenda res corporeas ecclesia certis quibusdam ac pijs precationibus sanctificat, & benedicit. Quod enim de quolibet cibi genere dicit apostol. 1. Tim. 4. *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*, id ad omnem creaturam quæ in vsum hominum venit, pari ratione rectissimè refertur.

S. Tho. 2. 2. q. 90. a. 3. q. 96. ar. 1 & seqq. & 1. q. 87. ar. 3. q. 71. a. 2. 3. 4.

Confirmatur autem huiusmodi ceremoniarum vsus exemplis, tam veteris, quam noui testamenti. Moyses enim aquas amaras ligno in eas iniecto in dulcedinem vertit Exod. 15. Helizæus aquas steriles sale insperso sanauit 4. Reg. 2. Tobias iecore piscis asso dæmonium fugauit, & eiusdem felle patris oculos inungens visum ei restituit Tob. 6. 8. & 11. Christus ipse rebus corporalibus ad miracula facienda vti voluit. Nam Ioan. 9. cœcum à natiuitate primum luto, deinde aqua adhibita illuminauit. Marc. 7. surdum & mutum, sputo linguæ eius admoto, & digitis in auriculas immissis curauit, & Matth. 9. contactu fimbriç vestimenti eius hæmorrhoissam sanatam legimus, sicut & alios multos infirmos cap. 14. Idem in apostolo suo per sudaria & semicinctia & ab eius corpore super languidos delata morbos curauit & dæmonia expulit, Act. 19.

Denique sicut potestas exorcizandi dæmones à Christo apostolis tradita, vsque in hodiernum diem in ecclesia permansit, quæ & certa ordinatione confertur. Est enim exorcistarum gradus inter minores ordines secundus, de quo lib. 4. dist. 24. ita & potestatem, qua per verbum Dei & orationem non cibis tantùm; sed & alijs creaturis benedicitur, ab ijsdem apostolis traditam, & per manus acceptam esse, non est dubitandum. Quo in genere

A genere imprimis est aqua sacta seu benedicta. Cuius vsum Alexander papa quintus à Petro in epistola ad omnes orthodoxos multis verbis ita cōmendat & præcipit;vt non iam ipse primus eam instituere, quàm ecclesiæ Romanæ consuetodinem alijs porrò tradere, & communicare velle videatur. Aliarum quoque rerum, vt cerei paschalis,de quo apud Prudentium extat doctus & prolixus hymnus,cinerum,ramorum,florum, fructuum, item templorum, altarium,vestium, vasorum benedictiones ex vetustis autoribus probare non est difficile.

B Est autem hoc loco notandum non solere ecclesiam adhibere benedictionem quibuscunque rebus promiscuè, sed ijs tantùm, quæ vel vsu vel significatione præstantiores sunt ; cuiusmodi sunt quas iam enumarauimus. Quare & in huiusmodi benedictionibus noua atque priuata adinuenire non permittit. (Non enim id superstitionis periculo careret) sed quæ iam olim consensu quodam, ac traditione maiorum, ad dæmonum & morborum infestationem atque aeris intempestiem, vel mitigandam, vel tollendam benedicenda sibi tradita sunt, vnà cum modo, seu forma benedicendi, constanti vsu retinet.

C Deinde & hoc notandum est, fieri posse,vt per abusum rerum ecclesiasticis precibus rectè & legitimè consecratarum superstitio committatur; omittum si vel ipsis rebus, non Deo, cuius super eas nomen inuocarum est, virtus tribuatur, quam ex natura non babent ; vel si, quod est longè deterius ad incantationes quis ijs vtatur, & per eas magica exerceat.

D
§. 10. *Declaratio posterioris partis primi præcepti.*

S.Tho. 1. 2.q. 100. a. 4 2.2. q. 94. 3. p. q. 25. ar.3.

QVod in primo præcepto sequitur, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.* vsque ad illud : *Non adorabis ea neque coles*, explicatio quædam est eius, quod præcessit. Quod enim dictum est, inquit Augustinus q. 71.in Exod. *Non erunt tibi dij alij præter me*, perfectiùs explicatur, cùm prohibentur coli figmenta. Nam quisquis sculptile facit, vel quodcunque simulacrum vt illud adoret; is reuera alium sibi Deum statuit

E præter Deum verum, licèt non è conuerso.

Imprimis autem circa hanc præcepti partem, notandum est inter sculptile, & similitudinem seu simulacrum, hoc esse discriminis, quod inter speciem & genus. Siquidem post nominatam vnam eamque vsitatiorem speciem, voluit Dominus præcepti generalitatem generali vocabulo concludere, quando fieri vetuit quamcunque similitudinem. Quare discrimen illud, quod Origenes tradit. hom. 8. in Exod. inter idolum, & similitudinem, & ex

F Origene Magister in textu; licet fortè legitimum sit, & locum habere possit secundùm interpretationem 70. qui pro sculptili addiderunt idolum, non tamen locum habet in versione nostra, neque veritate Hebraica, imò nec eam distinctionem, vel scriptura vel sermo Christianorum agnoscere videtur. Nam scriptura sine discrimine omnia gentium simulacra, idola vocat psal. 113. 1. Cor. 8. & alibi, sicut & vsu Christianorum, similitudines quęcunq; ad adorandum positę generaliter idola nuncupantur.

A Deinde diligenter notandum est, his præcepti verbis, nō simpliciter prohiberi, ne faciamus quamcunque similitudinem, seu imaginem cuiuscunque rei siue existentis in rerum natura, siue sola mentis imaginatione conceptæ. Neque enim Deo displicet aut aliquando displicuit ars sculptoria, aut fusoria, aut pictoria. Nam & ipse Num. 21. serpentem æneum fusilem fieri iussit, qui postmodum à pijs ducibus, ac regibus, vsque ad Ezechiæ tempora fuit seruatus 4. Reg 18. Ipse quoque Cherubin in tabernaculo, & sancto sanctorum Exod. 25. itemque imagines leonum, boum, palmarum, malo-

B rum punicorum in templo fieri præcepit 3. Regum 6. & 7. & 1. Paral. 28. & 2. Paralip. 3. & 4. Artem verò ipsam, qua hæc fiunt, donum sui spiritus esse testatur Exod 26. ex quibus perspicuum est, ne Iudæis quidem simpliciter prohibitum fuisse, ne quasumcunque rerum simulacra facerent, vel haberent. Siquidem & in domo Dauidis sanctissimi Dei cultoris inuentum est simulacrum 1 Reg. 19. Neque audiendus est, hac in parte Iosephus, qui lib. 2. antiquit. cap. 8. Salomoni vicio datum esse dicit; quod animalium imagines fieri, & in templo Dei poni, iusserit : cùm Salomon vniuersam

C illius ædificij formam, à patre, ille verò, perinde vt olim figuram tabernaculi Moyses, eam accepisset à Deo. *Omnia*, inquit, *Venerunt scripta manu Domini ad me, Vt intelligerem Vniuersa opera exemplaris.* 1. Paralip. 28.

Prohibuit ergo Dominus simulacra fieri, haberi, statui, nō quomodocūque, sed ad cultum diuinitatis. Hoc enim vult extrema illa præcepti clausula: *Non adorabis ea, neque coles*, quasi dicat, non ea tibi facies, vt adores, aut colas. Hoc & Augustinus significat supracitata quæstione 71. in Exod quando dicit quod hac parte prohibentur coli figmenta. Id

D quoque significatum est à Moyse Deuter 4 cùm ait ad populum: *Caue ne facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit*. Peccatur autem contra eam prohibitionem tribus modis ; nimirum si vel ipsum simulacrum habetur pro Deo, vel creatura per ipsum repræsentata colitur, vt Deus; vel ita habetur imago, quasi per eam diuinitas ipsa effigiaretur.

Primo modo peccauit cœca gentilitas, Deos esse putans opera manuum suarum, & ea tanquam Deos adorans. De quibus Moyses Deuter. 2. *Seruietis*, inquit, *Dijs qui hominum manu fabricati sunt, ligno*

E *& lapidi qui nec Vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur*, & Ierem. 2. *Dicunt ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti.* Latè autem, & graphicè, stultissimum hoc idololatriæ genus depingit, & traducit Isaias 44. & post eum Ieremias in Epistola ad Iudæos in Babylone commorantes scripta. De hoc genere scribens Augustinus in Psalm. 113. conc. 2. Plus, inquit, valent simulacra ad curuandam infelicem animam, quod os habent, oculos habent, aures habent, &c. quàm ad corrigendam, quòd non loquentur, non videbunt, &c. vbi & refutat excusa-

F tiones quorumdam, qui plus aliquid, quàm vulgus sapientes, interpretari conabantur simulacrorum significationem, quod vulgus non poterat, & in Psal. 65. in persona hominis ex gentilitate conuersi, ait: Olim ad lapidem clamabam, ad lignum surdum clamabam. Et paulò pòst: Qui dicebam ligno, Pater meus es, modò dico : *Pater noster qui es in cælis.* Eiusdem sci clarum testimonium est apud Eusebium libro 7. hist capit. 18. Quamquam tam frequens, & aperta est huius etsi crassissimi erroris mentio, tum in sacris literis, tum in scriptis patrum; vt superna-

caneum

eandem sit plura ad probationem adferre. Grauem proinde, & scripturæ, & patrum authoritati iniuriam faciunt. Oecolampadius, Caluinus, & alij: qui vt sacrarum imaginum venerationi detrahant, negant gentiles aliquando ita excæcatos fuisse; vt ipsa simulacra Deos esse putarent, sed hoc tantum in ijs reprehendi dicunt, quod Deos suos in simulacris, & per simulacra colerent. Cuius commenti vanitatem ex dictis facile est refellere, sicut & Catholici quidam doctè refellerunt.

Eam porrò gentilium stultam persuasionem, Hermes quidam trismegistus, vt refert Augustinus lib 8. de ciuit. cap. 23. huiusmodi colore excusare conatus est; vt fingeret simulacris, velut deorum corporibus inesse, vel subesse quosdam spiritus, precibus hominum eò inuitatos, qui valerent aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eorum complenda; à quibus sibi diuini honores, & cultus obsequia deferrentur.

Sed & contra hoc commentum, tam rei euidentia, quàm scriptura clamat: *Simulacra gentium, argentum, & aurum. Et non est spiritus in ore ipsorum.* psal. 134. Et reuera spiritus illi, qui finguntur inesse simulacris, non alij sunt, quàm dæmones, diuinitatis honorem quocunque modo appetentes, de quibus idem psalmista dicit: *Omnes dij gentium dæmonia.*

Secundo modo peccauerunt qui nonnihil ab illorum, quos modò diximus, absurditate recedentes, non ipsis simulacris diuinum aliquid tribuerunt, sed tamen creaturas per ea repræsentatas, pro dijs coluerunt; vt aut homines, siue iam olim mortuos, siue etiamnum viuentes; aut alia quæcunque animalia, aut solem, & lunam, ignem & aquam, aut quid simile. Et quidem de cultu hominum mortuorum per imagines, qua occasione exortus, qua ratione inualuerit, disertè descriptũ habemus Sap. 14. Quod autem & viuentibus, per imagines diuini fuerunt impensi honores, docent exempla Imperatorum, & Regum ethnicorum qui passim in templis inter Deos suas collocabant imagines; quibus & thus adoleri, & sacrificia offerri voluerunt. Quo exemplo & imago Tiberij à Pilato in templo Hierosolymitano, & postea Adriani equestris statua in ipso sancto sanctorum loco fuit collocata, vt refert Hieron in Matt. 24. Cætera quoq; animalia, aliasq; creaturas pro dijs habitas, &, vel in se vel in suis imaginibus diuinis honoribus affectas fuisse, ex historijs tam sacris quàm profanis notissimum est.

Neque verò ab hac impietate alieni fuerunt, qui vulgi errorem physicis quibusdam interpretationibus excusare, ac minuere conati sunt; quemadmodum de Varrone commemorat Aug. libr. 7. de ciuit. cap. 5. & sequentibus. Is enim, cùm vel ipsa simulacra, vel in simulacris homines flagitijs nobiles, vt Iouem, Martem, Venerem, coli vulgo videret; ne omnino cultum eum damnaret, simulacrorum significationem vlterius ad mundum, eiusque partes transtulit, vt verbi gratia, sub nomine & simulacro Iouis, aer sub nomine, & simulacro Neptuni, mare coleretur, & ita de alijs. Verùm cùm hæc omnia non aliud reuera, quàm creaturæ sint, istiusmodi interpretatione, neq; ipse à falso cultu se expediuit, neq; alios ad hunc modum à se edoctos, ab errore ad veritatem reduxit, sed in errorem paulò diuersum induxit: siue enim simulacra, siue homines, siue partes mundi pro dijs habent, nondum receditur ab eo, quod dicit apostolus Rom. 1. *Et seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula.* Disputat contra tales simulacrorum inter-

A pretationes Aug. in psal. 113. & rursus in sermone quondam de Kalendis Ianuarij, fragmento 5. cap. 1. & 6. vbi tractans modò dicta apostoli verba, ait: Et ne quisquam eorum diceret, non simulacra colo, sed quod significant simulacra, subiecit statim: *Et coluerunt, & seruierunt creaturæ, &c.* Aut simulacrum enim colunt, aut creaturam, & quæ sequuntur.

Postremo modo peccant qui Deum seu diuinitatem aliquo simulacro exprimi posse putant. Hoc enim putantes, Deum corporeum faciunt, ideoque multò inferiorem angelo, atque etiam ipso homine, qui præstantiori sui parte, id est secundùm animam suam, incorporeus est, quare, & cultus hũc

B de Dei natura sequens errorem, falsus est, & cum magna Dei iniuria coniunctus. Vnde Isaias 40. *Cui*, inquit, *similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Cui assimilastis me, & adæquastis? dicit Sanctus.* Et Paulus ex ipso homine, qui Dei imago est, argumentum sumens Act. 17. *Genus*, inquit, *cùm simus Dei, non debemus existimare auro, & argento, sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile*, diuinum intelligens ipsam Dei naturam.

Ob hanc porrò causam, Deus cùm legem daret, nulla in forma apparere voluit, *Ne fortè*, inquit Moyses ad populum Israel Deuter. 4. *decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi,*

C *vel fœminæ, &c.* Hinc iam olim in ecclesia Christi tacito Patrum cõsensu damnatus est error Anthropomorphitarum, qui, vt ait Aug. hæres. 50. Deum sibi finxerunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Neque enim quasi humana forma circumscriptum esse Deum patrem, arbitrandum est, ait idem Aug. lib. de fide, & symb. cap. 7. vt de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus non occurrat, &c. Nam vt in synodo 7. dicitur Act. 6. Supra omnem circum-

D scriptionem est diuina natura, licèt humana in qua Christum ascendisse in cælum confitemur, circumscripta sit, & definita. Vnde secundùm illam, qua Christus in terris apparuit, eius imaginem Christiani depingunt, nõ secundùm eam, qua inuisibilis est cũ patre. De qua re Ioannes Damascenus lib. 4. orth. fid ca. 17. Insipientiæ, inquit, & extremæ impietatis est, figurare diuinitatem, & multa quæ sequuntur. Neque aliud sibi velle videtur diligenter considerantibus canon 36. Elibertini concilij, quo dicitur: Placuit picturas in ecclesia esse non debere,

E ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. Nã colendi & adorandi vocabula satis significant, canonem loqui de pictura seu imagine Dei idque secundùm diuinitatem; tametsi alij aliter ad sensum etiam Catholicum eum canonem interpretari malunt.

Quatenus verò picturæ quædam sacrosanctam Trinitatem vel trium personarum aliquã, aut certam eãrum operationem repræsentantes, vel probentur vel tolerentur in ecclesia, alterius est loci exactè discernere. Tantũ adijcimus ex concilij Tridentini sess. 25. decreto de sacris imaginibus, nullas

F falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuendas esse. Quod si verò aliquando historias & narrationes S. scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi ac figurari contigerit, docendum esse populum nõ propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.

nique quod inter veteris ac noui testamenti statum populumque non distinguerent.

§. 11. *Primo precepto non aduersari vsum imaginum apud Christianos.*

DE cultu seu veneratione sacrarum Imaginum Christi & sanctorum diximus ad distinctionem 9. huius libri. Nunc breuiter ostendendum est, receptum apud Christianos imaginum vsum, non aduersari præcepto decalogi, quo prohibentur coli simulacra. Eius autem rei non difficilis est ostensio ex decreto concilij Tridentini, quod modò citabimus. In quo sunt hæc verba: Imagines porrò Christi, Deiparæ virginis, & aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas esse, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sunt colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & corà quibus caput aperimus, & procumbimus, Christũ adoremus, & sanctos, quorũ illę similitudinẽ gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, prȩsertim 2. Nicænæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Hucusque verba decreti, quibus perspicua continetur argumenti, quod ex decalogi præcepto peti poterat, solutio. Cùm enim, vt suprà declarauimus, lex non aliud prohibeat, quàm ne, vel simulacrum, vel aliquid simulacro repræsentatum, quod Deus non est, pro Deo colatur, huiusmodi autem nihil fiat à Christianis, dum sacras Christi & sanctorum venerantur imagines; manifestum est earum vsum, & venerationem, dum intra legitimos, & à sacris concilijs præscriptos fines continetur, illi præcepto nequaquam repugnare.

Quin & si hoc dent aduersarijs, quod post Iosephum hodie opinantur Iudȩi, quorum sententiæ libenter accedunt hodierni sectarij, simpliciter lege vetitum fuisse, fieri simulacrum, etiamsi non statueretur ad adorandum, non tamen id contra Christianorum imagines valebit. Eo enim dato respondebimus eam prohibitionem peculiariter ad populum illum Israeliticum pertinuisse (vtpote qui ad idololatriam propensissimus esset) & ad ea tempora, quibus per omnes nationes idololatria immensè vigebat. Ideoque tali præcepto voluisse Dominum illi populo ad cultum suum electo, subtrahere omnem falsi cultus occasionem. Quamquam quæ suprà à nobis allata sunt, & præcipuè exemplum serpentis ænei, quem qui percussi aspicerent, sanabantur Num. 21. Ex quo maximè data illis videri poterat occasio cultus idololatrici, satis ostendunt non absolutè prohibita eis fuisse simulacra. Cæterùm de Christianis longè alia ratio est, vt qui meliùs ac pleniùs instituti coruscanti iam euangelij luce, & abundantiori gratia spiritussancti perfusi quàm longissimè absunt à periculo tam crassi erroris, vt simulacris aliquid diuinum inesse putent. Quare meritò damnatus est iam olim error Iconomachorũ, tũ quod inter simulacra Deorũ, & imagines Christi, atq; sanctorum, discrimen nullũ agnoscerent; tum quod rationem temporis non haberent, quo Deus nostræ salutis causa humanam corporeamque, & proinde figurabilẽ naturam induit, & in ea cõspicuum se nobis repræsentauit; tum denique quod inter veteris ac noui testamenti statum populumque non distinguerent.

§. 12. *Explicatio tertij præcepti.*

OMisso secundo præcepto, de quo cum Magistro agemus distinctione penultima, de tertio nunc dicendum est, quo iubetur sanctificatio sabbathi. Vbi imprimis notandum est, hoc præceptum, vt in decalogo exprimitur, esse partim legis naturæ, partim legis positiuæ, secundùm substantiam quidem legis naturæ, secundùm determinationem verò legis positiuæ. Præcipit enim lex naturæ, vt aliquod tempus diuino cultui, atque obsequio deputemus, sicut eadem postulat, vt alijs exercitijs, velut labori, refectioni, somno sua deputentur tempora. Quæ si naturaliter determinata non sint, opus est lege positiua, per quam determinentur. Itaque lex Moysi diei septimo diuini cultus exercitium assignauit, & eodem die seruilia opera fieri prohibuit; idque in memoriam beneficij quod omnibus commune, atque manifestum erat, creationis videlicet omnium rerum. *Sex enim diebus*, ait Moyses in huius præcepti explicatione, *fecit Dominus cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit diei sabbathi & sanctificauit eum.*

Est autem notandum circa nomen sabbathi eo vocabulo, non, vt quidam putauerunt, septimum significari, licèt Hebræa vocabula vicina sint, sed quietem. Quare si vocis primæuam significationem spectemus, sabbathum erit non tantùm dies septimus, sed omnis dies festus; in quo diuino cultui vacandum, & ab opere seruili quiescendum est, ita vt hac ratione, dies noster Dominicus, etiam rectè sabbathi nomine comprehendatur. At scripturæ consuetudine sabbathi nomen ferè appropriatum est diei septimo, propter caussam modò dictam. Et ita sabbathum intelligi debere in verbis decalogi ex subiecta legis declaratione, palam est.

Sanctificatio verò, quam lex requirit, cuiusmodi sit, & in quo sita, his subiectis verbis ostenditur: *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua; Septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, &c.* Vbi requies præcipitur ab omni opere seruili, id est, ab eo corporali opere, cui seruos & iumenta peculiariter deputare solemus. Cæterùm cùm Deus hominis ocio per sese non delectetur, non simpliciter ei cessationem ab opere præcepit, sed vt ea cessatione, & quiete protestaretur exteriùs se gratias agere Deo, qui & ipsum hominem, & alia propter ipsum creauerit sex diebus, & requieuerit die septimo; vt homo ea operibus sex dierum, id est, toto mundi opificio, induceretur ad requiescẽdum in Deo sanctificatore suo. Requirit ergo sanctificatio sabbathi duo hæc, vt & ab opere seruili abstineatur, & diuino cultui tam interiori quàm exteriori vacetur. Vnde Iudæi solẽ ab opere seruili cessantes, nihil autẽ quod ad Deum colẽdum pertineret, facientes, reuera sabbathũ non sanctificabant & proinde nec seruabant, tametsi minùs peccarẽt, quàm qui etiã exteriori opere sabbathum violabant. Vtrisq; verò grauius peccabãt illi, qui ocio sabbathi abutebantur ad suas cupiditates. Contra quos Isaias agit cap. 58. & August. tract. de decem chordis cap. 3. & in psal. 32. conc. 1. Ratio est, quia illi tantùm violabant præceptum de obseruando sabbatho, hi verò præter hoc etiã aliud

transgrediebantur. Si quis autem ad hoc requiesceret vt beneficiorum Dei memoriam recoleret atque interim in aliud quodcunque peccatum incidisset, non ob id iudicandus erat violasse hoc preceptum de sanctificandu sabbatho. Atque hæc similiter de nobis Christianis accipienda sunt. Sicut enim Iudæi tempore legis sabbatho alijsque diebus lege præscriptis, ita & nos requiescere tenemur ijs diebus quos ad hoc per ecclesiã suam Christus determinauit. Vnde sicut olim Iudæis non seruilia tantùm opera vsque ad ciborum coctionem, sed & alia quædam, vt iter agere, emere ac vendere probibita fuerunt, vt patet Exod. 16. & 2. Esd. vlt. ita & nunc præter seruilia opera, etiam alia quædã hominem à Dei culto abstraheotia prohibentur: vt mercatus, iuramentum, prolatio sententiæ, strepitus iudiciarius, placitum & similia, de quibus lib. 2. decretal. tit. de fer. cap. omnes. & ca. licet & alijs. Verùm in his omnibus, quoniam ecclesia quæ cultum internum magis quàm externum spectat, non tam rigidè præcipit hanc requiem atque olim lex Moysi, præcipuè attendeoda est consuetudo populi Christiani, id est, piorum fidelium tanquam optima legom ecclesiæ interprea. Ex qua interpretatione intelligimus quædam nunc diebus festis esse licita, vt cibum potumque emere & coquere, iter facera & similia quæ Iudæis fuerunt prohibita.

---

§. 13. *De institutione diei Dominici, & aliorum festorum.*

S.Tho.1. 2 q.103. ar.3.a.2. q.122.ar. 4.2 2.q. 102.103.

LEge ceremoniali per Christum abrogata, simul etiam sabbathum antiquatum est. Sed cùm nihilominus certum aliquod tempus diuino cultui deputandum, lex naturę posceret; mutata est legis naturæ determinatio per aliam legem positiuam, nimirum apostolicam, siue ecclesiasticam, qua requies diei septimi translata est in octauum, qui idem & primus est; diem videlicet dominicum, sic appellatum, quia Christo Domino peculiariter dicatus est, in memoriam resurrectionis eius, qua & nobis perfectæ spem resurrectionis ipse tribuit, tanquam primitiæ dormientium. Quãols enim vno per annum die, qui Pascha dicitur, resurrectionem dominicam solemoiter recolat ecclesia, ne tamen illius beoeficij nobis aliquando subrepere possit obliuio, voluit singulis hebdomadis, dominici diei celebratione eiusdem perpetuò renouari memoriam, simulque nostram per Christum futuram resurrectionem, & in Christo perpetuã præsignari quietem. Vode Augustinus in fine operis de ciuit. Dei: Septima, Inquit, ætas erit sabbathum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed dominicus dies, velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, ęternam, non solùm spiritus, verumetiam corporis requiem præfiguraos.

Porrò eum diem hoc nomine appellatom legimus à Ioanne apostolo Apoc. 1. vbi se fuisse in spiritu dicit in dominica die. Quin etiam ex Luca, & Paulo discimus, prima sabbathi, id est dominica die solitos olim conuenire Christianos ad agendũ Deo gratias, ad audiendum Dei verbum, & ad communicandum corpori Domini. Eademq; die solere eos eleemosynas publica collectiona conferre in pauperes per manus ministrorũ ecclesiæ ad altare Dei. Ait enim Lucas Act. 20. *Vna* id est, prima *sabbathi, cùm conuenissemus ad frangendum panem*, id est, ad communicandum, *Paulus disputabat cum eis.* Paulus verò 1. Cor. vlt. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbathi vnusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit.* Plura de institutione, significatione, & obseruatione diei Dominici, videre licet apud Augustinum ep. 119. ad Ianuar. c. 13. Innocentiũ 1. ep. 1. decret cap. 4. Leonem 1. ser. 4. de quadragesima. Item in synodo 6. Constant. ca. 8. conc. 2. Matisconensi cap. 1. Altissiodorensi cap. 16. & Maguntiensi 1. cap. 37.

Iam verò sicut Iudęis præter sabbathum, & alij dies lege Mosaica, vel legitima maiorum institutione festi atque solemnes fueront, vt patet Leuit. 23 & ex libris Esther, Iudith & Machabæorum, ita in ecclesia Christi, præter dominicum diem, etiam alij ex eiusdé ecclesiæ institutione celebrantur. De quibus ita generaliter Augustinus lib. 10. de ciuit. ca. 4. Beneficiorum, inquit, Dei solemnitatibus. festis & diebus statutis dicimus sacramusq; memoriã, ne volumine tẽporũ ingrata subrepat obliuio. Quę verò sint ea beneficia, quæ nobis recolenda per singulas solemnitates exhibentur, sigillatim explicare non huius est instituti.

Sciendum tamen est non ea tantùm festa, quę Dei, vel Christi Domini esse dicuntur, vt natiuitatis Christi, paschæ, ascẽsionis, pentecostes, eucharistię, verumetiam sanctorum festa propriè non sanctis, sed Deo, & Christo sanctorum omnium saluatori, esse dicata, Omnia enim ad hoc instituta sunt, vt in sanctis suis Deus glorificetur, & beneficiorum eios magnitudo etiam in sanctis agnoscatur, quemadmodũ satis apertè demonstrat officiũ ecclesiasticũ.

Caussę igitur seu rationes, ob quas ecclesia memorias sanctorũ certis solẽnitatibus eclebrat, tũ ex dictis tum ex Aug. lib. 2. contra Faostũ ca. 21. & lib. 8. de ciuit. cap. vlt. atq; etiam aliunde, colligi possunt istæ. Prima, vt hac sanctorũ cõmemoratiooe ad eorum excitemur imitationẽ. Secunda, vt socij, & participes eorũ efficiamur meritorũ. Tertia, vt eorum, quorũ festa colimus, orationibus adiouemur. Quarta, vt per huiusmodi celebrationẽ excitemur ad laudandum Deom, qui tã magna & mirabilia pro sanctis suis dignatus est operari, & vt memoriã in nobis renouemus beneficiorum Dei, quæ ille per sanctos suos in ecclesiã suam contolit. Ex quibus patet omnem honorem, quem sanctis in eorum festis diebus exhibemus, in Deum referri. Vnde Aug. lib 22. de ciuit. cap 8. commemorans, quanta lætitia populus exultaret ad miracula S. Stephani. Quid erat, inquit, in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est.

Cæterùm quàm vetus sit huiusmodi festorum, atque eorum maximè, quæ vocantur martyrum natalicia, tam institutio, quàm obseruatio, ex vetustis authoribus tam historicis, quàm qui sermones ad populũ scripserunt, clarissimè intelligitur. Quorum loca nos hîc studio breuitatis omittimus. Sufficiet vnom ex Eusebio locum ascripsisse qui est lib. 4. hist. eccl. ca. 15. vbi ex epistola Smyrnensium, qui cum Polycarpo Ioannis discipulo vixerũt, post descriptum Polycarpi martyrium, sic legitur. Quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus celebresque conuentus, maximè quidem in die passionis eius, sed & cùm eorum memorias, qui priùs passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus suscitentur. Hæc ibi.

§. 14. *Ad quid teneantur fideles diebus festis.*

S.Tho. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. 2. 2. q. 122. art. 4.

CVm ad hoc præcepta sit requies dierum festorum, vt liberiùs diuinò colui, & recolendis Dei beneficijs vacari possit. (Hoc enim est apud Isa.58. Sabbatum delicatum; id est, gratum Domino) ignorare profectò non debent fideles, ad quid illis diebus teneantur. Imprimis igitur, sicut Iudæi sabbathum obseruabant in memoriam creationis mundi, Exod. 20. Pascha verò, in memoriam liberationis de Ægypto Exod. 13. & sicut in festo pentecostes debebant coram sacerdote profiteri, se accepisse terram à Deo promissam Deut. 26. & ita de alijs; sic Christiani festis diebus requiescere debent, præcipuè in memoriam beneficij redemptionis; sed ita, vt pro varietate festorum, varios fidei articulos, ac mysteria circa hoc beneficium recolant. Ad hoc enim instituit ecclesia varias solemnitates, vt per eas tanquam commonitoria quædam articuli fidei faciliùs hominum memoriæ commendarentur. Quo fit vt omnes illos articulos, qui per solemnitatem festorum in ecclesia publicantur, omnes fideles etiam rudes, & simplices explicitè tenere & credere teneantur.

Verùm vt ad hæc Dei beneficia commemoranda magis etiam inuarentur fideles, præcepit ecclesia, vt festis diebus vnusquisque missam audiat; id est, præsentem se, atque deuotum tremendo sacrificio exhibeat. Hoc enim sacrificium præcipuè in memoriam passionis, & mortis dominicæ, qua redempti sumus à Christo est institutum. Quemadmodum autem præceptum de die Dominico, & festis Christi celebrandis, magis in perpetua consuetudine populi Dei, quàm in certo aliquo patrum canone est fundatum, ita & hoc præceptum de missa audienda, vtpote quorum origo post apostolos non inuenitur, vt meritò existimandum sit hanc ab ipsis apostolorum temporibus pro lege receptam, & ad nos deriuatam esse consuetudinem. Etsi enim sunt concilia, tum vetusta, tum recentiora, quæ de missa audienda aliquid statuunt, magis tamen hæc, vel modum, vel locum audiendi præscribunt, quàm simpliciter missam festis diebus audire præcipiunt. Inter quæ est concilium Agathense ante mille ducentos ferè annos habitum quod de integra missa audienda ita statuit can. 31. Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab episcopo publicè confundantur. De loco autem statuit eiusdem concilij canon 14. Similia statuuntur in 6. synodo Const. can. 8. & in Aurelianensi conc. 1. & 2.

Quod verò ad sacram concionē attinet, quamuis ecclesia expressè non præceperit fidelibus ei interesse; ob id fortasse, quòd olim soli episcopi verbum Dei prædicare solerent, quorum sermoni totam fidelium multitudinem interesse impossibile erat; satis tamen significauit etiam olim hac in parte quid à fidelibus fieri expetat. Nam in Carthaginensi conc. 4. cap. 24. ita statuitur: Sacerdote verbum faciente in ecclesia qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. Et in concilio Vasensi can. 4. sic legitur: Hoc pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit; vt non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochijs verbum faciendi daremus presbyteris potestatem: ita vt si presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, SS. patrum homiliæ à Diacono recitentur. Hæc ibi. Quicquid autem sit de ecclesiæ præcepto, certè lege naturę, & fidei, tenentur Christiani ea discere quæ suæ saluti sunt necessaria. Quæ cùm ferè extra sacras conciones non doceantur, eadem profectò lege tenebitur & populus Christianus ijs interesse & pastor eas non omittere.

§. 15. *Explicatio quarti præcepti.*

S.Tho. 1. 2. q. 100. 2. 2. q. 101. q. 122.

SEcundæ tabulæ præcepta ad dilectionem proximi ordinantur. Inter quæ primum locum obtinet præceptum de honorandis parentibus, propterea quod illis præ cæteris hominibus debitores sumus, idque tres potissimùm ob causas. Primùm quia totum quod est, homo à parentibus accepit, videlicet corpus & omnia corporis membra, vitam, sanitatem, educationem, ipsum rationis vsum, atque omnino hominem esse. Vnde Ecclesiasticus admonet cap. 7. *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses. Et retribue illis, quomodo & illi tibi.*

Secundò, propter sollicitudinem, labores, dolores, pericula filiorum caussa suscepta. De quo admonet eodem loco Sapiens: *Gemitus matris tuæ ne obliuiscaris.* Et Tobias filium cap. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Quamquam sanè patris sollicitudo & labores pro filijs non minores sunt; imò plærumque maiores. Sed ideo scriptura materni laboris peculiariùs meminit, quòd ille in gestatione, partu & prima educatione filiorum sensibiliùs appareat; cùm alioqui reliqua filiorum ætas ad patris curam & sollicitudinem magis spectet.

Tertiò, propter honestam, piam, & Christianam filiorum institutionem, ac morum castigationem. Qua fit vt eis filij non modò debeant quod homines sunt, verùm etiam quod Christiani sunt. Cùm igitur honor sit testimonium excellentiæ, satis ex his patet, quantum honoris parentibus à filijs debeatur, quibus (quod est magnæ excellentiæ) tantorum bonorum sunt authores.

Notandum est autem hoc excellentiæ testimonium, id est, honorem, multis modis exhiberi, nimirum vel solo corde, si coram Deo quis aliquem honoret; vel signo externo, vt voce, inclinatione, genuflexione, & similibus, si coram, & corporaliter honorare aliquem volumus; vel opere aliquo, quod aliam præterea vtilitatem secum adferat, vt obedientia, obsequio, sustentatione, munerum oblatione & similibus. Cùm igitur lex iubet honorari parentes, non tantùm præcipit reuerentiam illam quæ in verbis, & externo corporis motu consistit, verùm etiam, & multò maximè; vt filij de parētibus honorificè sentiant, eisque obediant, eorum vitam, honorem, dignitatem omni ope tueantur, eisdem in egestate, senio, infirmitate, periculis, & quacunque aduersitate adsint & subueniant solatio, obsequio, consilio & rerum necessariarum liberali subministratione, denique pro ijs, tum viuis, tum defunctis orent. Quod enim honoris vocabulum in sacris literis vsque ad subsidia vitæ

submministranda extendatur, manifestum est. Ait enim apostolus 1. Tim. 5. *Honora viduas, quæ verè viduæ sunt.* Et rursum; *Presbyteri, qui bene præsunt duplici honore digni sunt.* Sic & Tobias dicitur honoratus à rege, dato ei subsidio pecuniario, Tob. 1. & medicus propter necessitatem honorari iubetur Eccles. 38. Similiter scriptura loquitur Num. 22. & 24. Vnde Hieronymus in 15. Matth. ad illud, *Vos autem dicitis quicunque dixerit patri vel matri, &c.* Honor in scripturis, inquit, non tantum in salutationibus & officijs deferendis quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur: & paulò post: Præceperat Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, vt filij honorarent, etiam in vitæ necessarijs ministrandis, parentes suos. Ac deinde ostendens impietatem horum quos reprehendit Christus, subiungit. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, pessimos filios; vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus; vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat vt oblatio liberorum sub occasione templi & Dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc Hieronymus.

Ex quibus intelligitur nec religionis prætextu posse parentes à filijs in necessitate deseri absque violatione huius præcepti. Qua de re conformiter cum euangelica Christi doctrina & Hieronymi expositione ita statuit Gangrensis synodus cap. 16. Si qui filij parentes, maximè fideles, deseruerint occasione cultus Dei, hoc iustum iudicantes esse, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipsum in eis venerentur quod fideles sunt, anathema sint. Quocirca si quis filius parentem habet egenum, cuius necessitati in monasterio constiturus subuenire non posset; is vel differre vel omittere debet ingressum religionis potiùs, quàm vt eius necessitati non succurrat. Quod si verò post religionis ingressum ac professionem parens ad inopiam redactus fuerit, ita vt filij ope indigeat; non poterit quidem filius ea quæ ad religionis essentiam pertinent, deserere, aut transgredi, ad hoc vt parenti succurrat, quoniam ad ea obseruanda sese iam Deo tradidit; sed quicquid salua professionis suæ, seu monachatus integritate facere potest, ad id tenetur vt parenti subueniat, ita vt à superiore seu prælato suo ab ea necessaria subuentione impediri nullo modo debeat.

Atque hoc similiter sentiendum est de filio qui vel ducturus sit vel duxerit vxorem, parente in simili necessitate constituto.

---

§. 16. *De promissione huic precepto adiuncta.*

1. Tho. 1. 2. q. 100. 6. 2. 2. q. 122. a. 5.

ADiuncta est huic præcepto promissio: *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quod in Deut. pleniùs sic legitur: *Vt longo viuas tempore & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi;* Septuaginta verò

A priori loco verterunt terram bonam. Ecclesiasticus 3. capite ita repetit: *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore.* Apostolus Eph. 6. *Honora,* inquit, *patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, &c.* Quæ verba sic Augustinus intelligit lib. de decem chordis cap. 6. quasi significent hoc præceptum, quod in toto decalogo quartum est, in secunda tabula primum esse, idemque promissionem longæuitatis habens adiunctam. Sed rectiùs Hieronymus & Græci in commentarijs sic intelligunt: Primum hoc esse mandatum, cui adiun-
B cta sit expressa, & specialis promissio. Cùm enim subinde in scriptura longæuitas promittatur Dei mandata seruantibus, ea tamen primo promittitur honorantibus parentes.

Quæ quidem promissio magnam habet ex ratione congruentiam. Cùm enim soleant homines ex operibus suis fructum & vtilitatem quærere, quam vtique à parentibus iam ætate defectis & breui morituris sperare posse non videntur; idcirco Deus quasi vice parentum aliquid promittere voluit. Nec aliud conuenientius quàm vitæ longitudinem. Qui enim gratus
C est de beneficio accepto, dignus habetur qui eo beneficio quàm diutissime fruatur, quemadmodum & contrà, ingratum dignum ducimus qui accepto beneficio quamprimum spolietur. Hoc autem beneficium in proposito vita est, quam à parentibus filius accepit. Qui proinde si parentes honorando gratum se præstiterit, iustum est, vt diu seruetur in vita. Secus verò si fecerit, dignus est qui vitam quàm citissimè amittat. Nam & alibi similem rationis congruentiam attendit scriptura vt cùm dicitur: *Qui fuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius.* Gen. 9. *Qui gladium acceperunt,*
D *gladio peribunt,* Matth. 26. *Viri sanguinum dolosi non dimidiabunt dies suos,* Psalm. 54. Iustum est enim, vt qui alijs iniustè vitam adimunt, ipsi citò vitam amittant.

Porrò sicut in alijs scripturæ locis, ita & in hac promissione, longitudo vitæ, seu longitudo dierum reliquam quoque omnem vitæ fœlicitatem complectitur, idque peculiari phrasi scripturæ. Vnde in Deuteronomio, & Apostolo additum est, *Vt bene sit tibi.* Sed & alibi honorantibus parentes gloria, diuitiæ, prosperitas, omnisque benedictio promittitur, vt Pro-
E uerb. 1. & Ecclesiastici 3. Contra verò, ijs qui in parentes suos impij sunt, non mortem tantùm, sed & infœlicitatem, & ignominiam, & omnem maledictionem eadem comminatur scriptura Exod. 21. Prouerb. 19. 20. & 30. & Ezechiel. 22. vsque adeo, vt ea maledictio etiam in longam posteritatem transmittatur, vti docet exemplum Cham filij Noe Genes. 9. De quo vide sanctum Ambrosium libr. de Noe & arca cap. 30.

Sed veritas huius promissionis, quomodo consistat, nonnulla quæstio est. Multos enim
F fuisse credendum est, inquit, sanctus Hieronymus in Ephes. 6. qui & parentibus obsequentes, citò mortui sunt, & in parentes impij, vsque ad extremam venerunt senectutem. Nam vt Ecclesiastes ait capit. 9. *Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio, bono & malo, &c.* Placuit enim diuinæ prouidentiæ, inquit, Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 8. præparare in posterum bona iustis quibus non fruentur iniusti; & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona, & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupi-

lius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plærumque afficiuntur. His addere licet exempla innumerabilium martyrum; ipsiusq; martyrum Domini, & sanctissimi Baptistæ eius, qui omnes post honoratos parentes, breui vita defuncti, ab effectu huius promissionis videntur alieni. Respondemus in omnibus promissionibus terrenę felicitatis, quæ populo Israelitico, tanquam populo veteri, & carnali factæ leguntur, consequenter intelligi debere promissionem supernæ, atque ęternæ felicitatis. *Pietas enim promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ* 1. Tim. 4 sed ita vt vitæ futuræ bona simpliciter promissa intelligantur. Huius autem vitæ bona hactenus duntaxat, quatenus id vel congruit ordini gubernationis diuinæ, vel expedit saluti eorum, quibus ea promissio facta est. Rapiuntur enim quidam boni pręmatura morte, ne malicia mutet intellectum eorum Sap. 4. Rapiuntur alij, ne videant mala populi sui 4. Regum 22. & Isa. 57. Martirybus verò tum propter ipsos, tum propter publicum ecclesiæ bonum longè melius est gloriosam mortem oppetere pro Christo, quàm diu in hac vita superstites esse. Nequa tamen omnino hac promissione fraudari illos quos diximus, putandum est; quippe quibus largissimè compensatur in altera vita, quod in hac recipere merebantur, sicut non dicimus falli eum cui argentum promissum est, & redditur aurum; quemadmodum nec euadit comminationem, cui ad tempus parcitur, vt ad extremum grauiùs puniatur. Atque hoc ferè pacto Hieronymus intellexit illam euangelicam promissionem, *Omnis qui reliquerit domum* etc. *centuplum accipiet* Matt. 19. Cuius hunc sensum esse dicit: Qui carnalia pro saluatore dimiserit spiritualia recipiet, quæ comparatione, & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero centenarius comparetur.

§. 17, Ad hoc præceptum quæ sint reuocanda.

S. Tho. 2. 2. q. 118. art. 5. 9. 101. 102. 103. & 104.

REducitur ad 4. hoc præceptum imprimis reciprocum officium parentum erga filios. Nam sicut à filijs honor debetur parentibus, isque multiplex, ita vicissim parentes sui erga filios officij memores esse oportet, vt quibus patriam debent pietatem, qua proximè ad Deum accedimus, vt ait Ambrosius ep. 43. Hoc autem parentum officium & ipsũ quoq; multiplex est. Primũ diligens & sollicita filiorum educatio, vsque ad ætatem robustam. Cui debito minimè satisfaciunt matres, quæ sine iusta necessitate filios suos alijs mulieribus lactandos, & educandos tradunt, contra exemplum sanctissimarum mulierum Saræ, Annæ Samuelis, matris Machabæorum, ipsiusque matris Domini, imò contra exemplum pecudum, & ferarum. Quam prauam consuetudinem grauiter reprehendit Gregorius respondens ad interrogationes Augustini Anglorum episcopi cap. 10. & Basilius hom. 9. hexameron.

Secundum, prouidentia vitæ in posterum transigendæ. Debent enim parentes filiis thesaurizare, teste apostolo 2. Cor. 12. Sed hoc præstant, non tantum si pecuniarum thesauros, vel reditus annuos, vel latifundia filijs relinquant, quantum si honestis artibus eos instruant, quemadmodum in psalmũ septimũ scribens admonet idem Basilius.

Tertium, honesta, pia, & Christiana institutio. Huius officij Israelitas admonet Moyses Deut. 11. *Docete*, inquit, *filios vestros verba mea, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, &c.* Qua de re plura leguntur Ecclesiast. 30. Atque hoc officium diligenter executus est Abraham, quemadmodum de eo prædicat Dominus Genes. 18. Itemque Tobias, cuius sanctissima ad filium extant monita Tob. 4. & parentes Salomonis; Pater quidem 1. Paralip. 22. & 3. Reg. 1. Mater vero Prouerb. 4. & vlt. Debent autem hoc officium præstare parentes, vel per se, vel si id minus possunt, per idoneos magistros, quemadmodum hoc fieri mandat synodus Moguntina can. 45. tametsi parentes ipsi omnino ad hoc tenentur saltem aliquatenus, quandoquidem & ipsi rudimenta Christianæ doctrinæ tenere & honesta vitæ conuersatione filijs exemplum præbere debent. Vnde Hieronymus ad Lætam scribens ait: Mementote vos parentes magis exemplis docere filios, quàm voce.

Postremum est regimen, disciplina, & correctio filiorum. Qua quidem in re prudentia, & moderatio adhibenda est; vt nec iusto seuerior, nec indulgentior in filium sit parens. Nam seueritas nimia in odium & desperationem adducit. Vnde Ephesios sic admonet apostolus capite sexto. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Et Col. 3. *Patres nolite ad indignationẽ prouocare filios vestros, vt nõ pusillo animo fiant.* Indulgentia verò contẽptũ disciplinæ, & neglectũ omnis probitatis parit vt olim patuit exẽplo filiorum Heli 1 Reg 2. & quia parentes ex carnali filiorum amore, quo ferè laborãt, in hanc partem magis peccare solent, hinc frequentiores extant in scriptura commonitiones parentum ad exercendam disciplinam, vt Prouerb. 22. & 23. Eccle. 7. & 30.

Reuocantur præterea ad præceptum, & alia quædam breuiter à nobis recensenda. Primùm mutua debita, atque officia omnium eorum, qui sanguine, vel affinitate, vel patria, vel habitatione coniuncti sunt. Vnde & ordo charitatis in his maiorem dilectionis affectum, atque effectum postulat, & propter honorem, qui debetur sanguine iunctis, prohibitum est in quibusdam consanguinitatis gradibus matrimonium.

Secundò, coniugum mutua inter se charitatis, atque honoris officia. Nam & vir vxorem diligere debet. sicut seipsum, & sicut Christus dilexit ecclesiam; & mulier vicissim viro suo amorem, subiectionem, & obedientiam præstare tenetur quemadmodum scriptura docet Ephes. 5. Col. 3. 1. Petr. 3.

Tertiò, ea officia quorum serui Dominis, & contrà Domini seruis debitores sunt. Nam Dominos à seruis suis patres vocari solitos ostendit exemplum Naaman Syri 4. Reg. 5. De vtroque autem frequentia sunt Apostolica præcepta Ephes. 6. Col. 3. Tit. 2. 1. Petr. 2. Item Ecclesiast. 7. & 33. Iubentur autem serui Dominis obedire, non bonis tantùm, & modestis, verùm etiam discolis; ita duntaxat vt in Domino, id est, in his tantùm, quę secundùm Deum sunt, hoc est, quę Dei

præcepto non aduersantur, obedientiam debeant. Quod idem in omni obedientia hominibus debita similiter est intelligendum.

Quartò, pertinent huc officia subditorum erga principem,& magistratum, & horum vicissim erga illos. De quibus quid sibi mutuò debeant, extant per vniuersam scripturam plurima, & saluberrima præcepta,ac nominatim in epistolis Apostolicis, vt Rom. 13.1.Timor.2.Tit.3.1.Pet.2.

Quintò, officium plebis Christianæ erga præfectos Ecclesiasticos,& contrà. Quod enim præfecti ecclesiæ potestatem habeant præcipiendi, legesque condendi, quibus fideles parere teneantur, alibi latiùs aduersus hæreticos disserendum. Nunc sufficiat hæc scripturæ loca annotasse,Deut.17.Matth. 16.& 18.Luc.10.1.Corinth.14.& Hebr.13 Estque simile iudicium de officio religiosorum erga suos præpositos, & contrà.

Postremò huc reuocanda sunt ea,quæ discipuli præceptoribus ac vicissim præceptores discipulis debent,& rursum, quæ minores senioribus, & contrà. Sicut enim illi honorem, amorem & reuerentiam istis debent, ita hi vicissim, præceptores quidem omni cura, & sollicitudine incumbere in rectam discipulorum institutionem, tam morum, & pietatis, quàm doctrinæ; seniores verò minoribus omni honestate & grauitate,atque virtutum exemplis præire, ac prælucere tenentur.

§. 18. *Quinto præcepto quæ prohibeantur.*

S.Tho.2.2.q.64.& seqq.& q.122 art.6.

AD sensum huius præcepti,quo dictum est:*Non occides*,explicandum,facit imprimis quod contra superstitiosum Manichæorum dogma monet S. Augustinus libr.1. de Ciuitate Dei,capit.20.neque dictũ hoc esse de frutetis, quia nullus est eis sensus; neque de animantibus irrationalibus, quia nulla nobis ratione sociantur (vnde,inquit,iustissima ordinatione creatoris, & vita, & mors eorum nostris vsibus subditur)ac proinde restare,vt de solo homine dictum sit.

Et sanè de bestijs, & omni plantarum genere, quòd in alimentum hominum licitè conuertantur, (quod nisi occidantur, fieri non potest)clarè ostendit Moyses Gen.1.& 9.

Cæterùm de homine non occidendo primum generi humano à diluuio præceptum datum est Genes.9.& primum inter præcepta decalogi à Christo explicatum est. Matt.5. & primum pòst lapsum hominis à Cain violatum, à Deo grauissimè vindicatum est.Gen.4.Rationem verò præcepti addit scriptura Genes.9. quia ad imaginem Dei factus est homo. Quæ quidem ratio gemina est; Nam & in hominem,cuius ea est excellentia,vt solus inter omnes naturas corporeas imaginem Dei in se habeat;& in Deum,cuius imago in homine relucet,grauissimam iniuriam committi significat. Quibus adde, quod qui hominem occidit,quantum in se est, vniuersum Dei opus euertit, cùm hominem tollat, cuius causa à Deo cætera facta sunt.

Neque hìc audiendi sunt, qui hoc præceptum postponunt præcepto, *Non mœchaberis*,idque vel ordine decalogi, vel grauitate transgressionis, quemadmodum faciunt Philo Iudæus vno atque altero loco,& Clemens Alexãdrinus lib.6. Strom.Quamuis enim Paulus Roman.13. & Iacob.2. Mœchiam homicidio præposuerunt (quacunque id causa ab eis factum sit) certum tamen Moysen in Exod. & Deuteron. nostrum, quem diximus, ordinem seruasse, quem & 70 & cæteri interpretes sequuntur; cum quibus etiam consentit Iosephus libr.3. antiq. cap.6.Quin & Christus quæ sint mandata interrogatus, Matt 19 & Luc.18. in sua enumeratione exordium facit ab homicidio.

Nunc priusquam quid hoc pręcepto prohibeatur,dicamus, priùs dicendum, quæ hominis occisio non sit prohibita, per quod simul & sensus præcepti apparebit. Scribens de hac re Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei,cap.21. Quasdam,inquit,exceptiones eadem ipsa diuina fecit authoritas, vt liceat hominem occidi;quem videlicet Deus occidi iubet,siue data lege,siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem tunc ipse homo occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius vtenti:Et ideò nequaquam contra hoc pręceptum fecerunt, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm eius leges,hoc est iustissimæ rationis imperio,sceleratos morte punierunt. Et Abraham nõ solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et paucis interpositis concludit. His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit,homicidij crimine innectitur. Hęc ille.Ex quibus liquet hunc esse præcepti sensum.Non occides hominem humana temeritate,siue quod eodem recidit,humana authoritate. Hoc quamuis dum fit, priuata authoritate plærumque fiat, fit tamen interdum etiam publica potestate,si quis ea non rectè vtatur.Rectum autem vsum demonstrat Apostolus Rom. 13. dicens: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Et iterum: *Dei minister est tibi in bonum,si autem malum feceris,time. Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei,qui malum agit* Quomodo ergo,inquit Innocentius 1.epist.3. decretal.capit.3.repræhenderent factum,quod authore Deo viderent esse concessum? Hinc ad iudices generaliter,& sine exceptione per Moysen dicit Dominus Exod.23. *Insontem,& iustum non occides,quia auersor impium.*

Quapropter improbabilis est, & scripturis parum consentanea eorum opinio, qui ex allegatis & probatis innocentem condemnari posse putant. Neque verò quemlibet malefactorem quomodolibet occidere iudici licet, sed eum tantùm qui recto,& publico iudicio malefactor, & morte dignus esse conuincitur. Hinc illæ iudicandi leges in Deuter.17.& 19. *In ore duorum,aut trium testium peribit qui interficietur: Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium; Non stabit testis vnus contra alterum, quicquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*Qui verò malefactores iustè puniantur morte inter quos haud dubiè falsi prophetæ,& doctores,secundùm scripturam Deut. 13 & 17.& Zach 13.numerandi sunt,non huius loci est exactè prosequi.

Addendum nunc breuiter, quæ peccata ad occisionem hominis hoc præcepto prohibitam reuocari debeant.

Et primò quidem ea huc reuocantur, quibus homo secundùm corpus læditur, aut malè tractatur;vt verberare,vulnerare, mutilare, quæstionibus seu tormentis subijcere,incarcerare,aliæque similes iniuriæ.

Secundò, actus ad cædem, vel supradictas in-

[A] tarias præparatorij, vt coniuratio, armorum gestatio, gladij eductio.

Tertiò, verborum iniuriæ, quæ sunt in multiplici genere de quibus Saluator Matth. 5. & Psalm. 52. & 56. vt contumelia, minæ, detractio, derisio, maledictum, & similia, quatenus ordinem aliquem habent ad corporalem hominis læsionem. Alioqui ad 8. præceptum reuocantur.

Quartò, actus interni, quibus animus mouetur ad nocendum corpori proximi. De quibus item Matth. 5. Sunt autem ira, odium, dissensiones, suspiciones, [B] æmulationes, desiderium mortis, vel aduersitatis proximi, aliaque his similia.

Quintò, ea, per quæ quis cooperatur homicidio, vel alijs supradictis proximi nocumentis; vt iussio, consilium, petitio, consensus, silentium, & eiusmodi, quibus adde gaudium de morte proximi.

Postremò, omissiones eorum actuum, per quos supradicta peccata possent, & deberent impediri. Qua parte sæpe peccant principes, & iudices dum in homicidas, latrones, concussores, & percussores hominum, non ita, vt oportet, animaduertunt, vel [C] non eos vti debent, seruantur.

Imprimis autem cum transgressoribus huius præcepti reputandi sunt, non modò, qui, vel quæ, fœtus in vtero iam animatos pharmacis aliove modo extinguunt, vel eorum abortum procurant, & qui grauidas mulieres ita verberant, aut perterrefaciunt, vt exinde fœtus moriantur (nam hi simpliciter homicidæ sunt) verùm etiam illi, qui sterilitatem procurant, vel quoque modo impediunt, ne fœtus animetur, aut non concipiatur. Hi enim etsi simpliciter homicidæ non sint, quia hominem non occidunt, humanæ tamen vitę præstant impedimentum, [D] & ideo cum homicidis partem sortiuntur. De hac re scripturam habemus. Exod. 21. secundùm LXX. Sed & canones huiusmodi peccata grauissimè puniunt, vt patet lib. 5. decretal. tit. de homicidio cap. si aliquis ex concilio Wormaciensi. Item in sexta synodo cap. 91. & in conc. Ilerdensi cap. 7.

§. 19. *Quòd neminem liceat seipsum interficere.*

S. Thom. 2. 2. q. 64. ar. 5

[E] QVinti præcepti violatores sunt ij vel maximè, qui seipsos interficiunt. Nam, vt ait Augustinus libr. 1. de Ciuitate, capit. 17. Si non licet priuata potestate alicui hominem occidere, vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit; profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est, & tantò fit nocentior, cùm se occiderit, quantò innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit, &c. & cap. 20. Non frustrà in sanctis, canonicisque libris nusquam nobis diuinitus præceptum, permissumne reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius carendi, cauendiue mali caussa, nobilmetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait: [F] *Non occides*, præsertim quia non addidit, proximum tuum, sicut falsum testimonium, cùm vetaret: *Falsum*, inquit, *testimonium non dices aduersus proximum tuum*. Nec ideo tamen si aduersus seipsum, quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum; quoniam regulam diligendi proximum à seipso dilector accepit, quandoquidem scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Et quæ sequuntur. Atque hanc doctrinam magis etiam cōfirmat per aliquot capita sequentia, ostendens quòd [A] neque ad fugiendum molestias temporales, neque ad cauenda aliena peccata, neque ad vindicandum sua peccata præterita, neque propter spem vitæ melioris post mortem, nec denique propter declinationem peccati à se committendi, cuiquam seipsum interficere liceat. Cuius perspicua ratio est, quia iuxta Apostolum, non sunt facienda mala, vt eueniant bona; neque committendum est peccatum certum, vt euadas incertum. Neque omnino vllum est peccatum, in quod necesse sit hominem incurrere, si non sibi ipsi violentè vitam auferat. Sunt autem & [B] alia apud Augustinum loca, quibus potissimùm cōtra Donatistas ostendit huius sceleris magnitudinem, vt libr. 1. contra Gaudentium cap. 30. & 31. lib. 2. contra lit. Petil. cap. 49. tractat. 51. in Ioan. vbi id probat duobus scripturæ testimonijs, lib. de patientia cap. 12. & epist. 61. Clara quoque est Hieronymi sententia scribentis in 1. caput Ionæ: Non est nostrū, inquit, mortem arripere, sed illatā ab alijs libēter excipere. Vnde & in persecutionibus, non licet propria manu perire. Quin & scriptores Ethnici quàm hoc sit legi naturæ contrarium, intellexerunt. [C] Nam Aristoteles libr. 3. Eth. cap. 8. Mortem subire, inquit, vt fugias inopiam, vel captiuitatem, vel quamcumque molestiam, non est viri fortis, sed timidi. Nam laboriosa fugere, nec quia honestum est, id facere, sed ne malum patiaris, ignauiæ est. Plato quoque referente Cicerone in libr. de Senectute, negabat iniussu imperatoris de statione decedendum esse, id est, antequam Deus vocaret, è vita migrandum.

Quod autem de occisione dictum, hoc de mutilatione similiter intelligendum est. Sicut enim homo non est dominus vitę suæ, ideoq; seipsum occidere non debet, ita nec dominus est membrorum [D] suorū, & proinde nec ipse sibi, nec ipso iubente, vel consentiente, alius ei membrum auferre potest, nisi forte id necessarium iudicetur ad totius corporis conseruationem. Nam pro salute animæ suæ, ad euitandum peccatum, nunquam id licitum est. Non enim integritas membrorum aliquando causa est peccati, sed sola voluntas. Vnde meritò à Patribus reprehensus fuit Origenes, quòd incontinentiæ vitandæ caussa, seipsum castrauerit, perperam intelligens scripturam Matth. 19. quæ non corporalem membrorum truncationem laudat, sed propositum [E] perpetuæ continentiæ voto firmatum commendat. De hac re decretum extat in synodo Nicæna can. 1. & in concilio Arelatensi c. 7. & in epist. decret. Innocentij 1. ad Felicem cap. 1.

Quid verò de sanctis quibusdam virginibus respondendum sit, quæ tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, in flumen se præcipitarunt, videre est apud Aug. lib 1. de Ciu. c. 16. vbi probabile esse putat diuino iussu vel instinctu hoc ab eis factum fuisse, sicut de Samsone, quòd spiritu Dei latēter incitatus seipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, affirmat eiusdem lib. cap. 21.

Quo autem loco sit habendum factum Raziæ, [F] 2. Machab. 14. qui ne indignè tractaretur ab infidelibus, semetipsum interficiendo conatus eorum præuenit, idem August. docet lib. 2. contra Gaudentium c. 23. & epist. 61 ostendens neque laudandum, neque imitandum esse exemplum, sed tale potiùs, quod iustam reprehensionem mereatur.

§. 20. Scha

§. 20. *Bella licitè geri à Christianis principibus.*

S. Thom. 2. 2. q. 40. NOn aduersantur præcepto, *Non occides*, neque omnino illicita sunt Christianis bella, siue defensiua, siue inuasiua, dummodo eis adsint hæc tria: iustitia caussæ, potestas publica, & intêtio recta. Nā defensiua quidem ea eo licita sunt, quia vim vi repellere licet, præsertim si primam in republica authoritatem habet, qui id facit. Inuasiua verò, quæ eadem vindicatiua, quia respublica perfecta necessariò requirit potestatem vindicatiuam, non tantùm contra domesticos, atque internos eius perturbatores, verùm etiam contra externos. Quæ potestas si desit, respublica perfecta non erit, neque diu consistere poterit. Hæc igitur ratio à perfectione reipublicæ sumpta, principem eius constituit iudicem omnium eorum, qui eam perturbant, vt causa cognita, prout iustitia postulat, contra eos, tanquam reipublicæ perturbatores, vindicando procedat. Vtriusque generis bella in scripturis veteris testamenti, Deo probante & adiuuante, atque interdum etiam iubente, gesta legimus, ab Abraham, Moyse, Iosue, Gedeone, Saule, Dauide, alijsque ducibus, ac regibus populi Israelitici.

Ob quas autem caussas iustè bella gerantur, ea potissimùm, quæ vindicatiua dicuntur, docet Augustin. quæst. 10 super Iosue his verbis: Iusta bella definiri solent, quę vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.

De authoritate verò belli gerendi ita scribit lib. 22. contra Faustum cap. 75. Interest quibus authoribus homines bella gerenda suscipiant. Ordo enim naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes principem sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi: Et paulò pòst rursum de militetia loquitur: Vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans; cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrùm sit certum non est, ita vt fortassè reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Quæ tamen Augustini verba cùm de solo eo milite loquantur, qui & iustitiæ amans sit, & principi ad obediendum sit obligatus; neutiquam extendenda sunt ad eos, qui vel securi iustane sit causa, propter quam bellum suscipitur, an iniusta, solum quæstum spectant; vel vbi causa dubia est, vltro ac citra necessitatem, obedientiæ sese ad militiam offerunt.

Quænam verò sint ea, per quæ bellum, vel iniustum, vel saltem illicitum efficiatur, præsertim rectæ intentionis defectu idem ostendit Augustinus cap. 74 eiusdem libri, his verbis: Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominādi, & si qua similia, hæc sunt, quę in bellis iure culpantur, quæ plærumque, vt etiam iure puniantur, aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum ordine inueniuntur, vbi eos, vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire, iustitiæ ordo ipse constringit. Hæc sanctus Augustinus. Ex quibus patet quibus ferè modis contingat in bellis suscipiendis intentionem deprauari.

Ad probandum autem licitè bella geri, & suscipi, præter scripturas veteris testamenti, vtitur ibidem, & alibi sanctus Augustinus his scripturis. Luc. 3. militibus ad se venientibus, & præcepta vitæ requirentibus, Ioannes non præcipit vt militiam deserant, sed vt neminē concutiant, & vt suis stipendijs contenti viuant. Matth. 22. *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris*
B *sunt.* Roman. 13. *Non est potestas nisi à Deo. Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Si malum feceris time, non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* Matth. 8. Centurio habens sub se milites laudatur. De quo ibidem sanctus Augustinus: Meritò Dominus illius Centurionis fidem laudauit, non militiæ desertionem imperauit. Idemq; de Cornelio Centurione Actor. 10. dicere licebit, quod Petrus eum baptizaturus, fidem ab eo exegit, non militiæ cingulum deponere pręcepit. Idem à Luca vocatur re-
C ligiosus, ac timens Deum: Et habuit militem metuentem Dominum. Plura videre est pro huius doctrinę confirmatione apud Augustinum epistolas. & 205. Item lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 21. libr. 4. cap. 15. libr. 19. cap. 7. & 15. & libr. 22. cap. 6. Eadem est Ambrosij doctrina lib. 1. officiorum cap. 29. 35. 40. & 41. Est & locus apud eundem serm. 7. qui ab alijs Maximo asscribitur. Et in decreto Gratiani de hac re complura extant capitula 23. q. 1. & seqq.

Hæc porrò satis ostendunt, quàm non rectè sentiant, qui hac tempestate docuerunt euangelicæ
D mansuetudini repugnare, quòd bella geruntur à Christianis principibus. Cùm & Moyses, qui fuit vir mitissimus super terram Num. 12. & Dauid, cuius singularis quoque mansuetudo prædicatur psal. 131. bella gesserunt. Absurda verò prorsus, & in Christianos principes admodum iniuriosa est ea cuiusdam assertio; bellum non aliud esse, quàm commune multorum homicidium, ac latrocinium, nec aliud milites, quàm stipendiarios, & in reipublicæ exitium armatos latrones. Quamuis rectè de bellis iniustis, & sola dominandi libidine susceptis, aliquid tale dictum sit ab Augustino libr. 4.
E de ciuit. cap. 6. his verbis: Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regnādi cupiditate conterere, & subdere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum est? Nam & cap. 4. de regnis ait: Remota iusticia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parua regna? Ac deinde subijcit quid pirata quidam Alexandro magno responderit.

§. 21. *An cuiquam priuato liceat inuasorem occidere pro sui defensione?*

F

DIfficilior quæstio est, vtrùm qui se, suaque defendens contra inuasorem seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vt loquuntur, eum occidit; impingat in hoc decalogi præceptum, aut omninò peccare dicendus sit. Ita enim docere videntur, Ambrosius & Augustinus, quorum ille lib. 3 offic. cap. 4. sic habet: Quærunt aliqui, si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam extorquere possit, vtrùm debeat? Mihi quidem etsi præ- S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7.

stabilius

tabilius communi videatur vsui, sapientem de naufragio, quàm insipientem euadere, tamen non videtur, quòd vir Christianus & iustus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat, vtpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, nedum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in euangelij libris aperta, & euidens sententia est: *Reconde gladium tuum: Omnis enim, qui gladio percusserit, gladio ferietur, &c.* Idem in illud Luc. 22. *Omnis qui gladio, &c.* dicit referire vsque ad euangelium licuisse. S. Augustinus verò in epistola ad Publicolem 154. De occidendis hominibus, inquit, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium; nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruat personæ. Et libr. 1. de libero arbitrio capit. 5. Non ergo lex iusta est, quæ dat potestatem vel viatori, vt latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat; vel cuipiam viro, vel fœminæ, vt violenter sibi stupratorem irruentem, ante illatum stuprum, si possit, interimat. Et postea: Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non inuenio. Et rursum: Quomodo enim apud Deū sunt isti à peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Et lib. 22. contra Faustum cap. 70. de Moysi facto disserens ait: Consulta æterna lege, reperio non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamuis iniuriosum, & improbū, occidi & quæ vsque ad finem cap. sequuntur. Simile quid habet quæst. 2. in Exod. vbi de eodem Moysi facto cùm quæreret, vtrùm omnino iustificandum sit? Quod ideo, inquit, non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam diuinitus, nec humana societate ordinatam. His accedit decretum Nicolai Papæ, quod est apud Gratianum distinction. 50. his verbis: De his clericis, pro quibus consuluistis, scilicet, qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati, possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere, scito nos nullam occasionem dare, nec vllam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. In eadem sententia videtur esse Bernardus, qui in lib. de præcept. & disp dicit eum, qui necessitate sese defendendi altum occiderit, esse in culpa, licèt minori, quàm si inuasisset.

Huc præterea pertinere videntur scripturæ Matth. 5. *Ego dico vobis, non resistere malo,* Roman. 12. *Non vosmetipsos defendentes.* Et illud Petro dictum à Domino, quem defendere volebat: *Omnis qui gladium acceperit, &c.* Qua scriptura Ambrosius vtitur. Ac postremò præceptum decalogi, *Non occides.* Quæ omnia cędem ab homine priuato fieri, etiam pro sola sui. suorumue defensione prohibere videntur.

Sed contrariam opinionem probabiliorem efficit, lex naturæ, ratio, & authoritas. Lex enim naturæ, quam pulchrè explicat Cicero in oratione pro Milone dictat iustè vim vi repelli, præsertim si id fiat cum moderamine inculpatæ defensionis. Quam legem confirmat, non modò ius ciuile, sed & ius canonicum dist. 1. apud Gratianum cap. ius naturale, imò & lex diuina Exod. 22. vbi nocturni furis percussor tanquam innocens absoluitur.

Ratio quoque aperta esse videtur, quia qui hoc pacto interimit inuasorem, non priuata, sed publica authoritate id facit; si quando & lex naturæ, & lex positiua, eum qui inuaditur, vel eius socium, si aliter

A euadere non potest, facit ministrum publicæ iustitiæ; non quidem ad vindicandum (posset enim vindicta differri in aliud tempus) sed ad defendendum se, & sua ab iniuria inuadentis. Quæ res, cùm periculum habeat, dilationem non patitur. Atque hæc ferè doctorum communis est sententia, maximè recentiorum. In quam etiam concedit catechismus ad parochos, his verbis: Si quis salutis suæ defendendæ causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege, *Non occides*, non teneri satis apparet.

Neque sanè veteres, ab hac sententia inueniuntur alieni. Nam Cyrillus lib. 1 in Ioan. cap. 35. B Vndenam, inquit, Petrus gladium habuit? deinde respondet. Quia secundùm legem gladio se defendere licebat, idcirco gladium quoque ferre licebat. Et supra. Nam si vi multitudinis inuitus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis debuissent illum discipuli defendere. Et rursum: Sed intentio Petri, qui gladium aduersus hostes accepit, à mandato legali non fuit aliena, &c. & Ambrosius lib. 1. offic. cap. 36. Neque in inferenda, sed in depellenda iniuria, lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vicio, quàm ille, qui facit. Et exemplum è scripture proferens subiungit, C Vnde sanctus Moyses hinc priùs orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem, defendit, ita vt Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait: *Eripe eum, qui ducitur ad mortem, &c.* Non est autem dubitandum, quin si hoc pacto defendere socium liceat, liceat & seipsum. Huic quoque sententiæ fauere putant Augustini verba in epistola ad Publicolam, post ea quæ in alteram partem suprà citata sunt, proxmè sequentia: Qui verò, inquit, repelluntur aliquo terrore, etiam D ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est. Non resistamus malo, nec nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non vt correctionem hominum negligamus. Vnde nec reus est mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat. Neque Paulus quoniam satis egit vt in tribuni noticiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis præparari, & iam ob hoc de E ductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum, suum crimen agnosceret. Absit vt ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus; si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur, & quæ sequuntur. Sed ibi Augustinus de ijs tantùm loquitur defensorijs instrumentis, quæ hominem etiam quiescentem defendunt. Vtrùm autem velit idem esse iudicium de ijs, quibus homo ipse se defendit, vt est gladius, aut quodcunque telum, quo etiam mors inferri F solet, haud satis liquet, præsertim cùm eius expressionem quæstio, quam tractat, omnino exigeret.

Iuxta hanc igitur probabilem sententiam, licitum est se, suaque defendere, vtendo ad hoc instrumentis etiam talibus, ex quibus mors inuasoris sequatur; dummodo defensor non aliud spectet, quàm defensionem, eamque moderatam, nequaquam occisurus inuasorem, si qua alia ratione se, suaque salua retinere posset. Nam si vel immoderata eit defensio, vel vindictæ cupiditatem habeat coniunctā, non erit immunis ab homicidij peccato,

si mors

si mors inuasoris consequatur. Et quoniam illa duo ferè defensioni aduersus inuasorem susceptæ coniuncta sunt, inde fit vt patres interdum ita loquantur, quasi ea simpliciter illicita sint, nimirum sentientes difficillimum esse homini, vt dum in sui defensione contra violentum hostem versatur, vel manum ab immoderato defensionis actu, vel animum ab omni vindicandi studio compescat.

Scripturæ verò quæ pro eadem sententia obijciebantur, non defensionem, sed vindictam fieri à quopiam priuata authoritate prohibent, quemadmodum & modò citata S. Augustini verba locum Matth. 5 exponunt, & perspicuè ostendit locus Roman. 13 Vbi pro eo, quod nos legimus, *Defendentes*, Græca vox est quæ vindicantes significat. Nam & hoc sequitur, scriptum esse, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.*

---

§. 22. *Sexti præcepti declaratio, & quæ huc pertineant.*

S.Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. 2. & q. 153. a. 4. & q. 153. & quæst. 154.

PRæceptum, *Non mœchaberis*, etsi expressè tantùm adulterium prohibeat, sub eo tamen, & cætera omnia, seu adulterio grauiora, seu minùs grauia impudicitiæ peccata, prohiberi censetur. Vnde Augustinus quæst. 71. in Exod Si, inquit, furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ; profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi.

Est autem adulterium triplex, vel coniugati cum soluta, vel soluti cum coniugata, vel coniugati cum coniugata. Quæ eo ordine se habent, vt cùm omne adulterium sit graue peccatum, atque in sacris literis vehementer exaggeratum Iob. 31. Prou. 6. & Ecclesiast. 23. inter tria hęc tamen, postremum reliquis duobus & secundum primo grauitate præponderat. Quod si hoc præceptum cum proximè sequenti conferamus, inueniemus quoque adulterium, sicuti homicidio minus, vti suprà ostendimus, ita furto grauius, quemadmodum locus Prouerb. 6. perspicuè ostendit, & ipsa ratio conuincit. Sicut enim grauior est iniuria, quæ homini in propria infertur persona, quàm quæ in persona coniuncta, & socia; ita & hæc grauior, quàm quæ ei infertur in rebus exterioribus, quas possidet.

Porrò vti diximus, ad adulterium reuocantur reliquæ omnes impudicitię, seu incontinentiæ species, & proinde eodem hoc præcepto vetitæ censentur.

Primo igitur huc pertinet fornicatio simplex, quæ est soluti cum soluta commixtio, cum exclusione aliarum circumstantiarum, quæ alias peculiares, & grauiores impudicitiæ species constituunt. Eam huc reuocandam docet Augustinus quæst. 71. super Exod. De cuius peccati grauitate proximo capite dicemus. Hoc tantummodo adijcimus grauiorem esse eam fornicationem, quæ cum ijs, quæ publicè corpora prostituunt, committitur, idque propter grauiorem, quæ nascituræ proli infertur, iniuriam. Sicut & concubinatus (qui fornicationis simplicis quædam species est) ex eo grauior existit, quia peccato fornicationis superaddit statum, & permanentiam in peccato seu continuam & quasi vxoriam cum fornicaria muliere consuetudinem.

Secundò pertinet huc stuprum, quo videlicet extra matrimonium virgo defloratur, & corrumpitur. Propter quam integritatis corporeæ violationem, grauius est hoc peccatum fornicatione simplici, legibusque seueriùs punitur.

Tertiò raptus, quo nimirum mulier quæcunque inuita, & repugnans, ad concubitum opprimitur; vel omnino inuita rapitur, etiamsi postea in concubitum consentiat; vel denique inuito parente, marito aut custode corporis eius, ipsa licèt consentiens eripitur. Estque hoc peccatum ex genere suo, stupro grauius.

Quartò incestus, qui committitur dum quis cum ea, quæ sanguine, vel affinitate coniuncta est in gradu iure prohibito, citra legitimam dispensationem, sine qua matrimonium consistere non possit, commiscetur. De hoc leges extant Leuit. 18. & in iure tam ciuili, quàm canonico. Præcipua autem ratio cur huiusmodi concubitus per se sit illicitus, hæc est; quia naturaliter quisque honorem debet parentibus, & consequenter alijs propinquis. Cui honori ea turpitudo, quæ sexuum commixtionem comitatur, maximè contraria est Vnde Augustinus libr. 15. de Ciuit. cap. 16. Nescio, inquit, quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, vt cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat quamuis generatricem tamen libidinem, de qua erubescere videamus & ipsam pudicitiam coniugalem. Et lib 2. cap 4. Habet enim quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre Sic ille. Est autē eo grauius, & abominabilius hoc peccatum, quo coniunctior est persona cum qua committitur. Nec dubium quin superioribus peccatis, ipsoque adulterio simpliciter grauius existat.

Quintò sacrilegium, quod fit quoties vel persona sacra contra votum castitatis, vel locus Deo dicatus polluitur. Estque ratione circunstantiæ superioribus ex genere suo grauius.

Sextò, ea quæ contra naturam committuntur, vt mollicies, Sodomia, bestialitas & si quid simile est. Quæ quidem omnibus supradictis haud dubiè ex genere suo grauiora, magisque sunt abominanda. Dicuntur autem contra naturam committi, naturali vsu atque ordine relicto, vt Apostolus loquitur Roman. 1. quia fiunt præter eum vsum, vnde natura humana potest nascendo subsistere, quemadmodum exponit Augustinus libr. 3. contra Iuliā. cap. 20.

Præter has autē luxuriæ species iam enumeratas (quibus adulterium si adiungas, septem in vniuersum euadunt) huc reuocanda sunt quæcunque ad perfectum inconcessæ libidinis actum disponunt, aut quocunque modo inducunt, aut inducere nata sunt, cuiusmodi sunt oscula, tactus, oculus impudicus, scurrilitas, turpiloquium (sub quo & audire & legere turpia multoque magis ea scribere comprehensum, intelligi oportet) impudici motus, saltationes, spectacula, cantilenę, lasciuus corporis ornatus, aliaque eiusmodi; Quæ singula ad eam reuocanda sunt speciem, ad quam pertinet ipsius actus complementum.

Postremò sciendum est quod quamuis generaliter omnis vsus libidinis extra matrimonium sit lege Dei prohibitus, non tamen contrà existimādum est eum, si intra matrimonij fines contineatur, semper peccato carere. Nam & mortaliter, & venialiter in actu coniugali peccari contingit, quemadmodum pleniùs docetur vbi de matrimonio agitur dist. 31. lib. 4.

§ 23. Sim-

A

§. 20. *Simplicem fornicationem esse peccatum mortale.*

S.Tho 2. 2.q.154. ar.2.q.15 de malo. ar.2.2.2. q 10.ar. 2.in C.

QVam graue sit impudicitiæ cuiuſcunque peccatum, inde licebit agnoſcere, ſi oſtenderimus ſimplicem fornicationem, quæ inter omnes luxuriæ ſpecies minima eſt, genere ſuo, atque omnino peccatum mortale eſſe; idque tum contra paganos apud quos fornicatio criminis loco nunquam fuit habita, vt ſatis indicatur, Actor. 15. tum contra B Hebræorum quorundam erroneam perſuaſionem, qui ex eo quod in decalogo ſolum adulterium expreſsè nominatum eſt, nudam fornicationem lege decalogi vetitam non eſſe, putauerunt. Quorum etiam opinioni Chriſtiani quidam parum Chriſtianè ſapientes alludere non ſunt veriti, dum vel aſſerunt non eſſe illud peccatum mortiferum; vel ſaltem dubium, & problematicam eam volunt eſſe quæſtionem. Sed longè nobis aliud ſcripturæ, patrumque authoritas, ijſque conſentiens ratio commonſtrat.

Scriptura enim fornicationem omnem crimen C vocat, atque à regno Dei excludere docet. Ita enim ad filium Tobias ait cap. 4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.* Quæ verba non obſcurè ſignificant omnem Veneris vſum extra matrimonium, crimen eſſe. Manifeſtiùs autẽ & frequentiùs in noui teſtamenti ſcriptura, id explicatum habemus, vt Roman. 1. vbi fornicatio ijs annumeratur peccatis, quæ qui faciunt, digni ſunt morte. Item 1. Corinth. 6. *Neque fornicarij*, inquit, *neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Et paulò pòſt in exaggerationem huius D peccati, ita loquitur: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis?* Et rurſum: *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus eſt. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritusſancti, qui in vobis eſt quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri. Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro* Facit ergo iuxta Apoſtolum grauem Deo iniuriam, eumque iam in corpore ſuo portare non poteſt, imò de templo illum ſuo atque habitaculo E turpiter expellit, qui corpus ſuum, id eſt, Dei templum, fornicatione, vel quacunque immundicia polluit. Quod quàm grande ſit crimen hęc eiuſdem Apoſtoli verba ſignificant cap 3. eiuſdem epiſtolæ: *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Alia loca ſunt Epheſ. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Hebræor 13. *Fornicatores, & adulteros iudicabit*, id eſt, condemnabit, *Deus.* Apocal. 21. *Fornicatoribus pars erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Sed & alibi hoc peccatum ijs annumeratur, quæ mortalia ſunt, & à F regno excludunt, vt Matth. 15. Marc. 7. Corinth. 5. 2. Corinth 12. Galat. 5 Coloſſ. 3. Neque verò lex vetus hoc crimen penitus intactum reliquit. Nam Deuter. 22. ſic dicitur: *Si non eſt in puella inuenta integritas, educent extra domum patris ſui, & lapidabunt eam; quia fecit nefas in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui.*

Scripturis conſonat patrum doctrina, quemadmodum videre licet in eorum commentarijs ad ſupradicta ſcripturæ loca. Aperta eſt autem, & definita Chryſoſtomi ſententia hom. 22. in 2. Corinth. 10. Quoties ſcortatus es, toties damnaſti teipſum.

A Et Theodoretus in 1. Corinth. 6. peccati huius magnitudinem grauiter exaggerat. Vnde & in decretis 2. 2. quæſt. 1. cap. prædicandum, mortiferis peccatis, pro quibus ſeueriorem exigebant canones ſatisfactionem, connumerata legitur fornicatio his verbis: Noſſe debent talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio ſponte commiſſo, & de cæteris criminalibus vitijs.

Rationem denique ſi conſulamus, nihil iam dictis diuerſum videbitur. Fornicatio namque ex ſe, & ex genere ſuo vergit in notabile nocumentum B prolis, quę nata eſt ex concubitu procreari, quia nimirum rectam eius educationem impedit. Ad eam enim requiritur, & certitudo patris, & vtriuſque parentis cohabitatio, & mutua ad cohabitandum obligatio, & amor tam parẽtum mutuus, quàm amborum erga prolem procreatam; denique cura, & prouiſio prolis de recta eius educatione, & inſtitutione. Quæ cuncta, vel omnino, vel magna ex parte deficiunt in educatione prolis extra matrimonium ſuſceptæ. Hanc rationem doctè explicatam cum ſolutione ſex argumentorum quæ in contrarium obijci poſſunt videre eſt apud ſanctum Thomam 2. 2. quæſt. 154. art. 2. & quæſt. 15 de malo art. 2. vbi ge- C neraliter docet omnem inordinatum actum, & appetitum completum luxuriæ, eſſe peccatum mortale, ſoluens 18. argumenta in contrarium. Idem 2. 2. quæſtion. 10. art 2. dicit hanc, fornicatio eſt mortale peccatum, eſſe veram ſecundùm fidem, & intelligit vniuerſaliter, vt ibi patet.

Sciendum tamen eſt in ſacris literis eam rationem magis inculcari, quæ ſumitur ex turpitudine facti, & quæ eam ſequitur, proprij corporis, atque adeo ipſius Dei iniuria, quemadmodum oſtendunt loca, Roman 1. & 1 Corinth 6. Nam ratio iam illa- D ta, tametſi bona, & ſolida videtur; tamen adhuc locũ haberet etiamſi actui fornicationis nulla coniuncta eſſet libidinis fœditas, quam in huiuſmodi peccatis potiſſimùm attendunt & deteſtantur ſcripturę.

§. 24. *Ebrietas qua decalogi parte prohibita, & quàm grauе ſit peccatum.*

S.Tho. 2. 2.q.150.

ADea, quæ ſexto hoc præcepto prohibentur, E reduci poteſt ebrietas, atque in genere gulæ peccatum, duplici ratione; tum quia guſtus, circa quem gula verſatur, ſecundùm phyſicos quidam tactus eſt: prohibet autem ſextum hoc præceptum ea peccata, quæ in delectatione tactus conſiſtunt; Tum quia libidinem prouocant gulæ peccata. Nam vt ait Sapiens Prouerb. 20. *Luxurioſa res vinum.* Et Apoſtolus Epheſ. 5. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Itemque Ierem. 5. & Ezech. 16. ſaturitas, adulterij, & Sodomitici peccati cauſſa memoratur. Vnde Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum ait: E- F ſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt. Et in 1. cap. epiſtolæ ad Titum: Vbicunque ſaturitas, atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur, &c. Poteſt autem & ad quintum præceptum reuocari vicium gulæ, idque ſimiliter duplici ratione; tum quia guloſi, & ebrioſi per intemperantiam plærumque ſuam ipſi valetudinem lædunt, vitam abbreuiant, ſuique quodammodo interfectores ſunt, quemadmodum latè oſtenditur, Prou. 32. & Eccleſiaſt 19. 31. & 37. Quo loco hæc eſt memorabilis ſententia: *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.*

Qua

A Qua de re etiam videre est Ambrosium libr. de Helia & ieiunio. Et Sanct. Hieronymum lib. 2. contra Iou. Tum quia ebrietas sæpe suscitat rixas, contentiones, & pugnas, è quibus deinde vulnera, & cædes consequuntur, quemadmodum ijs scripturæ locis est indicatum, & satis probat experientia.

Vt autem intelligamus quàm graue sit peccatum ebrietas, sciẽdum ebrietatis nomine non hîc significari defectum vsus rationis, vt qui in se spectatus miseria tantùm est, non culpa; sed nimiam, atque immoderatam potationem, vnde defectus ille consequatur. Hoc igitur peccatum iuxta communem Theologorum opinionem genere suo mortale est, **B** etiam semel tantummodo commissum. Quo tamen casu per ignorantiam potus inebriatiui, ipsum excusari contingit. Cuius ratio est, quia ebrietas, etiam vnica, notabile nocumentum adfert homini: Tollit enim vsum rationis, & per consequens, vitam hominis ita perturbat, vt eam grauibus corporis, & animæ periculis exponat, vti ex suprà dictis manifestum est & multis verbis Ambrosius declarat libr. 1. de Abraham capit. 6. Loth, inquit, inebriatus vino, quid gereret nesciebat. Ex quo sanè discimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, **C** per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est, quod ea inflammat libidinẽ, accendit cupiditates corporis, ipsam quoque mentem subruit & animum capit, & quæ sequuntur.

Hæc autem doctrina sacris literis est perquam consentanea. Passim enim Apostolos ebrietatem ijs annumerat peccatis, quæ hominem excludunt à regno Dei. vt Roman. 13. 1. Corinth. 5. & 6. & Galat. 5. & prophetæ ebrietatem tanquam graue peccatum detestantur Isa. 5. & 28. Ezech. 23. & Osee 4. Ex eo quoque quòd Anna mater Samuelis Heli **D** sacerdoti, qui eam temulentam putabat, respondisse legitur 1. Reg. 1: *Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial*, satis apparet, quo loco iam olim habitum fuerit ebrietatis peccatum. Idemque semper de hoc peccato iudicium fuit eorum, qui post Apostolos ecclesiam Dei rexerunt. Vnde extat inter canones Apostolorum quidam numero 42. qui clericos aleæ, vel ebrietati deseruientes, partim deponi iubet, partim communione priuari.

Quid autem Ambrosius, & Hieronymus de hoc vicio sentiant, ex supradictis clarum est. Quid **E** verò sentiat August. ex vna eius epistol. quæ est 64. abunde perspicitur, in qua deplorat peccatum illud per se graue, quodque ab Apostolo cum ijs annumeratur, quæ excommunicationem merentur, & à Dei regno excludunt; adeo vulgare esse in Africa, vt vix peccatum esse putetur. Chrysostomus quoque homil. 22. in 2. Corinth. 10. ebrietatem cum rapina recenset, & æterna damnatione dignam esse significat, & homil. 7. ad populum Antiochenum, nihil esse ita dæmoniacum affirmat, atque ebrietatem, & lasciuiam. Denique Petri Chrysologi aperta sententia est serm. 26. ebrietatem in alijs cri**F**men esse, in sacerdotibus sacrilegium. Quibus accedit Moguntinum concilium, cuius canon 46. sic habet: Magnum ebrietatis malum, vnde omnia vicia pullulant, modis omnibus præcipimus cauere, & qui hoc cauere noluerit, excommunicandum eum esse decreuimus vsque ad emendationem congruam. Et quod in decreto Gratiani distinctione 35. legitur: Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quæ omnium vitiorum radix, & nutrix est, & quem ebrium fuisse constiterit, aut 30. dierum spacio à communione sub**A**mouetur, aut corporali supplicio subditur. Vide ibi Glossam.

Quod autem in contrarium obijcitur ex quodam sermone S. Augustini qui est quartus in die commemorationis animarum, vbi dicitur, ebrietatem esse mortale peccatum si sit assidua, quasi si vnica, vel rara sit, veniale tantùm existat, non magni est momenti. Primùm enim sermo ille non est sanct. Augustini sed incerti authoris, Deinde cum sancto Thoma 2. 2. quæstion. 150. articulo secundo, respondere possumus, assiduitatem facere, vt ebrietas sit mortifera, non propter solam iteratio**B**nem actus, sed quia fieri non potest vt quis assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum sæpenumero experitur fortitudinem vini, suamque ad potandum habilitatem.

§. 25. *Septimum præceptum quid prohibeat, & ad quæ se extendat.*

C PRohibetur septimo præcepto, *Non furtum facies*, generaliter omne nocumentum, quod homini iniustè infertur in rebus exterioribus, quas possidet. Cuiusmodi imprimis est furtum, notissima huius peccati species, quæ definiri potest occulta siue ablatio, siue detentio, seu qualiscumque vsurpatio rei alienæ inuito Domino. Multis enim modis furtum committi potest, vt accipiendo, detinendo, alienando, consumendo, damnificando, defraudando, & res furto ablatas emendo vel occupando. Vnde & qui res inuentas, quarum extant Domini à quibus nondum pro **D** derelictis habentur, detinent, nec veris dominis restituere curant, furto implicantur. Res autem eiusmodi omnino restitui debere, monet scriptura Deut. 22. Furti autem reum effici, qui id non facit docet Augostinus sermone 21. de verbis Apostoli, & homil. 9. inter quinquaginta. Quin & qui bona aliena apud furem, vel prædonem inuenta, sibi vendicant, & qui bona naufragio amissa, atque in littus eiecta, occupant, nec restituunt, hoc crimine tenentur, quocunque iustitiæ prætextu id faciant. Quod de naufragijs docet Pontifex in **E** decretalibus tit. de raptoribus capit. excommunicationi. [S. Tho. 2. 2. q. 66. q. 155. ar. 6.]

Est autem furtum genere suo mortale peccatum. Nam & Osee 4. cum alijs quibusdam sceleribus annumeratur. Et Zachar. 3. Dominus maledictionem & iudicium, id est, damnationem furibus comminatur. Et Apostolus 1. Corinth. 6. fures negat regnum Dei possessuros. Ratio huius est, quia furtum in sua perfectione consideratum, infert notabile nocumentum proximo. Alioqui enim, si ita modicum est, quod aufertur, vt vel nullum, vel saltem non notabile reputetur inferri no**F**cumentũ, non erit tale furtum mortale. Neque verò diuersum docet Sapiens Prouerb. 6. cùm ait: *Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit.* Negat enim furtum esse grauem culpam cõparatione adulterij, quippe quod furto multò grauius sit. Deinde vult eam circumstantiam quam subijcit: *Furatur enim vt esurientem impleat animam*, multum facere ad illius peccati attenuationem.

Ex his porrò æstimari potest de grauitate aliorum huius generis peccatorum, vt quæ furto ferè grauiora sunt, atque hoc eodem præcepto cuncta

prohibita censentur, quemadmodum docet sanctus Augustinus quæst. 71. in Exod. Primùm igitur hic comprehenduntur ea, quæ supra generalem furti rationem aliquid adijciunt, quod ad criminis exaggerationem pertineat, vt peculatus; dum videlicet æs publicum aufertur, siue in rem priuatam conuertitur; Plagium, dum quis hominem, seu liberum, seu seruum furatur, & in quemcunque vsum abducit. Quod qui faciunt plagiarij vocantur, quos cum sceleratis annumerat Apostolus 1. Tim 1. Sacrilegium, quod secundùm Magistrum tribus committitur modis; quando scilicet, vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro loco aufertur. Quibus addi possunt tres alij modi, vnus, quando quis rem sacram ad profanos vsus conuertit, vti fecit rex Balthazar Daniel. 5. alter quando quis paupertatem professus, contra votum suum vsurpat, aut detinet aliquid communium bonorum tanquam proprium, qualis fuit Iudas proditor Ioan. 12. tertius, quando quis rem spiritualem, aut spirituali annexam, ideoque precio minimè æstimabilem, precio subijcit. Quod vitium à Simona mago simonia dicitur, de quo tractabitur libr. 4. distinctione 25. Præterea comprehendi hoc præcepto rapinam, manifestum est. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, ait Augustinus quæstione modo citata. Est autem rapina, dum cuipiam res sua vi, atque iniustè tollitur, siue à priuata persona id fiat, siue etiam à publica, iuris ordine prætermisso. Et quamuis hoc peccatum in republica minùs ferè puniatur quàm furtum, reuera tamen eo grauius est, magis enim ab inuito tollitur, quod vi eripitur scienti, quàm quod clam aufertur nescienti.

Sunt autem huius criminis quoque participes, primùm, qui mercedem operariorũ detinẽt, atque defraudant, quod peccatum adeo graue est, vt in cælum clamare dicatur, Iacob. 5. Deinde qui decimas, tributa, vectigalia quocunque modo subtrahunt, aut interuertunt. Item qui iudicia precio habent venalia, & qui creditores suos fraudant, & qui artes excogitant augendi precia frumenti atque aliarum rerum, & si quæ his cognata sunt crimina. Quale imprimis est vsura, de qua proximo capite.

Pertinet huc postremò omnis iniqua emptio, & venditio; dum videlicet res, aut minoris, quàm valet, emitur, aut pluris venditur. Atque in genere, omnis fraus, dolus, iniustitia, quæ in contractibus ementium alijsque mutuis pecuniarum, rerum, laborum, atque operarum obligationibus committi solet.

Portò ad consequendam remissionem eorum peccatorum, quæ contra septimum hoc præceptum fuerint commissa, omnino atque imprimis necessaria est restitutio eius, quod iniustè quis abstulerit, idque reipsa, vel certò proposito facienda. De qua sanctus Augustinus in epistula 54. ad Macedonium ita scriptum reliquit. Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, vt dixi, cùm restitui potest. Sic ille.

§. 26. *Vsuram illicitam, & omni lege prohibitam esse.*

A VSuræ nomine intelligitur quicquid ex mutuo vltra sortem datam accipitur, vel ipsa talis acceptio vsura dicta ab vsu, quod, vt vestes vsu, inquit sanct. Ambrosius lib. de Tob. cap. 13. ita vsuris patrimonia scindantur. Eam Græci Τόκος, id est, partum vocant. Cuius nominis rationem explicat Basilius serm. 2. in Psalm. 14. Hebræi verò morsum appellant. Vnde Deut. 23. vbi nostra versio habet: *Non fænerabis fratri tuo*, Hebraicè legitur, *Non morsu mordebis fratrem tuum.* Ratio huius appellationis est; quia qui ad vsuram dat, dum plus quàm dedit, recipit, B velut morsum carni alterius infigit, & partem inde tollit. S. Thom. 2. 2. q. 78.

Est autem vsura crimen furto grauius, vtpote ad rapinam pertinens, vti suprà monuimus, prohibitum verò, tam naturali, quàm diuino, atque humano iure.

Primùm igitur vt intelligatur vsuram legi naturæ contrariari, atque ideo per se illicitam esse, sciendum est, quemadmodum docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 1. esse res quasdam, quarum vsus est ipsarum consumptio, vt vini, frumenti, olei in qui- C bus proinde non debet vsus rei seorsum æstimari ab ipsa re, sed cuicunque talis rei conceditur vsus, eo ipso res quoque concessa reputatur: ideoque in talibus concesso vsu rei, simul transfertur & rei dominium, quod genus concessionis, mutuum vocatur. Vnde si quis seorsim, exempli gratia, vinum vendere vellet, & seorsim vini vsum, qui in bibendo consistit, is eandem rem bis venderet, aut certè id venderet, quod non est; & proinde manifestam committeret iniustitiam. Ad hũc igitur modum iniustitiam committit, qui mutuans, verbi gratia, vinum, aut triticum, præter compensationem rei similis, D vel æqualis, insuper exigit pretium pro vsu rei concessæ. Quod precium, vsura, seu superabundantia vocatur.

Portò aliæ res sunt, quarum vsus non est ipsarum consumptio, vt domus, liber, equus. Atque in his seorsim dominium rei concedi potest; & seorsim vsus, vti facile dictis exemplis ostenditur: Quare in illis precium pro vsu accipere non est illicitũ, sicut patet in rerum locatione; quarum videlicet retento dominio, vsus tantummodo alteri conceditur. Quod concessionis genus, non mutuum, sed commodatum dicitur. Iam in vtro genere rerum E habenda sit pecunia, non est difficile videre. Cùm enim principaliter ea inuenta sit, ad commutationes faciendas, atque ita principalis eius vsus, sit ipsius consumptio; siue distractio, quam per commutationes fieri necesse est, perspicuum est, eam ad prius genus rerum pertinere. Sicut ergo manifestè iniquum est, pro modio tritici modium tritici recipere, & præterea pro eius vsu, exigere partem eiusdem mensuræ octauam, aut decimam sextam, ita planè iniquum est, pro centum aureis, totidem recipere, & præterea pro vsu illius pecuniæ, vnum vel plures exigere. Est enim vtrobique manifesta commutationis inæqualitas. Atque hoc est, quod à philosopho scriptum est, libr. 1. polit. capit. 6. contra F rationem esse, vt denarius pariat denarium.

Huic autem legi naturali in multorum animis obliteratæ, accessit lex diuina in sacris literis frequenter, & clarè admodum expressa, vt Exod. 22. Leuit. 25. Deuteron. 15. & 22. Psalm. 14. & 54. & Ezech. 18. & 22. Quæ duo postrema loca, sicut & Psalm. 14. eam ostendunt huius peccati grauitatem, vt nec in monte Dei requiescere, nec mortem æternam euadere possit, qui pecuniam suam dederit ad vsuram. Neque tamen in pecunia sola

cum-

committitur vsura, sed & in mutuo quarumlibet rerum, quæ vsu consumuntur, vt ex supradictis, atque ipsa vsuræ definitione patet, & vterque locus Ezech. satis indicat; vbi generaliter superabundantia damnatur, quemadmodum doctè annotauit in Ezechielem scribens Hieronymus. Cuiusmodi etiam annotationem eius, est videre in Math. 21. ad illud, *Mensas nummulariorum euertit.* In nouo autem testamento prohibet eam Dominus Luc. 6. cùm ait: *Mutuum date nihil inde sperantes*, tametsi de eius sententiæ interpretatione variant interpretes.

Legem porrò naturalem, atque diuinam explicant leges humanæ, præsertim ecclesiasticæ, quarum pleræque extant in decretalibus. tit. de vsuris vbi inter alia Innoc. 3. cap. super eo (quod sumptum est ex concilio Lateranensi) docet ne quidem pro captiuis redimendis vsuram committendam esse, declaratque sicut in mendacio, ita in vsuris dispensari non posse. Quoniam vsque adeo semper ecclesiæ Catholicæ ex scripturis, & patrum doctrina certò persuasum fuit iniustas esse vsuras, nec vlla ratione licitè eas exerceri posse; vt Clemens V. in concilio Viennensi (& habetur tit. de vsuria in quinto decretalium) decretum edere non dubitauerit: Sanè si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, decreuimus eum velut hæreticum puniendum.

E quibus omnibus intelligi potest, qua temeritate à nonnullis huius seculi sectarijs, vt Ioanne Caluino, Carolo Molinæo, & alijs scriptum sit, vsuras neque legi naturæ, neque charitati contrarias, neque diuino iure prohibitas, dummodo non nimium grauent eos à quibus exiguntur. Quod perinde est, atque si dicatur furtum non esse peccatum, si non notabile damnum accipiat is, cui furto aliquid aufertur.

IN

DISTINCTIONEM TRICESIMAMOCTAVAM.

§. 1. *Quid octauo decalogi præcepto prohibeatur.*

S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 5. ad 2. & 2. 2. q. 122. art. 6. q. 69. & 70.

OCTAVO præcepto, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, expressè quidem falsum testimonium neque id omne, sed solùm quod contra proximum profertur, prohibetur; quo videlicet non tantùm rectum iudicium peruertitur, sed etiam proximo per falsitatem nocumentum infertur.

Cæterùm generaliter hoc & alia peccata quamplurima reuocari possunt. Primò omnia ea quibus publicum iudiciũ peruerti contingit; vt sunt iniusta sententia, munerum acceptio, fauor partis, seu acceptio personæ, passio seu perturbatio, & rationem obnubilans neglecta iuris forma, & si quę alia sunt propria iudicum peccata. His adde quæcunque ad impediendam quoquo modo iudicij veritatem ab alijs quibuscunque personis tribunali assistentibus, vt ab actore, accusatore, reo, testibus, aduocato, procuratore, notario, seu verbo, seu scripto, seu quomodolibet aliter, committuntur.

Secundò generalius huc reuocantur omnis significatio falsi, etiam extra iudicium, & siue illud proximo noceat, siue non. Vnde huc pertinet imprimis omne mendaciorum genus, deinde & ea, quæ peculiarem ex circumstantia speciem falsitatis constituunt; vt calumnia, perfidia, seu quæcunque promissorum, & pactorum violatio. Imò & periurij crimen secundum Magistrum hoc præcepto prohibetur, tametsi magis propriè secundo præcepto aduersetur; vt infrà distinctione proxima dicetur.

Tertiò ac postremò licebit huc reuocare omnia peccata linguæ, siue veritati contraria sint, siue non. Constat enim & veritatem dicendo, & neque verum, neque falsum enunciando, multa peccata per linguam committi. Huiusmodi autẽ sunt detractio, adulatio, susurratio, conuiciũ, derisio, maledictum, blasphemia rixa, scurrilitas, turpiloquium, garrulitas, murmuratio, & si quid his simile, tametsi horum pleraque etiam ad alia pręcepta commodè possunt reduci, vt suis locis patuit.

Porrò ex eo, quod in præcepto additum est, *contra proximum suum*, nullo modo putandum est eum culpa carere, qui ad seruandam vitam proximi, seu nocentis, seu etiam innocentis, dixerit falsum testimonium. Hoc enim in præcepto additum est; quod vt plurimum per falsa testimonia fieri solet, etiamsi interdum eius contrarium fieri contingat. Et quamuis dubitari possit, vtrùm peccet mortaliter, qui falsum in iudicio testimonium fert, vt vitam seruet innocentis; eum tamen qui hoc idem facit vt nocentem, & iustè accusatum, periculo eripiat, mortaliter peccare non est dubitandum; cùm rectitudinem iudicij falso testimonio subuertat.

---

§. 2. *Multiplex esse genus mendacij.*

MEndacium generali quadam partitione in tria genera diuiditur, quemadmodum tradit Augustinus in Psalm. 5 ad illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; scilicet officiosum, iocosum, & perniciosum. Officiosum mendacium dicitur, quod sine alterius iniuria fit pro salute, vel commodo alicuius. Iocosum, quod sola placendi, seu delectandi voluntate dicitur. Nam quod idem S. Augustinus quæst. 145. in Genes. dicit ea, quæ ioco dicuntur, non deputari mendacio. Et lib. de mendacio cap. 2. iocos nunquam reputatos pro mendacijs; non de mendacio secundùm essentiam, quæ consistit in voluntate falsum significandi, sed secundùm perfectionẽ, seu proprium eius finem, dictum accipi debet. Proprius enim finis mendacij est fallere. Atqui, vt Augustinus in Psal. 5. ait, qui ioco mentitur, non fallit. Nouit enim ille, cui dicitur, ioci causa esse dictum. Perniciosum verò dicitur, quod notabile infert nocumentum. Cuiusmodi sunt mendacia detrahentium, & quæ in contractibus, pactis, forensi iudicio, doctrina, ea maximè, quæ ad religionem pertinet, committuntur. Inter hæc tria genera, postremum mortiferum esse cõstat, reliqua duo venialia sunt quidem, non tamen minima. Vnde sanctus Augustinus loco iam citato remouet ea à perfectis, à quibus tamen non omnia possunt venialia remoueri. (S. Tho. 2. 2. q. 110.)

Pleniorem, magisque distinctam mendacij diuisionem tradit idem sanctus Augustinus libr. de mendacio capit. 14. commemorans octo mendaciorum genera. Primum, quod fit in doctrina reli-

A gionis; secundum quod nulli prodest, & obest alicui; tertium quod ita prodest alteri, vt obsit alteri; quartum quod fit sola mentiendi, fallendique libidine; quintum quod fit placendi cupiditate de suauiloquio; sextum; quod nulli obest, & prodest alicui in re aliqua exteriori; septimum, quod & nulli obest & prodest alicui extra iudicium, ad vitam corporalem; octauum, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immundicia corporali aliquem tueatur. Quæ octo genera, quem grauitatis ordinem inter se habeant, docet eiusdem libri capite vltimo. **B** In his, inquiens, octo generibus, tantò quisque minus peccat, cùm mentitur, quantò emergit ad octauum, & tantò ampliùs, quantò demergit ad primum.

§. 3. *Omne mendacium esse peccatum.*

S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. & q. 111.

VEtus, & celebris quæstio est, an omne mendacium sit peccatum, siue, quod eodem recidit, **C** an aliquo casu licitum sit mentiri? De qua re plærique gentilium scriptorum non dubitauerunt; existimantes officij caussa viro bono interdum mentiendum esse. Inter quos Plato docuit magistratibus, vt reipublicæ medicis, interdum opus esse mendacio, & in eam sententiam loquentem in dialogis introduxit Socratem. Ita sensisse videntur inter ecclesiasticos scriptores Abdias in vita Matthæi, vel quisquis author, Clemens Alexandrinus Strom. 7. Origenes Strom. 10. Chrysostomus in libr. de Sacerdotio, & in capit. 12. & 27. Genesis, Theodoretus in vita Iacobi, & in Polychronio, nec **D** non libr. 4. suæ historiæ ecclesiast. capit. 10. Et inter Latinos, Lactantius libr. 6. diuinarum institutionum cap. 18. & Hieronymus in 2. caput epistol. ad Galatas. Quem commentarium de Petro a Paulo simulatè reprehenso, defendens in quadam ad Augustinum epistola, septem citat authores suæ sententiæ Rursum libr. 1. apol. contra Ruffinum post medium. Idem sensit & docuit Ioannes Cassianus Collat 17. capit 18. & Rupertus in 2. caput Iosue. Pro quibus facere videtur, quod est apud Gratianum ca. 22. q. 2. cap. vtilem. Qui locus ex Hieronymi commentario in epist. ad Galat. desumptus est.

E In hanc porrò sententiam, qui mendacio officioso patrocinantur, multa congerunt exempla sanctorum, præsertim è scriptura sacra. Nam vt excuserit quod Abraham Saram coniugem, sororem suam vocauit; quoniam vt ipse se purgat Gen. 20, verè soror eius erat, filia patris eius, & non filia matris: sunt alia multa, quæ probabilem excusationem admittere non videntur; velut quod idem Abraham Genes. 22. cùm iret immolaturus filium suum, dixit se cum puero reuersurum. Quod Isaac Genes. 26. reprehensus de mendacio ita se excusat, vt tamen mendacium agnoscat; Quod Gen. 27. Iacob vt benedictionem fratri præriperet, dixit Patri; *Ego* **F** *sum primogenitus tuus Esau.* Et iterum: *Feci quod præcepisti mihi.* Et tertiò, *Comede de venatione mea.* Quod Ioseph Genes. 42 fratres suos exploratores vocat. & capit 44. scyphum sibi ablatum eum esse dicit, in quo augurari soleat; Quod Exodi 1. obstetrices Ægyptiæ laudantur, quę mendacio seruauerunt infantes Hebræorum. Et Iosue 2. Raab meretrix laudata, quæ mendacio liberauerit periculo exploratores. Quod 1. Regum 20. Dauid rogat Ionatham vt dicat patri, se profectum in Bethleem, & capit.

A 21. ad Achimelech sacerdotem dicit se missum à rege; Quod 4. Reg. 4. Helizæus propheta militibus ad se comprehendendum missis ait: *Non est hæc via, nec ista est ciuitas, quam quæritis*; Quod Tob. 5 angelus se dicit esse Azariam, Ananiæ filium. Quod Iudith capit. 10. & 11. conficta narratione Holofernem delusit; Quod Amos propheta capit. 7. se negat esse prophetam, & Michæas capit. 2. optat loqui mendacium. Denique quod & in nouo testamento Paulus Apostolus Actor. 23. se nescijsse dicit summum pontificem esse eum cui maledicebat, quod**B**que ibidem exclamat se Pharisæum esse. Et si quæ sunt alia vel verba, vel facta Sanctorum quæ in mendacij patrocinium assumi possunt. Vt quod Apostolus Ephes 3 se omnium sanctorum minimum vocat, & 1. Corinth. 15. dignum se negat, qui vocetur Apostolus; Et quod Sapiens Prouerb. 30. de se dicit: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Et quæcunque similia à pijs humiliter potiùs, quàm veraciter dicta leguntur, iuxta illud Gregorij in responsione ad 10. interrogationem Augustini Angelorum Episcopi: Bonarum **C** mentium est, ibi agnoscere culpam, vbi culpa non est. Quod & citat Gratianus distinction. 5. capit. ad eius.

Rationes verò quibus hanc suam tueantur opinionem, ferè omnes ab effectu & fine sumuntur, quia videlicet, vel animæ, vel corporis salus, vel pudicitia, mentiendo defenditur, & seruatur: vel quia paci & saluti reipublicæ consulitur, vel simile aliquod bonum procuratur, aut contrarium malum auertitur. Confirmant & alia ratione. Nam innocentis occisio, & alienæ rei ablatio, vt à Deo præcipi, ita ab homine rectè aliquo casu fieri pos**D**sunt, quemadmodum exempla scripturæ demonstrant, quare similiter mendacium præcipi à Deo poterit, & sine culpa ab homine committi.

Item alia: Error non semper est peccatum, ergo gignere errorem in animo alterius, quod fit mentiendo, non semper erit peccatum.

Item: Mendacium non alia ratione peccatum esse videtur, quàm quatenus proximi deceptiuum est; atqui non omne mendacium tale esse videtur. Nam, vt suprà ex Sanct. Augustino ostendimus, qui ioco mentitur non fallit, nec fallere in**E**tendit.

Postremò, Quod mendacium est in verbis, hoc simulatio in factis; atqui licitum est interdum simulare, velut ostendunt exempla Iosue iubentis filios Israël simulare fugam, Iosue 8. Dauidis simulantis insaniam 1. Reg. 21. Iehu simulantis se cultorem Baal, 4. Reg. 10. & ipsius Domini fingentis se longiùs ire Luc. vlt. licebit ergo interdum & mentiri.

Vsque adeo verò hæc sententia multis olim placuit, vt ipse fateatur sanctus Augustinus eam valde communem fuisse, ita scribens quæst. 68. in Leuit. Pene omnibus videtur, quod vbi nemo læditur, pro salute mentiendum est.

F Sed sciendum ab eodem S. Augustino plurimis locis, hanc de mendacio doctrinam grauiter impugnatam fuisse, & pręcipuè, & ex professo duobus libris, quorum alterum de mendacio, alterum contra mendacium propterea inscripsit, quod, vt ipse libr. 1. retract. capit. vlt. testatur, prioris libri magna pars in inquisitionis disputatione versatur; in posteriori autem toto, fit oppugnatio aperta mendacij. Alia apud eum loca sunt, Euch. 18. & 22. epistol. 8. & 9. ad Hieronymum, Et rursus epistola 19. ad eundem,

& quæ supra citauimus, in Psalm. 5. ad illud: *Perdes omnes qui, &c.* & quæst. 68. in Leuit. Idem cum sanct. Augustino docent, & sentiunt, Prosper contra Collat. cap. 9. sanctus Gregorius libr. 18. Moral. cap. 2 & 3. & quotquot ferè Latini secuti sunt S. Augustini tempora. Nam quod ad eos attinet, qui Augustinum præcesserunt, Ambrosium, & Cyprianum, Hieronymo, Augustinus opponit, epistola 19. capit. 3. Denique vnà cum Magistro, tota posteriorum doctorum schola Augustino consentit, inter quos sanctus Thomas 2.2. quæstion. 110. art. 3. concludit mendacium nulla ratione bonum, aut licitum fieri posse. S. Bonauentura verò scribens in hanc distinctionem, proposita hac quæstione, respondet dicendum, quod absque dubio, omne mendacium sit peccatum, idque adeo esse ei essentiale, vt nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, nec humana nec diuina, bene fieri possit. Conformiter sanè cum doctrina Innoc. 3. Pontificis, qui in conc. Lateranensi (& habetur extra de vsuris cap. super eo) dicit scripturam sacram prohibere pro alterius vita mentiri, & in eo non posse dispensari significat, quomodo nec in vsuris. Videtur autem Innocentius respicere ad illud: Ecclesiastici 4. *Pro anima tua non confundaris dicere verum.* Aliæ scripturæ sunt, Ecclesiastici 7. *Noli velle mentiri omne mendacium* Leuit. 19 *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Psalm. 118. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque.* Ephes. 4. *Deponentes mendacium loquimini veritatem.* Et alia passim occurrunt scripturæ loca, quibus & mendacia, & mendaciorum authores reprehenduntur. Imò Ioan. 8. diabolus non mendax tantùm, sed & mendacij pater dicitur, qui cùm mendacium loquitur, ex proprijs loquitur; vt intelligamus, quod sicut Deus fons est omnis veritatis, & verum à quocunque dicatur, à Deo est; ita diabolus author sit omnis mendacij, & à quocunque proferatur mendacium, à diabolo sit, iuxta illud Matth. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non, Quod his amplius est, à malo,* id est, à diabolo est. Vnde & in Arausicano conc. ca. 22. dicitur: Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, &c. Est enim diabolus nostræ corruptionis author.

Rationem verò, cur mendacium nullo casu licitum esse possit, hanc adfert Sanctus Thomas, quia mendacium secundùm se, atque ex genere suo malum est, cùm sit actus cadens super indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter signa sint cogitationum mentis, innaturale est atque indebitum, vt quis voce significet, quod non habet in mente. Quam rationem his verbis expressit Augustinus Ench. 22. Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solùm quando scit ipse quid verum sit, sed etiam si quando errat, & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, siue illud verum sit, siue putetur, & non sit. Omnis autem qui mentitur contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtique verba propterea sunt instituta, non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, nó ad quod instituta sunt, peccatum est. Hæc Augustinus.

Vt igitur ad argumenta contrariæ opinionis summatim respondeamus, primo loco sciendum est, non quicquid à Sanctis viris, vel in scriptura sacra, vel alibi factum legimus, continuò licitum, atque imitandum esse: quandoquidem non eos tales fuisse constat, qui vixerint absque peccato. Et tamen nonnulla, quæ quasi mendacia ijs ascribuntur, si subtiliùs examinentur, inuenientur à veritate non aliena. Qua de re consulantur commentarii scripturæ sacræ, qui tamen non vno modo sentiunt de factis Isaac, Iacob, Ioseph, Dauidis, & Iudith, aliis existimantibus eos officiosè mentitos, aliis contrà, ab omni mendacio eos excusantibus. Quod nominatim de Iacob contendit Augustinus libr. contra mendacium capit. 10. & libr. 16. de Ciuitate Dei, capit. 37. tametsi quod dicit factum eius ad mysterium referendum esse, tenera quæstionem non soluit: quia sensus mysticus, sicut historicum non tollit, ita rem gestam non excusat.

Neque simile est de metaphoris, parabolis alijsque figuratis locutionibus; quia sermo tropicus tantùm secundùm tropum intelligi debet, & parabolæ non nisi parabolicum habent sensum: historia verò etsi mysterium contineat, vera tamen non erit, nisi quæ narrantur; ita vt dicuntur, gesta sint. Quale est illud de duobus Abrahæ filiis altero ex libera, altero ex ancilla genitis, & alia quamplurima.

Quid de obstetricibus Hebræorum, & Raab meretrice respondendum sit, indicat S. Augustinus libro contra mendacium cap. 15. & quæst 68. in Leuit. Non enim pro mendacio, sed pro misericordia, & timore Dei, remunerationem à Deo acceperunt. Sic enim legitur Exod 1. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.*

Quomodo autem angelus Raphael, Amos, & Michæas prophetæ, & Paulus in Actis, ostendantur à mendacio alieni; proprijs scripturæ locis requirendum, sicut & illud, quomódo rectè, & sine mendacio valde humiliter de se sanctissimi viri locuti fuerint, cùm, vt ait sanctus Augustinus libr. de natura & gratia cap. 34. in parte veritatis, non falsitatis, humilitas sit collocanda.

Ad rationes, quæ ex fine sumuntur, respondemus cum beato Iob 15. *Nunquid Deus indiget mendacio nostro?* Et cum Apostolo Paulo Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Neque enim ex fine fieri potest bonum, quod per se malum est, vt ostendimus ad distinctionem 38. libr. 2. Respondet & sanctus Augustinus Ench. 22. his verbis: Nec ideo vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mētiendo. Possumus enim & furando alicui prodesse, possumus & adulterando prodesse; nec ideo tale furtum, vel tale adulterium quisquam dixerit non esse peccatum. Similia apud eum sunt libro contra mendacium, capite septimo, & sequentibus.

Ad proximam rationem respondetur, Deum in nullo præcepto decalogi dispensare, ac proinde, nec furtum, nec adulterium, nec homicidium ad sensum prohibitionis decalogi præcipere posse; quare nec mendacium. Sicut ergo ita verax est Deus, vt nec mentiri ipse possit, nec seipsum negare, 2. Timot. 2. sic nec fieri potest, vt mendacium, vel faciendum cuiquam præcipiat, vel factum approbet.

Tertiæ rationis solutionem innuit sanctus Augustinus Ench. 17. vbi docet omnem errorem non solum in maioribus, verùm etiam in minoribus fugiendum esse. Quod & prosequitur capit 20 & 21. Ex quo intelligitur errorem voluntarium nūquam esse sine peccato, multoque minùs eum culpa vacare, qui sciens, alterius animo verbis mendacibus inserit errorem, quantumuis innoxium.

Ad quartam respondet Sanctus Thomas, mendacium iocosum, licèt ex intentione dicentis non proferatur ad fallendum, neque etiam fallat ex modo dicendi; ex genere tamen operis habere rationem fallendi.

Quod postremo loco obijcitur, ita simulationem esse in factis, quomodo mendacium in verbis, prorsus verum est: ideoque sicut omne mendacium ita omnem simulationem propriè dictam, peccatum esse, fatendum est, quemadmodum rectè docet sanctus Thomas 2. 2. quæstion. 111. articul. 1. Nam simulatio non aliud est, quàm mendacium in exteriorum factorum signis consistens.

Quamuis autem quod Dauid & Iehu fecisse leguntur, non sit necesse à simulationis peccato excusare, Iosue tamen non propriè aliquid simulauit, sed insidias collocando consilium suum hostibus occultauit; Quod tam sine peccato fieri potest, quàm celare veritatem tempore, & loco. Christus quoque fingendo se longiùs ire, propriè nihil simulauit. Composuit enim gestum, & motum corporis sui, sicut solent longiùs progressuri, quod tamen non ideo fecit, vt discipuli putarent eum longiùs ire velle, quamuis sciret eos hoc existimaturos, sed vt eorum erga se amorem, & hospitalitatis affectum, hac ratione excitaret. Alij non minùs probabiliter respondent nullam in hoc Christi facto propterea simulationem fuisse; qui reuera longiùs erat iturus, si non à discipulis ad manendum fuisset inuitatus.

---

§. 4. *Non omne mendacium esse peccatum mortale.*

S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 4.

Etsi mendacium omne peccatum sit, non eò tamen progrediendum, vt omni mendacio culpam mortalem asscribamus. Neque enim omne mendacium tale est, quo vel honor Dei; atque religio lædatur, vel notabile damnum inferatur proximo. Vnde, vt suprà diximus, inter tria mendaciorum genera, solum perniciosum genere suo mortale est. Iocosum verò, quod neminem lædit, & officiosum quod etiam prodest alicui, tantùm venialia sunt peccata.

Probatur id primum ex ijs scripturæ locis, quæ iustis quibusdam officiosa mendacia asscribunt absque iustitiæ detrimento. Cuius rei exempla suprà commemorata sunt.

Deinde manifestè id docet sanctus Augustinus in expositione Psalm. 5. ad illud. *Perdes omnes qui &c.* his verbis: Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa; cùm aut iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. Quo etiam loco docet eos, qui tantùm hoc postremo modo, velut ex necessitate mentiuntur, hoc mereri vt aliquando ab omni mendacio liberentur. Et quæstion. 68. in Leuit de mendacio obstetricum agens, dicit propter misericordiam veniale illud peccatum fuisse. Item Ench. 22. de officioso mendacio disputationem concludens; Peccatum ergo est, inquit, sed veniale, quod beneuolentia excusat. Similia sunt eiusdem libri capit. 18. libr. de mendacio capit. 14. & vltimo & contra mendacium, capit. 8. In eandem sententiam scribit sanctus Gregorius libr. 18. Moral. capit. 4. Summopere, inquit, cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam vitam præstando mentiatur. Et rursum: Hoc quoque mendacij genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ. Quamquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari, &c. Vbi notandum, ita lenibus peccatis annumerari mendacium officiosum, vt tamen non minimum esse peccatum significetur, vtpote perfectis omni studio fugiendum. Quod & sanctus Augustinus in Psalm. 5. scribens & alibi docet. Augustini & Gregorij sententię de veniali mẽdacio, post Magistrum scholastici omnes doctores accedunt.

---

§. 5. *Responsio ad ea quæ contra obijciuntur.*

S. Thom. vbi sup.

Superiori distinctioni mendacij in mortale, & veniale, non parum aduersari videntur quædam scripturæ loca, quæ sine discrimine omni mendacio mortem, & interitum asscribunt, vt Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Sapient. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Apocal. 21. *Omnibus mendacibus pars erit in stagno ignis, &c.* & 22. vbi inter eos, qui foris erunt, id est, à regno alieni, annumerantur omnes qui amant, & faciunt mendacium. His adde quod sanctus Augustinus capit. 6 de mendacio & capit. 1. contra mendacium, scripturam Psalm. 5. extendi vult ad omne mendacium citra exceptionem, quod & facit in eiusdem psalmi commentario, dicens nec pro vita temporali cuiquam mentiendum esse, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Item 6. capite contra mendacium significat, eum qui mentitur, vt hæreticum conuertat, peccare mortaliter: ac rursum scribens in Psalm. 30. asserit eum mori in anima, qui propterea mentitur, vt viuat. Et in tractatu de conflictu virtutum, & viciorum capit. 19. sic ait: Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo, oportet decipere quemquam; quia, quolibet artis modo mentiatur, os quod mentitur occidit animam, Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis. Sanctus Gregorius quoque, loco supracitato, dicit obstetrices Ægyptias mentiendo vitam omisisse æternam, & eam illis commutatam in retributionem temporalem.

Sed ad hæc respondemus, scripturam ijs locis, non de quocunque mendacio loqui, sed de eo, quod cum pietate & religione pugnat. Quemadmodum enim veritas præcipuè inuenitur in doctrina religionis; ita per antonomasiam, id vocatur mendacium, quod veritati religionis & verbo Dei contrarium est. Quale fuit primum serpentis antiqui verbum: *Nequaquam moriemini.* Genes. 3. Vnde & Petrus hæresiarchas vocat magistros mendaces 2. Petr. 3. & Ioannes de sui temporis hæreticis loquens 1. epist. 2. ait: *Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus.* De tali etiam mendacio scriptum est, 2. Thess. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Similis est locus Ezech. 13 & Prouerb 9. Quamquam quod est apud Sapient. 1. vt ex voce Græca perspicuum est, non de mendaciu simpliciter sed de eo, quod contra aliquem id est, in alterius iniuriam nocumentum profertur, intelligi debet.

Porrò sanctus Augustinus mortem animæ, etiam ad veniale peccatum extendit, generaliter per

eam intelligens qualecunque spirituale hominis nocumentum, quemadmodum Gregorius suis verbis exponit dicens, etiam leuia mendacia animæ nocere. Sciendum tamen est non magni ponderis esse quod adducitur ex opusculo de conflictu virtutum & vitiorum, cùm tractatus ille neque Augustini sit, neque certi cuiuspiam authoris.

Quod ex sexto cap. libri contra mendacium objicitur, non de quocunque mendacio dictum esse, sed de eo quo ad detegenda hæreticorum arcana ipsa heresis simulator, & verbotenus approbatur, ex ipso loco manifestum est.

Ad illud postremum, quod objicitur ex Gregorio, responderi potest obstatrices mentiendo amisisse retributionem æternam; non quam meruerant, sed quam mereri potuissent, si non illi earum beneuolentiæ fuisset admixtus amor proprius, isque inordinatus. Addit enim Gregorius: Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatę sunt infantium vitam tegere, mentiando suam. Verùm hoc alterius est quæstionis de qua Exod. 1.

IN DISTINCTIONEM TRICESIMAMNONAM.

§. 1. *Quis sensus secundi præcepti, & quàm latè pateat.*

S.Tho. 2. 2. q. 100. 2. 2. q. 122. art. 3. q. 89.

SECVNDVM præceptum (cuius declarationem vsque to hunc locum cum Magistro distulimus) his verbis in decalogo exprimitur *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id est, non peierabis per nomen Dei. Ita enim ipse Dominus Matth 5. hoc præceptum antiquis datum exponit. Intelligitur ergo in hoc præcepto assumptio, seu vsurpatio nominis diuini non qualiscunque, sed ea quæ fit iurando. In vanum autem assumitur quando ad falsi alicuius confirmationem per illud iuratur. Falsum enim propriè vanum dicitur. Vnde & homines mendaces, vanos dicere solemus. Quin & vox Hebræa mendacium significat. Quoniam igitur Deus, qui omnia nouit, & nec falli potest, nec fallere, si quando humanis testimonijs destituimur, non dedignatur ipse pro dictorum nostrorum confirmatione aduocari in testem, quo sic humanæ controuersiæ finiantur (*omnis enim hominum controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum*, ait Apostolus Hebr. 6.) hoc vicissim seuerè exigit, & mandat, ne pro confirmatione falsitatis, nomen eius sanctum quispiam assumat. Peccant, igitur, contra hoc præceptum directè & propriè omnes periuri, id est, qui id quod falsum esse sciunt, aut putant, iuramento confirmant; siue id fiat expresso Dei nomine, siue per creaturas, quatenus in eis Dei veritas relucet. Quomodo Christus Matth. 5. & 23. intelligendum esse hoc præceptum, contra falsum Pharisæorum intellectum, declarat.

Porrò quæ ad huius mandati prohibitionem reuocantur, & proinde generaliter secundo decalogi præcepto vetita censeri debent, complura sunt.

Primò enim peccant contra hoc mandatum, qui iurant per falsos Deos, siue verum sit, siue falsum, quod eiusmodi iuramento confirmatum volunt. Sub quibus etiam illi comprehenduntur, qui per creaturam quamcunque iurant secundùm se, & non quatenus in ea diuina veritas relucet, consideratam.

Secundò contra hoc peccant, qui se mali quippiam facturos iurant, siue illud facere cogitent, siue non; & siue illud postea impleant, siue non impleant. Quale Dauidis iuramentum 1. Reg. 25. meritò reprehenditur, multoque magis iuramentum Ioram regis Israël 4. Reg. 6.

Tertiò peccant, quicunque, vel irreuerenter & stultè, vel absque iusta necessitate, aut vtilitate iurant. Qua in re grauiter delinquunt, qui passim in communi sermone iuramenta frequentant, & hoc pacto periurij & irreuerentiæ erga diuinam maiestatem, periculo se exponunt. Quod seriò prohibet Ecclesiasticus 23. & multi contra eam prauam consuetudinem extant sermones apud Chrysostomum & Augustinum.

Quartò qui iuramentum exigunt ab ijs, quos sciunt, vel putant peieraturos. De quibus postea dicetur.

Quintò huc quoque reducitur omnis violatio voti; Imò & omne peccatum, quod malè, vel imprudenter vouendo committitur. Nomine enim iuramenti sæpe votum complectitur scriptura, vt Numer. 30. & Psalm. 131. Quomodo & sanctus Augustinus loquitur scribens in Psalmum 92. ad illud, *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*: Quis, inquit, iurat in eo? Qui pollicetur ei vitam suam. Qui vouet illi & reddit. Similis est locus in Psalm. 131. ad illud: *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo, &c.*

Postremò huc reuocantur & alia peccata labiorum, quibus quæcunque in Deum irreuerentia committitur, vt sunt blasphemia, fidei negatio, doctrina religioni, vel pietati contraria, aut etiam fabulosa, vana, aut scandalosa circa res diuinas, Dei tentatio, & cætera huiusmodi. Quamuis ea ad octauum præceptum, quatenus linguæ peccata sunt, omnia reduci posse, suo loco iam antè monuimus.

§. 2. *De varijs iuramenti, & periurij modis.*

S. Tho. 2. 2. q. 89. & q. 98.

VAriè iuramentum in species & modos diuiditur, sicut & periurium. Est autem iurare non aliud, quàm in testem aduocare, seu assumere. Nam vt suprà diximus, iuramentum ordinatur ad confirmationem eorum, in quibus humanæ probationes deficiunt. Vnde quasi pro iure introductum est, vt quod cum inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. A quo iure iurandi vocabulum deductum videtur, quemadmodum etiam à Sancto Thoma annotatum est 2. 2. quæst. 89. art. 1.

Iuramentum itaque aliud est assertorium, quo videlicet aliquid præsens, aut præteritum asseritur ita se habere. Sub quo comprehendi debet illud, quo quippiam similiter negamus. Aliud promissorium, quo nimirum aliquid futurum à nobis præstandum confirmatur. Sub quo comminatorium quoque continetur. Hoc genus alij vno nomine obligatorium appellant.

Rursus iuramentum aliud simplex est, aliud

execratorium, simplex quidem, quod continet nudam Dei contestationem. Hoc autem variè profertur, quemadmodum docet Augustinus serm. 28 de verbis Apostoli lib. 1. de serm. Domini in monte capit. 30. & epistol. 89. velut cùm dicimus, Deus scit, Deus testis est, testem inuoco Deum, Coram Deo loquor, Per Deum iuro, aut, Per Deum ita est, vel simpliciter, iuro. Execratorium verò, quo quispiam semetipsum, vel aliquid ad se pertinens, obligat ad pœnam, nisi verum sit quod iurat. Cuiusmodi illud est, quod in sacris literis frequens legitur: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, nisi, &c.* Tale etiam est, si quis dicat, Per animam meam, Per salutem meam, Per caput meum, Per filios meos: vel hoc modo, Deum inuoco testem super animam meam. De quibus Augustinus serm. 28. de verbis Apostoli, ita scribit: Cùm dicit quisque: Per meam salutẽ, salutem suam Deo obligat. Quãdo dicit, Per filios meos, oppignorat Deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum, si falsum, falsum. Eiusdem generis sunt & hæ formulæ; ita mihi propicius sit Deus; ita me Deus amet, & aliæ in hominum vsu frequentes.

Alia rursum diuisione iuramentum diuiditur in illud, quod habet expressam diuini nominis assumptionẽ, & illud quod tacitã tantummodo. Atq; hoc dupliciter fit, vel nulla re per quam iuretur expressa; vt si quis tantùm iurare se dicat hoc aut illud; vel per creaturas, vt per sanctos Dei homines, vel angelos, per cælum, aut terram, per solem, aut lunam. Quale est & illud Pauli 1. Corinth. 15. *Quotidie morior per vestram gloriam fratres.*

Iam porrò, quæ in iuramentis, eadem & in periurijs varietas reperitur. Periurium enim non aliud est, quàm iuramentum falsum, vel vt Magister definit, mendacium iuramento firmatum. Propriè igitur periuri sunt, Primò, quicunque iuramento asserunt, quod falsum esse sciunt, vel putant, siue falsum reuera sit, siue verum. Secundò, qui quod iuramento promittunt, implere non proponunt. Tertiò, qui proponunt quidem implere, quod iuramento promittunt, sed tamen postea non implent; neque iurata præstant, cessante legitima caussa non præstandi, seu non habita ad non præstandum dispensatione. Qui verò iurant falsum, quod putant verum, ab Augustino quidem serm. 28. de verbis Apostoli, & sermon. 10. Paris. etiam periuri vocantur; quia materialiter quod falsum est, iurant. Sed quia vt ait sanctus Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 1. in vnoquoque potius est id, quod est formale, quàm quod materiale, non ita periurus est, qui falsum iurat, quod putat verum, sicut qui verum iurat, quod putat falsum. Dicit enim eodem loco sanctus Augustinus: Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens. His periurij modis & ille meritò adiungitur, dum quis iurat aliquid se facturum, quod sine peccato implere non potest. Talis enim quamuis quod iurat, implere non debeat, ne peccatum peccato cumulet; attamen ex eo periurij reus censetur, quia facturum se iurauit, quod sub iuramento promissorio non cadit, neque cadere potest, nimirum impossibile. Nam in agendis impossibile id iudicatur, quod bene fieri non potest.

§. 3. *Iuramentum quatenus licitum sit Christianis.*

Licitum esse iuramentum secundùm se, atque ex genere suo, tum ea origine, tum ea fine ostenditur. Ex origine quidem; quia iuramentum introductũ est ex fide, qua persuasum est hominibus, penes Deum esse infallibilẽ veritatem, omniumq; rerum noticiam, & prouidentiam. Vnde apud quascunque gentes vsus est iuramenti, apud easdem consequenter huiusmodi de Deo persuasionem saltem implicitam esse oportet. Ex fine verò, quia iuramentum propriè ordinatur ad veritatem inter homines confirmandam, & finiendas controuersias, quemadmodum Heb. 6. testatur Apostolus. S. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 2.

Cæterùm, quod suapte natura licitum, & bonum est, potest cuipiam in malum cedere, si non rectè vtatur; vt in naturalibus ignis, vinum, pharmacum; & in spiritualibus corpus Domini, quod qui indignè sumit, iudicium sibi manducat, 1. Corinth. 11. Sic igitur & de iuramẽto sentiendum est. Quod etsi per se bonum sit, malè tamen vtenti vertitur in peccatum; si videlicet absque iusta necessitate, seu euidenti vtilitate, vel absque debita cautela, illud vsurpet. Nam priori modo peccat in Deum per irreuerentiam, dum eum ita facilè & ex leui caussa, testem inducit: quod ne homines quidem authoritate præditi erga se fieri patiantur. Posteriori per temeritatem, qua se conijcit in periculum periurij, quod nihilominus ad magnam diuini nominis irreuerẽtiam spectat. Cùm enim in verbis facilis sit lapsus, & opinione sæpe fallamur, periculum est, ne Deum falsitatis testem adducat, qui inconsideratè ad iurandum procedit.

Hanc igitur iurandi facilitatem ac temeritatem, id est, rei bonæ malum vsum, scriptura damnat, vt Ecclesiast. 23. his verbis: *Iurationi non assuescat os tuum, Multi enim casus in illa.* Et iterum: *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non descendet à domo illius plaga.* Et cap. 27. *Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium.*

Quod autem simpliciter non sit illicitum iurare, tanquam aliquid per se malum, manifestissimè ex scriptura probatur. Ait enim Moyses. Deuter. 6 *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis,* quod repetitur Deuter. 10. Item Psalm. 14. *Qui iurat proximo suo & non decipit,* habitaturus dicitur in tabernaculo Domini, & 23. *Qui non iurat in dolo proximo suo, accipiet benedictionem à Domino.* Et Psal. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Quin passim legimus sanctos veteris testamenti in grauibus caussis nomen Dei apertè, vel tacitè interposuisse, hac vel simili forma: *Viuit Dominus, Viuit anima tua, Per salutem regis.* Ieremias verò etiam conditiones expressit in omni iuramento obseruatu necessarias, dum ait capit. 4. *Et iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* De quibus Hieronymus in commentario: Animaduertendum, inquit, quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium: periurij nomine generaliter omne illicitum iuramentum comprehendens. Iurat autem in veritate, qui non nisi quod verum est, iuramento confirmat. Iurat in iudicio, qui non nisi ex graui caussa, iuramento vtitur. Iurat in iustitia, qui non nisi quod licitũ est, iuramẽto promittit, & hoc ipsum inuiolabiliter seruat.

Porrò etiam noui testamenti tempore, licitum

esse iuramentum, ex eodem Ieremiæ testimonio ostenditur. Pertinet enim ea prophetica sententia, ad populum noui testamenti, quemadmodum declarat id, quod proximè sequitur: *Et benedicent eum gentes ipsumq́ laudabunt.* Manifestiùs autem eò pertinet illud Isa. 65. *Et qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen.* Probant id præterea Sanctorum noui testamenti exempla, ac præsertim Apostoli Pauli, quem in epistolis suis subinde iurasse constat, vt Roman. 1. *Testis est mihi Deus.* 1. Corinth 15. *Per vestram gloriam*, vel vt in Græco est, *Per nostram gloriationem.* 2 Corinth. 1. *Testem Deum inuoco in animam meam*, & Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior* & 2. Corinth. 11. Ac rursum Philip. 1. & 1. Thess. 2. Deum testem appellat. Denique Heb. 6. cùm ait: *Homines per maiorem se iurant, & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum*; satis ostendit vniuersalem illam omnium gentium consuetudinem confirmandi res dubias testimonio diuino, licitam atq; probabilem, & rectæ rationi consentaneam esse.

Nec minus certa est huius doctrinæ ex patribus probatio. Primum aperta est S. Augustini doctrina serm 28. de verbis Apostoli; vbi allatis vtriusque testamenti exemplis, insuper & suo etiam exẽplo allegato, ostendit licitam esse iurationem, quando circumspectè, atque in remedium humanæ necessitatis tantùm vsurpatur. Alia eiusdem authoris loca sunt lib. de mendacio cap. 15. epistola 89 & 154. De sermone Domini in monte, libr. 1. cap. 17. in expositione epistolæ ad Galatas circa illud 1. capit. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Et sermone quodam de decollatione Ioannis Baptistæ, qui est inter Paris. 10 Chrysostomum quoque nihil diuersum sensisse, probari potest ex commentarijs eius in epistolas Paulinas, vbicumque Apostolum iurasse suprà ostendimus Itemq; in illam apostolicam adiurationem 1. Tim. 6 *Præcipio tibi coram Deo, &c.* Et hom. 9. in Acta apost. Sed & Hieron. quomodo doceat licitè iurari posse, paulò antè ex eius commentario in Ierem. dictum est. His adiungimus Barnardum, qui ser. 65. in cant. in quosdam hæreticos inuehitur, docentes illicitum esse Christianis iurare.

Plura in hanc sententiam testimonia videre licet apud Gratianum 22. q. 1. Quibus & conciliorũ authoritas accessit. Nam Patres Ephesini, à Nestorio iuramentum exegerunt Palinodiæ suorum dogmatum; & in Constantiensi synodo damnatus legitur hic Wicleffi articulus numer. 43. Iuramenta illicita sunt, quæ sunt ad roborandos humanos contractus, & commercia ciuilia. In quo etiam cõcilio ab omnibus patribus iuratum est pro confirmatione fœderis à principibus initi, ad euertendum schisma, quo tunc laborabat ecclesia.

§. 4. Solutio eorum quæ in contrariam obijciuntur.

S. Thom. vbi sup.

NVnc ad ea breuiter respondendum, quæ vidẽtur ostendere iuramentum prorsus, & omni modo, illicitũ esse, saltem homini Christiano. Quale imprimis illud est, quod Dominus præcipit Mat. 5. dum ait. *Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua: Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, &c.* vbi tandẽ concludit; *Quod autem his abundantius est, à malo est.* Et illud Iacob. 3. *Ante omnia, fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunq; iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.*

His addunt locum Ecclesiastæ 9. iuxta 70. A *omnia æquè eueniunt iuranti, & iurare timenti.* Et Zach. 5. *Omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur*, id est, condemnabitur.

Hæc autem & eiusmodi loca sic intellexisse videntur S. Doctores, quasi omnino prohibitum, & nullo casu admittendum sit inter Christianos iuramentum. Quã in re inculcanda frequens admodũ est Chrysost. Nam præter commentarium in locum Matt. 5. etiam alibi subinde id repetit; vt hom. 15. in gen. Christianus, inquit, iuramenta modis omnibus fugiat, audiens sententiam Christi, &c. Ne igitur aliquis dicat, in re iusta iuro. Neque enim in re iusta, B neque iniusta iurare licet. & hom. 9 in acta, impios esse pronunciat & excommunicatione dignos, qui in contractibus, alijsq; actionibus forẽsibus, aut iurant, aut iusiurandum exigunt. Alijs vero locis. v. hom. in psal. 5. li 1. aduersus vituperat. vitæ mon. li. 1 de compũctione cordis, hom. 8. ad populum Antioch. rursumq; hom. 19. 26. 27. & 28 ad eundem; iuramentum modò crimen, modò rem diabolicam nominat. Ferè autẽ cum Chrysost. sentiunt Græci interpretes. vt Theophylactus, & Euthymius in Matth. 5. & Oecumenius in Iacob 5 Similiter Origenes hom. 25. in Matt. Epiphanius lib 1. de hæres. C in hæresi Ossenorum, Athanasius in ser de passione, & cruce Domini, & Basil. in psal. 14. simpliciter vetitum Christianis iuramentum, intellexisse videntur.

Sunt & apud Latinos similes sententiæ. vt apud Cyprianum tract. de mortalitate, Lactantium ca 4 epitomes, Hieron. in Matt. 5. Ierem 4. Zach 8. Hilarium can. 4. in Matt. & Ambr. in illud psal. 118. *Iuraui & statui custodire, &c.* Legitur & apud Eusebium lib. 6. hist. eccle. cap. 5. Basilidem quemdam martyrem, cùm ab eo iuramentum quadam in controuersia exigaretur, respondisse, non licere sibi prorsus D iurare, eò quòd Christianus esset.

Ad hæc obiecta sic respondemus.

Prohibitionem Domini à Iacobo repetitam, *Non iurare omnino*, quidam ita exponunt; vt iurare pro peierare positum esse dicant, sicut & alibi interdum in sacris literis. Quibus si obijcias iuxta eam expositionẽ nihil addi à Domino supra illud quod antiquis dictum erat, *Non periurabis*, respondent Dominum prohibere omne periurium, etiam per creaturas, de quibus mox subijcit, *neque per cælum, &c.* Idque propterea, quòd Iudæis ex Pharisaica doctrina persuasum esset; eum non teneri iuramento, qui E per creaturas (quibusdam tamen exceptis) iurasset, vti patet Matth. 23. Verùm hæc responsio non videtur sufficere; tum quia Dominus absolutè cõcludit: *Sit sermo vester, est est, non non*: tum quia studiosè mutat vocabulum periurij in iuramentum; significans haud dubiè se intelligere iuramentum, vt à periurio distinguitur, Cùm alioqui dicendum fuisset, ego autem dico non peierare omnino. Alij respondent consilium esse, non præceptum, ne iuremus, vti sentire videtur Bernard. serm. 65. in cant. Sed reuera præcepti vim habere Domini verba, F omnino apparet, quia prohibere aliquid voluit, tanquam illicitum, quod licitum esse docebant Scribæ, & Pharisæi, sicut & in alijs præceptis eiusdem capitis obseruare licet. Absurdum quoq; fuerit, si fateamur apostolum Paulum, quem in suis epistolis aliquoties iurasse constat; non secutum Christi cõsilium. Rectiùs proinde Aug. qui & hunc Matthæi locum tractans lib. 1. de serm. domini in monte ca. 17. & lib. 1. de mendacio cap. 15. docet hoc sensu præcepisse Dominum, non iurare omnino; ne quisquam quasi bonum appetat iusiurandum, & assi-

iurare iurandi, ad periurium per consuetudinem delabatur. Quapropter, inquit, qui intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendam, refrænet se quantum potest; vt non ea vtatur, nisi necessitate; cùm videt homines pigros ad credẽdum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmetur. Ita ille. Sensus igitur præcepti dominici est; omnino non iurandum quantum in nobis est, id est, nisi nos iusta necessitas aliqua (sub qua euidentem vtilitatem comprehendo) ad iurandum compellat. Triplex autem ratio est huius generalis prohibitionis; prima ob vitandum periculum periurij; secunda, ob reuerentiam diuini nominis; tertia, ob fidem mutuam Christianorum inter se, quæ meritò tanta esse deberet, vt quisque proximo, etiam iniurato crederet. Propterea verò subiecit Dominus; *Neque per cælum neque, &c.* ne quis putaret saltem per creaturas sibi impunè licere, vel falsò, vel temere iurare; cuiusmodi iuramento se non teneri Iudæi (qui alioqui à Deo nominando satis religiosè abstinebant) persuasum habuisse videntur.

Cùm igitur generalis sit hæc prohibitio, quæ tamen habet exceptionem, non mirum est passim veteres ita loqui; quasi sentiant iuramentum simpliciter & omnino prohibitum. Id enim accipiendum eodem sensu quo Christi verba accipienda diximus. Nam in huiusmodi sententijs potissimùm respexerunt ad pessimam vulgi cõsuetudinem; qua vel prorsus temere, vel ob res non magni momenti, siue in contractibus, siue in alijs quibuscunque negocijs, iuramentum interponebant. Huc sanè respexisse Chrysostomum in suis ad populum homilijs, certissimum est, Qui etsi præ cæteris vehementius in iurantes inuehatur, nusquam tamen negat in rebus magni momenti licitam esse iurationem. Ideo autem iuramentum rem diabolicam vocat, quia Dominus dicit: *Quod his amplius est, à malo*, id est, à diabolo, *est*. Cùm enim diabolus sit primus author peccati; ex peccato autem sit quod homines sibi mutuò non credant, nisi adhibito iuramẽto (non enim in statu innocentiæ iuramento aliquando opus fuisset) non malè dicitur diabolum iuramenti causam esse, videlicet occasionalem. Ad locum Ecclesiastæ & Zach. facilis est responsio; iurare positum pro peierare, quomodo eam vocem in sacris literis subinde accipi testatur Aug. q. 1. in Leuit. Vnde & nostra versio apud Ecclesiasten sic habet: Vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Et apud Zachariam paulò pòst subiungitur. *Et ad domum iurantis in nomine meo mendaciter*. Quæ verba satis indicant quem paulò antè iurantem intellexerit propheta.

§. 5. *A peieraturo non esse exigendum iuramentum.*

S. Tho. 2. 2. q. 98.

SIcut iurare aliquo casu licet, ita & iuramentum exigere; nimirum propter incertam & non satis exploratam nobis fidem eius, cuius assertionem, vel promissionem in re magni momenti requirimus. Ita sentit Aug. ep. 154. Cæterùm si sciamus, vel probabiliter putemus, eum peieraturum; tunc propter reuerentiam diuini numinis, non erit à nobis vrgendus ad iurandum. Vnde Aug. serm. 28. de verbis apost. sic ait: Qui exigit ab aliquo iuramentum, multum interest vtrùm nesciat illum falsum iuraturum, an sciat. Si enim nescit, & ideo dicit: Iura mihi, vt fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tẽtatio est. Si autem scit eum fecisse; & cogit iurare, homicida est. Ille enim suo periurio se perimit, sed iste manum interficiẽtis & expressit, & pressit. Et serm. 11. inter Paris. Ille, inquit, qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam: imò duas animas, & eius quem iurare prouocauit, & suam, &c. vbi & subiungit exemplum cuiusdam per visionem à Deo admoniti, & grauiter puniti, quod à peieraturo iuramentum exegisset. Quamuis autem qui paratus est peierare, iam se peremerit, attamen sine iusta necessitate permittere non licet; vt ipso extremo opere periurij polluatur numen Dei. Cùm igitur nulla hîc sit necessitas, nec vlla vtilitas; si quis creditur, verbi gratia, debitorem suum negantem debitum, peierare permittat: (nihilominus enim re sua defraudabitur) idcirco propter honorem, & reuerentiam Dei, potiùs impedire debet, quàm admittere tale iuramentum. Nam de persona publica, cuiusmodi est iudex, ad cuius officium pertinet sequi iuris ordinem, alia ratio est. Talis enim qualemcunque nouerit iurantis dispositionem, non tenetur eum, quò minùs iuret, prohibere.

§. 6. *De iuramento per falsos Deos annotatio.*

S. Tho. 2. 2. q. 78. a. 4. q. 98. ar. 4. ad quartum

CIrca iuramentum quod fit per falsos Deos, siue per creaturam quamcunq; tanquam Deum, tria summatim sunt annotanda.

Primum est, illicitum esse; imò & impium tale iuramentum, atque à Deo prohibitum Exod. 23. *Per nomen*, inquit, *externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro*, Et Deut. 6. *Per nomen illius iurabis*, quod negatiuum est præceptum, prohibens iurari per aliud quodcunque nisi per nomen Domini. Ratio est, quia iuramentum est actus religionis, quo quis profitetur eum per quem iurat, habere omnium cognitionem, & infallibilem veritatem, quod est solius Dei. Vnde grauiter reprehendendi sunt Christiani gẽtilium iuramenta siue studio, siue praua quadam assuetudine, vsurpantes. Absit enim, inquit Hieron. in epistola ad Damasum de filio prodigo) vt de ore Christiano sonet: Iupiter omnipotens, & mehercle, & mæcastor, & cætera magis portenta quàm numina.

Secundum, eum qui falsum iurat per falsos Deos periurum esse. Quamuis enim impium sit huiusmodi iuramentum, si tamen fiat, verum esse debet; & si promissorium est, seruari debet. Cuius vna est ratio communis, quia nec mentiri licet, nec fallere; & altera specialis, quia qui sic iurat, eum testem aduocat quem putat & per omnia veracem esse, & omnium noticiam habere. Quare si falsum iurat, quantum in se est, Deum facit vel mẽdacem, vel ignorantem. Quod si verò non credit eum, per quem iurat, esse Deum, sic quoque grauissimè peccat; quia contra conscientiam suam religionis cultum exhibet ei, quem nouit non esse Deum; & nihilominus periurus est, & tanquam periurus punietur, quemadmodum disertè docet Sapiens cap. 14. in fine, ostendens in eos quoque grauiter à Deo vindicatum iri, qui per idola, siue ea vt numina colant, & habeãt, siue non, falsum iurauerint. Et aperta est Augustini sententia serm. 28. de verbis apost. Qui per lapidem falsum iurat, periurus est. Quia multi, inquit, & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri per-

iurij.

iiij. Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum putas, falsum iuras. sed ego illum sanctum non puto: Sanctum putat is cui iuras. Et paulò pòst: Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. Item epistola 154. Si quispiam per falsos Deos iurauerit, & fidem non seruauerit, bis vtique peccauit: quia & iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem, quod non debuit. Reperit hæc & similia Gratianus 22. q. 3. A

Tertium, non esse illicitum suscipere iuramentum iurantis per falsos Deos, si quando iusta necessitas id exigit, & falsos Deos colit is à quo exigitur. Qua de re scribens Aug. in eadem ep. sic ait: Qui vtitur fide illius, quem constat iurasse per Deos falsos & vtitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam; non peccato eius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius, quo fidem seruauit. Et post pauca, fatetur etiam exemplis scripturæ probari posse, quod non peccet is qui per falsos Deos sibi iurari fecit; quia ille qui ei iurat, Deos falsos colit. Ea exempla sunt de Isaac & Iacob, qui cũ idololatris Abimelech, & Laban, fœdus inierũt interposito vtrimque iuramento. Quibus addi potest exemplum Iudæ Machabæi, qui simile fœdus percussit cum Romanis. B

Quod si obijcias non licere iuramentũ exigere ab eo, quem sciamus peieraturum, vt suprà probatum est, ideoque nec ab eo, quem nouerimus iuraturum per idolum, vel dæmonium, quod similiter est honori diuino contrarium. Primò respondemus ex Aug. in dicta ep. sine vlla dubitatione minus malum esse, per Deum falsum iurare veraciter, quàm per Deum verũ fallaciter. Quantò enim per quod iuratur magis est sanctum, tantò magis est pœnale periuriũ. Deinde, qui vtitur iuramento eius quem per idolum iuraturum nouit, propter aliquam iustã necessitatem, vel vtilitatem permittit hoc malum; at qui à peieraturo iuramentum exigit, nullam ex eo reportat vtilitatem, qua illud malum compensatur, vti suprà ostensum est. C D

§. 7. *Iuramentum per creaturas quatenus licitum sit.*

S. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 6.

TRipliciter cõtingit iurari per creaturam. Vno modo quatenus ipsa secundùm se, in testimonium aduocatur, tanquam infallibilem veritatem habens. Quo modo per creaturam iurare, illicitum est, & ad idololatriam spectat. Sic enim iurando creaturis tribuitur aliquid diuinum, sicut attribuerunt ethnici dijs per quos iurabant. E

Altero modo, quatenus in ipsa manifestatur veritas diuina. Quæ quidem nobis manifestari potest in omni creatura, sed excellentiùs in vna, quàm in alia. Vnde receptum est, & laudabile iuramentum per euangelia, quod in ijs veritas diuina maximè emineat, & per sanctos, & sanctorum reliquias, quod illi veritatem Dei & rectè credendo tenuerint, & sanctè viuendo expresserint. Hic igitur iurandi modus non est illicitus. Nam qui hoc modo per creaturam iurat, non aliud, quàm creatorẽ eius testem adhibet, quemadmodum id exponit Magister 6. F. Et Gratianus 22. q. 1. Imò hanc iuramenti per creaturas interpretationem tradit Christus Matth. 23. dicens: *Quicunque iurauerit in templo, iurauit in illo, & in eo qui habitat in ipso; & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Ita licitè iurabãt per sanctos homines, qui eis dicebant: *Viuit anima tua.* vt 4. Reg. 2. & alibi. Id testatur Hieron. in fine F comment. ep. ad Gal. Declarat hanc rem S. Thomas similitudine fidei. Fides enim principaliter quidem Deum respicit, qui est prima veritas, secundariò verò creaturas, in quibus Dei veritas elucet. Sic & iuramentum principaliter ad Deum refertur, cuius testimonium inuocatur, secundariò autem ad creaturas, quatenus diuinæ veritatis in se continent vestigia.

Tertio modo, quando quis iurans, creaturam nominat, vt in ea diuinum iudicium exerceatur; vt fit in iuramento execratorio, de quo suprà diximus, velut dũ quis iurat per animam suam, per caput suum, per filium suum. Atque hunc iurandi modum licitum esse, ostendunt exempla sanctorum, ac nominatim apostoli Pauli 1. Cor. 15. & 2. Cor. 1. Illud autem quod Ioseph iurasse legitur, *per salutem Pharaonis* Gen. 42. tam secundo, quàm tertio modo potest intelligi. Aut enim testem aduocauit Deum cuius iudiciũ ministerio Pharaonis in terris administrabatur; & proinde iudicij veritas in persona Pharaonis elucebat, quomodo id intellexerũt Gratianus, & Magister, aut salutem Pharaonis, tanquã rem sibi caram & preciosam, Deo obstrinxit. Quem sensum magis postulat interpositum salutis vocabulum. Ita enim dictũ videtur, *Per salutem Pharaonis*, quomodo solent homines dicere, per salutem meam.

Ex his autem quæ diximus, petenda est solutio eorum quæ poterant in contrarium obijci. Cuiusmodi sunt apud Gratianum nonnulla capitula. 22. q. 1. quorum vnum est; Clericum per creaturam iurantem, acerrimè obiurgandum, quòd si perstiterit in vicio, excommunicandum placuit. Alterum, si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo, blasphemia contra Deũ vsus fuerit; si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus anathematizetur. Tertium, Consider quòd Saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cælũ, & terram, & Hierosolymam, & per caput tuũ. Quæ verba sumpta sunt ex Hieron. commentario in 5. Mat. Quo loco & alia quædam leguntur in eandem sententiam. Horum enim primum, & tertium, de eo intelligendum est quod iuramento principaliter referebatur ad creaturam; ita videlicet, vt in ea diuinum aliquid agnosceretur. Quomodo per creaturas iurare, impium esse, ostendimus. Atque id sensisse Hieron. hæc eius verba proximè præcedentia declarant: Hanc per elementa iurandi pessimam consuetudinẽ semper habuere Iudæi, sicut prophetalis eos frequenter arguit sermo; *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eam, per quem iurat.* In lege præceptum est, vt non iuremus, nisi per Dominum Deum nostrum, Iudæi per angelos & vrbem Ierusalem & templum & elementa iurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei. Sic ille.

Similiter respondendum ad id, quod obijci potest ex glossa ordinaria super illud Matth. 5. *Neque per cælum, &c.* quibus verbis dicit Dominum, quod superstitio est, resecasse: eademq́ue responsio est ad quædam loca Aug. Chrysost. & aliorũ patrum. Intellexerunt enim iurationem per creaturas frequentatam apud ethnicos.

Secundum capitulum, quod ex decretis Pij 1. desumptum est, quidam eodem modo intelligendum putant. Sed rectiùs Bonauentura canonem eum docet aduersus eos cõstitutum, qui Deo secũdùm diuinitatem, caput, & capillos, aliaq́ue membra attribuebant. Hi enim sic sentiendo, & loquendo blasphemia contra Deum vtebantur. Quan-

quam

quam & illi meritò censuris canonum coercendi essent, qui membra Christi quotidianis iuramentis frequenter nominant; & vt Bonauentura loquitur, quodam exquisito modo iurandi, Christũ quasi membratim diuidunt, quæ apud multos est detestabilis consuetudo. Vnde lege statuit S. Ludouicus, eum ferro in labijs cauteriari, qui per vulnera Christi iurasset.

§. 8. *Iuramenta quatenus seruanda sint.*

in 4. d. 39. q. 8. CVm de obligatione iuramẽti quæritur, non de assertorio iuramento sermo est, sed de promissorio, seo generaliter de omni eo & solo, quod respicit futurum aliquid faciendum, vel omittendum ab eo qui iurat. Vbi primo loco notandũ est, quoad obligandi vim, patem esse rationem iuramẽti quod fit expressè per Deum, & eius quod fit per creaturam; quandoquidem & hoc, vt suprà dictum est, principaliter ad Deum refertur. Vnde Dominus Matt. 23. Scribarum, & Pharisæorum errorem, docentium iuramenta per creaturas, & per templum, & altare, & cælum facta, non obligare; redarguit his verbis: *Qui iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt; & qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Excipiebant interim illi creaturas quasdam auaritiæ suæ fœcudas, vt aurum templi, & dona oblata, & altaribus imposita, quemadmodum ibidem eis improperat Dominus, & in eius loci commentario plenius explicat Hieron. Poterant autem vel ex lege, & prophetis didicisse tam teneri hominem iuramento per creaturas, quàm quod fit expressè Dei nomine. Nã Gen. 31. Iacob iurauit Laban per timorem patris sui Isaac, & Moyses Deut. 30. testes inuocat cælum & terram. Et Iosue 2. exploratores Iosuẽ andũ postulati à Raab meretrice dixerunt: *Anima nostra sit pro vobis in mortem*; Nec tamen hi sic iurantes dubitauerunt se teneri. Eundem verò Pharisæorum errorem Matth. 5. vbi dicitur, *Neque per cælum neq; per terram, &c.* à Domino latenter reprehensum fuisse, docet Aug. lib. 1. de sermone Domini in monte ca. 17. hæc tandem verba subijciens. Itaque Dominus docet nihil esse tam vtilem creaturis Dei, vt per hoc quisquam peierandum arbitretur; quando à summis vsque ad infima diuina prouidentia creata regerentur; incipiens à throno Dei vsque ad capillum album, aut nigrum. Et author operis imperfecti in Matt. hom. 44. pariter teneri vult eum, qui iurat per Deum, & qui per euangelium.

His ita præmissis sciendum est quatuor ferè modis fieri, vt iuramentum præstitum non obliget.

Primò quando is, cui iuratum est, remittit obligationem. Tale enim iuramentum ex eo desinit obligare, ex quo facta est remissio. Neque propterea falsum fit iuramentum, sicut nec falsa fit nuda promissio; quia vtrumque intelligitur quatenus ab eo cui fit, acceptatur. Alioqui enim promissionis ratio, aut non subsistit, aut exspirat.

Secundò, si fiat de re impossibili, siue ea impossibilis sit tunc, quando iuratur, talisque maneat; siue postea impossibilis fiat Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile. In huiusmodi tamen iuramento plærumque peccatur; vt quando iurans vel scit, vel scire debet, esse impossibile quod iurat vel quando eius culpa fit impossibile, quod antea possibile erat, verbi gratia si iurauit intra certum terminum se solaturum pecuniam, quam tamen postea, quia debitam industriam non adhibuit, soluere non potest. Vnde & qui sic iurauit, periurij culpam non euadit. Ex eo namque periurus esse incipit, ex quo res ei sua culpa fit impossibilis.

Tertiò, si fiat de re illicita. Cuius aperta ratio est, quia nihil est, quod hominem obligare possit ad peccandum. Huius rei exemplum habemus in Dauide 1. Reg. 25. qui cùm temere iurasset se interfecturum Nabal cum vniuersa familia, postea temeritatis suæ admonitus non impleuit, quod sine peccato implere nõ poterat, sicut ipse agnoscit his verbis: *Benedictus Dominus qui seruum suum custodiuit à malo.* Contrarium verò exemplum est in Herode, qui quod malè iurauerat, peius impleuit occidendo Ioannem Baptistam Mar. 6. tametsi iuramentum eius recta interpretatione ad homicidium propterea nõ se extendebat. Vtrumq; exemplum tractat Augusti. ser. 2 de Ioãnis decollatione, qui est 11. inter Paris. Beda quoque hom. 43. in eodẽ festo habita de huiusmodi iuramento sic ait: Si quid nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Et de Dauide, cuius exemplum interponit, addit: Nec aliquid culpæ ie tali periurio contraxisse doluit. Vocat autem Beda periurium iuramentum non seruatum; quia nimirum veritas ei iuramento deest, quantum ad executionem eius attinet; quæ tamen adesse non debet, cùm sine peccato impleri non possit. Huc pertinent & alia quædam Patrum testimonia, quæ citantur à Magistro §. H. Inter quæ celebratum est illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem. Quibus suffragatur Ambrosius lib. 3. offic. capit. 12. concilium Toletanum 8. cap. 2. & Soter pontifex in epistola ad episcopos Italiæ.

Quartò si non quidem per se malum sit, quod iuratum est, sed tamen alicuius boni impeditiuum sit, cuiusmodi sunt negatiua de quibusdam bonis iuramenta; velut si quis iuret se nunquam ingressurum religionem, aut nunquam suscepturum ordines sacros, aut curam animarum, aut prælaturam, aut aliquid eiusmodi. Quamuis enim ea quæ iurantur, licita sint, vt non ingredi religionem, non suscipere sacros ordines. &c iuramenta tamen de his facta, illicita sunt; quia sic iurans quantum in se est aufert sibi maiorem boni possibilitatẽ, & vt S. Thomas loquitur, obicem ponit Spirituisancto, nisi fortè constaret talia bona propter aliquam caussam iuranti non expedire, sed magis cessura in laqueum & detrimentum salutis. Eo enim casu non esset illicitum tali iuramẽto se astringere. Quod autem huius generis iuramenta non obligent, ostendunt verba Bedæ suprà posita; quia videlicet etiam hæc obseruata peiorem vergunt in exitum, dum per ea maius bonum excluditur. Idemque probant apud Gratianum duo capitula, Si aliquid, & inter cætera 22. quæst. 4.

Quod si verò dubium sit aliquo pacto, vtrùm vel iuramentum ipsum, vel quod iuratum est, sit licitum, an illicitum; expediens, an noxium, idque vel simpliciter, vel certo casu; locum ibi habet declaratio, dispensatio, commutatio, vel etiam absoluta relaxatio superioris. Cuius rei aliquale exemplum habemus Num. 30. vbi per contradictionem patris, & mariti soluitur iuramentum filiæ & vxoris. Hoc modo Gregorius 7. eos, qui excommunica-

tis fi-

tis si lesinate constricti sunt, apostolica authoritate A à iuramento absoluit 15. q 6. Et simile quid statuit concilium Lateranense sub Innocentio 3. vt habetur extra de hæreticis cap. excommunicamus. Refert quoq; Euagrius lib. 6. suæ Historiæ ca. 12. Gregorium Antiochenum patriarcham, cum militibus, qui per tumultum defecerant à suo duce, dispensasse super iuramento, quo iurauerant se nunquam sub eo in posterum militaturos.

Postremò quod attinet ad iuramentum, vi, vel dolo extortum, sola coactio, vel dolus non sufficit ad soluendam eius obligationem, quando aliquid licitè impleri potest, & in deteriorem exitum non B vergit: adeo vt etiam latroni fides iuramento firmata seruari debeat. Quamuis enim obligatio, quæ nascitur ex sola promissione homini facta tollatur per coactionem; quia nimirũ, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissum non seruetur; ea tamen, qua quis Deo obligatus est ad præstandũ, quod per eius nomen promisit, non tollitur; tametsi vim passus, aut dolo affectus, rem eo modo extortam, iudicio repetere potest, vel factum iudici denunciare, priusquã impleat, quod iurauit. Desinit enim esse materia iuramenti, quod potestati iurantis per superiorem legitimè subtrahitur. Poterat etiam authoritate sum C mi pontificis ab obligatione iuramẽti absolui, præsertim si coactus fuerit metu cadente in constantem virum, quemadmodum patet extra de iureiurando, capite Verum.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAM.

D

§. 1. *Duo vltima præcepta cur superioribus addita.*

S. Tho, 1. 2. q. 100. a. 5. 2. 2. q. 122. a. 6.

CVM superioribus præceptis adulterium, & furtum prohibuisset Dominus, ne quis hoc ita acciperet, quasi externa tantùm opera ijs præceptis expressa, vetita essent; permissa verò adulterandi & furandi cupiditas; nec prius se peccare quis existimaret, quàm cupiditatem opere cõplesset, idcirco peculiaribus pręceptis, atque expressè, cupiditatem quoque earundem rerum prohibere voluit.

E

Porrò de cæteris omnibus peccatis, quæ videlicet alijs etiam decalogi præceptis aduersantur, simile iudicium habendum est, vt eorum quoq; prohibita cõcupiscentia intelligatur. Sed ideo præ reliquis, adulterij, & furti concupiscentia est nominata, quod huius vtriusque generis cupiditatibus, omnes ferè homines soleant laborare; Quodque tales cupiditates maximè videantur hominibus natura- F les, sintque ijs cum brutis ferè communes. Quo fit vt à plærisque, nec peccata esse putentur. Vnde apost. Rom. 7. *Peccatum*, inquit, *non cognoui, nisi per legem Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Quod etsi generaliter ad omnem illicitam cupiditatem extendatur, peculiari tamen ratione veritatem obtinet in duobus generalibus iam dictis.

§. 2. *Contra hæc duo præcepta quibus modis peccetur.*

GEneralis prohibitio de non concupiscendo, multa complectitur. Primùm enim vetat, ne consentiamus in externum opus peccati, quocunque demum præcepto id prohibeatur. Quare quicunq; in aliquam decalogi partem ipso opere peccat, consequenter & in hanc prohibitionem impingit; quia nullum opus externum potest habere peccati rationem absque interno voluntatis consensu.

Secundò ne hac vicinsa concupiscentia nos oblectemus etiamsi eam opere complere non velimus. Concupiscentia enim mox, vt conceperit, parit peccatum. Iacob. 1. etiam antequam, vel voluntate consummetur.

Tertiò præcipit, vt eam quoque in nobis oderimus, odiendo oppugnemus, oppugnando debilitemus, ac minuamus, idque omnino agamus, vt ea tandem in nobis extinguatur. Vnde Ecclesiasticus cap. 18. cùm dixisset; *Post concupiscentias tuas non eas*, vt illas etiam odio habendas ostenderet, adiecit: *Et à voluntate tua auertere.* Huius autem ratio est, quia tenetur homo Christianus tendere continuò ad charitatis, & iusticiæ perfectionem. Quam quidem assequi non potest, nisi concupiscentia prius extincta, atque extirpata. Quamdiu enim est adhuc in homine aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus, inquit Aug. lib. de parfect. iust. cap. 8. Sed de hac re plura diximus ad distinctionem 30. lib. 2.

Quartò sciendum est, & eos contra hoc præceptum peccare, qui optant, vt ea quæ diuina lege prohibentur, licita sint. Peccat enim, verbi gratia, qui optat, vt ebrietas, vel fornicatio non sit peccatum mortale, aut omnino non sit peccatum; & generaliter quicunque optat, vt affectus carnalis, id est sensualitas sit agendorum regula, id est, vt omne quodlibet liceat. Talis enim voluntas difformis est legi diuinæ, & proinde obliqua & viciosa.

Quintò, & illos hoc præceptum reos tenet, quicunque ob quemcunque finem in aliquod peccatum præsens, præteritum vel futurum, idque vel suum vel alienum consentiunt, vel de eo gaudent.

Postremò, peccant ij omnes, qui rem alienam appetunt inordinatè, vt si contra iusticiam, si contra voluntatem possidentis, si ex auaricia, libidine, gula, ambitione appetatur. Grauiter enim peccauit Achab concupiscens vineam Naboth, etiam oblato iusto precio, quod in ea cupiditate persisteret, etiam contra voluntatem possessoris sibi cognitam 3. Reg. 21. & grauiter peccarunt filij Israel desiderantes esum carnium, cùm eis alij cibi necessarij nõ deessent Num. 11. Huc pertinet quod Aug. frag. 2. cap. 10. dicit Deum prohibere concupiscentiam rei alienæ, etiamsi iustam ibi successionem quæras, ita inquiens inter cætera. Tu laudas quasi iure possidentem, Deus damnat iniustè concupiscentem. Cęterùm si quis ordinatè cupiat, quod alterius est; velut si rem venalem sibi vtilem futuram, iusto precio paratus sit comparare, non ille peccat in legem, quemadmodum nec is, qui mulierem innuptam honesto, ac legitimo matrimonio sibi cupit copulare. Imò nec peccaret qui nuptam mulierem, cuius

maritus

maritus letali morbo laborat, post eius mortem habere cupit in vxorem.

Denique quod ad concupiscentiæ fomitem attinet, neque sic accipiendum hoc mandatum, quasi a nobis præcipiatur vt in hac vita omni vitiosa concupiscentia careamus, sic vt nec ipsum habituale vitium nobis insit, nec vllus eius contra spiritum motus in nobis oriatur. Id enim, cùm in nostra non sit potestate, sub præcepto non cadit, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 27. huius libri. Ex quo vlterius consequens est, desideria praua, quæ nobis inuitis minimeque consentientibus insurgunt, non esse peccata, neque prohiberi lege, *Non concupisces*, id quod contra hæreses huius temporis latè monstrauimus ad distinctionem 32. lib. 2.

§. 3. *Distincta inter se esse duo vltima præcepta.*

S.Tho.1.2.q.100.a.4.ad.2. q.122.ar.6.

DE distinctione præceptorum decalogi, quid probabilius tenendum sit ex Augustino, & Latinorum sententia, diximus ad distinctionem 37. Quod igitur eo loco dictum est, duo esse distincta præcepta, *Non concupisces vxorem proximi tui*, &, *Non concupisces rem proximi tui*, nunc idipsum pleniùs probemus. Primum constat non eiusdem rationis esse, concupiscentiam vxoris alienæ, & concupiscentiam possessionis alienæ. Illa enim ad libidinem, siue impudicitiam, hæc ad auaritiam pertinet: & alteram carnis, alteram oculorum concupiscentiam vocat Ioannes 1. epist. 2. Quare sicut distincta de actibus præcepta sunt, *Non mœchaberis*, &, *Non furaberis*; ita consentaneum est & respondentes illis actibus cupiditates distinctis item præceptis prohiberi.

Deinde scriptura Deut. 5. eam distinctionem satis nobis indicauit, maximè si ad fontem Hebraicum recurramus, vbi sic legitur: *Non concupisces vxorem proximi tui, & non desiderabis domum proximi tui, non agrum non seruum, &c.* Quibus in verbis duo notanda sunt, quorum alterum est, vtrobique appositum esse verbum, licet id in nostra versione secundo loco fuerit omissum. Alterum, non esse idem, neque eiusdem prorsus significationis, verbum Hebraicum priori & posteriori loco positum. Nam quod priori loco habetur, vehementiorem animi impulsum significat; ideoque magis accommodatum est, ad designandam cupiditatem Veneream. Quod autem posteriori, ad cupiditates auarorum hominum magis referri solet.

Adde quod septuaginta interpretes tum in Exod. tum in Deut. etsi vno semper vocabulo reddant verbum concupiscendi: ipsa tamen verbi repetitione videntur non obscurè significasse, non vnam, sed duas de non concupiscendo esse prohibitiones. Vtrobique enim disertè, & distinctè ab illis dictum est: *Non concupisces vxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui, neque agrum, &c.* Rectè igitur Augustinus, alijque post eum ferè omnes, ita decalogum distribuerunt; vt duo postrema eius præcepta geminam concupiscentiam vetarent, alterum vxoris, alterum rerum alienarum. Cuiusmodi distinctioni suffragantur patres concilij Tridentini dum sess. 14. cap. 5. docent in confessione omnia peccata mortalia re-A censéda esse, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima decalogi præcepta commissa; quod & sub anathemate repetunt eiusdem sess. can. 7. Vbi non dubium est à patribus intelligi duo præcepta internam concupiscentiam prohibentia, & proinde eorum sententia, hæc à se inuicem esse distincta.

Sed côtra hæc obijciunt, qui vnicũ esse volunt de non concupiscendo præceptum, ita sensisse apostolum, quando Rom. 7. instar vnius præcepti ac velut vno verbo, citat illud, *Non concupisces*: & quando rursum Rom. 13. legis aliquot præcepta com-B memorans totum prohibitæ concupiscentiæ præceptum in vnum concludit ita inquiens: *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum, &c.*

Prætereà scripturam Exod. 20. pro se adducunt vbi primo loco prohibetur concupiscentia domus proximi, deinde vxoris, mox serui, ancillæ, bouis, asini, &c. Cùm igitur absurdum sit in medio vnius præcepti aliud interponi, consequens putant, vt non duo, sed vnicum sit, non concupi-C scendi præceptum.

Ad hæc respondemus, apostolum Rom. 7. ex decalogo id desumpsisse, quod ipsius instituto maximè seruiret, id est, quod inter negatiua præcepta esset quàm maximè vniuersale. Ideoque eum nec vxoris, nec rei alienæ, mentionem adiunxisse; vt quàm latissimè pateret, quod lege prohiberi volebat ostendere, sicut contrà, inter affirmatiua latissimè patet diligendi præceptum. Sic ergo dictum est, *Non concupisces*, sicut diceretur, Diliges. Ex quo sicut non esset consequens, vnicum esse D præceptum dilectionis Dei, & proximi; ita nec consequens esse debet vnicam esse prohibitionem concupiscendæ vxoris, & rei alienæ. Altero autem loco, cùm tantùm summatim vellet apostolus, quędam decalogi præcepta recensere, breuitatis causa nonum, ac decimum in vna sententia comprehendit. Vnde nec ordinem præceptorum, quo in decalogo scribuntur, retinuit; adulterium homicidio præponens.

Ad locum Exodi respondent quidam, vxorem inter ea quę possidentur, numerari; propterea quòd ibi non concupiscentia vxoris alienæ, quæ respicit E concubitum; prohibeatur, sed quæ possessionem, vti concupiscentia aliarum rerum. Sed cum hac ratione fatendum esset in Exodo omissum esse penultimum decalogi præceptum; nimirum de non concupiscenda aliena vxore ad concubitum, rectiùs respondendum putamus, id quod in Exodo confusè dictum est, in Deuteronomio tanquam lege repetita ac recognita, distinctiùs positum esse; præsertim cum & 70. interpretes vtroque, vti diximus, loco, eodem ordine hæc præcepta posuerint, vxorem præponentes alijs rebus. Quin & iuxta F textum Hebraicum, in Exodo vocabulum concupiscendi repetitum legitur secundo loco, vbi vxor nominatur, vt vel inde conijcere liceat duo hæc præcepta distingui debere.

§. 4. *Quod sit discrimen inter legem veterem & nouam.*

S.Tho. 1. 2. q. 106. & 107.

CVm legem veterem à noua distinguimus, per eam non solùm intelligimus decalogum veteri populo datum, sed totam legalem illius populi per Moysen administrationem; comprehensis etiam ijs præceptis, quæ ad iudicia & ceremonias pertinebât, quatenus hæc omnia Moysi ministerio, veteri populo tradita sunt, sicut & nouam legem accipimus, totam præceptorum Dei complexionem, quatenus per Christum nouo populo ministratur. Est itaque multiplex inter vtramque legem discrimen.

Primum enim differunt legislatoribus, seu ministris primarijs. *Lex enim per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1. Et alibi Moysen Christo opponit scriptura; illum veteris, hunc verò noui testamenti ministrum ostendens vt 2. Cor. 3. Heb. 3. 7. & 8.

Deinde differunt effectu, eoque multiplici. Nã lex vetus monstrabat quidem, quid faciẽdum esset, sed gratiam qua impleretur non subministrabat. Monstrabat item peccatum, sed non sanabat. Hinc apostolus Rom. 3. *Per legem cognitio peccati*, & 7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem.* Ac rursum, eiusdem epistolæ cap. 2. Iudæo sola lege instructo tribuit præclaram quandam voluntatis Dei noticiam: Ex ea verò legis noticia, timor nascebatur eius pœnæ, quam lex minabatur. Vnde & lex timoris dicta est, sicut noua lex amoris. Quem effectum indicat apostolus Rom 8. cùm ait: *Non enim accepistis iterum spiritum seruitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* Et 2. Tim. 1. *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis.* Et Heb. 2. *Vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Timor enim cum exclusione amoris intelligitur, quem seruilem timorem vocamus. Huc porrò referendum, quod apostolus dicit, *Lex iram operatur* Rom. 4. Quodq́; e Moysi 2. Cor. 3. ministrationem mortis, & damnationis ascribit, atque è contra, Christo ministrationem spiritus, & iusticiæ tribuit. Lex enim gratia destituta, cuiusmodi intelligitur lex vetus, ostendere quidem potest, quod rectum est, at non præstare vt fiat; & proinde mortis, ac damnationis reum facit hominem. Lex autem gratia comitata, cuiusmodi intelligitur lex noua, non tantùm quid sit agendum, ostendit; verumetiam spiritum & virtutem subministrat, qua quod præcipitur, impleatur. Atque hoc est, quod ait eodem capite apostolus: *Litera occidit, spiritus autem viuificat*, Sicut igitur legi veteri hos effectus scriptura tribuit, vetustatem, timorem, serui-

A tutem, iram, mortem, damnationem, ita nou legi tribuit hæc contraria, nouitatem, amorem, libertatem, gratiam, vitam, salutem. Quæ singu la suis exemplis declarare, non est difficile. Tradi hoc discrimen apertissimè Ieremias cap. 31. & apostolus Heb. 8. Explicat autem id Augustinu multis locis, vt lib. de spiritu & lit. cap. 25. & 26 in quæst. super Exod. q. 166, & super Deut. q. 11. & 15. lib. 10. de ciuit. cap. 25. & lib. 16. cap. 26. Iter. lib. 3. contra duas epist. Pelag cap 4. & sequenti bus. Qui locus cæteris aptior est, & prolixior. Pe culiariter autem, eam scripturam, *Litera occidit, spi*

B *ritus viuificat*, exponit lib. de spiritu, & litera cap. 4 5. & 14 lib. 3. de doctrina Christ cap. 5. lib. 15. con tra Faustum cap. 18. lib. contra aduersarium legi & prophetarum cap. 7 de verbis apostoli serm. 3 & de tempore, ser. 91.

Aliud vtriusque legis discrimen, ex promissi & comminationibus accipitur. Nam lex vetus tem poralia promittit, & minatur. vt patet Leuit. 26. & Deut. 27. & 28. Lex autem noua promittit, & mi natur æterna, quemadmodum ex euangelicis & a postolicis scripturis est perspicuum. Hoc discrime pondetat apostolus ad Heb. 8. de Christo dicen

C *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto e melioris testamenti mediator est, quod in melioribus pro missionibus sancitum est.* Neque tamen hoc discrimc ita perpetuum est, quin lex Moysi, etiã æterna sub inde promittat & minetur; licèt rariùs, atque ob scuriùs, vt probat Augustinus lib. 6. de veritate, c. 27. lib. 2. de nuptijs & concup. ca. 11. lib de pecca to originali cap. 30. & alibi. Quod & Hilarius dc cet in psal. 68. ad illud, *Delebitur de terra viuentium* Idq́; Christus satis insinuauit, quando interrogar tem quemdam, quid faciendo vitam æternam po

D sideret, ad legem remisit, dicens: *Hoc fac & viue* Luc. 10. Et iterum, quando de scripturis veteris te stamenti ad Pharisæos ait: *Scrutamini scripturas, qu vos putatis in ipsis vitã æternam habere.* Contrà quoqu lex noua subinde, licèt rariùs, promissiones & min proponit temporales. Nam *pietas*, vt ait apostolus 1 Tim. 4. *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, qu nunc est, & futuræ.* Et ipse Dominus Marci 10. eu qui omnia reliquerit, testatur centies tantum, etia in hoc tempore, accepturum. Ideo autem rariù quia carnales homines, qui ad vetus pertinent te stamentum, temporalibus promissis erant excitan di; spirituales verò, qui ad nouum pertinent

E æternis.

Postremum discrimen, ex sacramentorum, sa crificiorum, atque in vniuersum, ceremoniarum ac rituum diuersitate, sumitur. Oportebat enim vtrique populo propria & conuenientia signa e terna, quibus Deum coleret, præscriberentur. Se hoc discrimen pleniùs innotescet ex libro proxim in quo de sacramentis agendum.

FINIS.

APPROBATIO.

Hæc Commentaria in 4. libros Sententiarum Eximij & incomparabilis viri GVILIELMI ESTII *Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Academia Duacena primarij, dum viueret Professoris, multimoda & solida eruditione referta sunt quibus pariter S. Thomæ Summæ Theologicæ partes omnes mirificè illustrantur: nihilq; fidei aduersum, nihil bonis moribus contrarium continent. Quare in omnium vtilitatem, Theologorum in primis à quibus diu desiderata sunt, prælo committentur. Actum Duaci die 10. Ianuarij 1615.*

Georgius Colvenerius S. Theologiæ Doctor & Professor, & Librorum in Academia Duacena Visitator.

LE PRIVILEGE.

SVr la requeste presentée aux Archiducz noz Souuerains Princes & Seigrs. de la part de PIERRE BORREMANS Imprimeur iuré en nostre Vniuersité de Douay, contenant qu'un luy auoit mis es mains certain Liure intitulé *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVILIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen. dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi*, pour les imprimer, comme fort vtiles & desirez de ceulx qui estudient en la saincte Theologie, à quoy le suppleant seroit prest d'entendre, mais ne le pouuãt faire sans nostre congé, il noue à bien humblamẽt supplié de le luy donner aueeq priuilege pour le terme de quatorze ans, à commencer auoir cours dez que ladite impressiun sera acheuée, cõsiderez les grandz fraiz qu'il luy conuiendra d'exposer à cest effect, & luy faire sur ce depescher noz lettres patentes en tel cas pertinentes, *Pour ce est il* que nous les choses susdits considerees, & veue en nostre Conseil Priné l'approbation, & visitation dudit liure par Maistre George Colueozre Doctcur & Professeur en la saincta Theologie, en nostre Vniuersité de Douay, & ensemble Visitateur & censeur des liures en icelle, inclinans faorablement à la supplication & requeste dudit Pierre Burremans suppleãt auons octroyé, permis, & accordé, octroyons, permetions, & accordõs, en luy dounãt congé, & licence de grace especiale par ces presentes, qu'il puist & pourra imprimer le susdit liure, Intitulé, *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVLIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen. dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi.* Et iceluy vendre, & distribuer en & par tous noz pays de pardeça, sans pour ce aucunement mesprendre, & ce pour le temps & terme de douze aos, à commencer auoir cours dez que ladite impression sera acheuée. Defendans, & interdisans bien expressement par cesdictes presentes à toos Imprimeure, Libraires, & aultres quelz qu'ilz soyent de n'Imprimer, ou contrefaire ledict liure, ny d'allieors imprimer, ou contrefaict apporter vendre, ou distribuer en nosdicts pays de pardeça durant ladite terme de douze ans, sans l'aduenu ou consentement dudit Suppliant, à peine de coofiscation de tout ce qu'au contraire aura esté imprimé; & en outre de trois florins carolus d'amende pour chacune exemplaire, à appliquet la moictie au profict de leursdits Altezes, & l'autre moictie audit Imprimeur, comme plus amplement est declaré aux pattentes. Faict à Bruzelles soobz le cachet secret de leursdits Altezes le vingtsixiesme iour du mois de Nouembre l'an de grace mil six cens & treize.

I. LE COMPTE.

REGESTVM

†† ABCDEFGHIKLM. Omnes sunt terniones præter N N2 N3 N4.

Apud PETRVM BORREMANNVM Typographum Iuratum, Sub signo SS. Apostolorum Petri & Pauli
M. DC. XV.